3 1761 08124152 3

PURCHASED FOR THE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

FROM THE

CANADA COUNCIL SPECIAL GRANT

FOR

MEDIAEVAL STUDIES

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/pt2monumentavati05klic

MONUMENTA VATICANA

RES GESTAS BOHEMICAS ILLUSTRANTIA

SUMPTIBUS COMITIORUM REGNI BOHEMIAE
EDIDERUNT AD RECENSENDOS HISTORIAE BOHEMICAE
FONTES DELEGATI.

TOMUS V.

ACTA URBANI VI. ET BONIFATII IX.

1378—1404.

PARS II.

PRAGAE 1905.
TYPIS GREGERIANIS

ACTA

URBANI VI. ET BONIFATII IX.

PONTIFICUM ROMANORUM.

PARS II.

1397 — 1404.

OPERA

CAMILLI KROFTA.

PRAGAE 1905.

TYPIS GREGERIANIS.

DB
193
M6
t. 5.
pars 2.



1069. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao de Buřenicz praeposituram ecclesiae Vyšehradensis conferant.*

Romae, 1397 Januarii 5.

Bonifacius . . . . episcopo Aquensi et . . . . abbati monasterii Aule Regie prope Pragam ac preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus apud nos . . . . Wenceslaus de Burnicz decanus ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam nobis et Romane ecclesie immediate subiecte . . . . commendatur . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, prepositura dicte ecclesie, quam quondam Johannes Libyessicz . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes eidem Wenceslao . . . . consideracione . . . . Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, cuius cancellarius existit, graciam facere specialem, motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prepositurum predictam, cuius fructus . . . . mille marcharum argenti puri . . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt . . . ., eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Nos enim cum eodem Wenceslao, ut predictam prepositurum . . . . libere recipere et una cum aliis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que obtinet et expectat et in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere . . . . valeat, ... auctoritate apostolica . . . . motu simili dispensamus . . . . Volumus autem, quod ipse Wenceslaus, quamprimum dictam prepositurum . . . . fuerit pacifice assecutus, decanatum ipsius ecclesie, quem obtinet, ... omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Januarii a. octavo.

R. Lat. 51 fol. 15^{b} — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1070. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Vítkoni de Černčicz decanatum in ecclesia Vyšehradensi vacaturum reservet.*

Romae, 1397 Januarii 5.

Bonifacius .... decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi .... Dignum arbitramur .... Hodie siquidem .... Wenceslao de Burnicz decano ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte de prepositura eiusdem ecclesie, que dignitas est, tunc vacante, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac voluimus inter cetera, quod ipse Wenceslaus, quamprimum .... eandem prepositurarn foret pacifice assecutus, decanatum ipsius ecclesie, quem tunc temporis obtinebat, prout obtinet, ... dimittere teneretur, prout in ipsis litteris plenius continetur.[1]) Cum itaque propterea, quamprimum idem Wenceslaus eandem prepositurarn ipsarum litterarum vigore fuerit pacifice assecutus, decanatus eiusdem ecclesie, qui eciam dignitas est, et cui, ut asseritur, certi canonicatus et prebenda ipsius ecclesie canonice sunt annexi, vacare speretur, nos volentes .... Witkonem de Czrnczicz canonicum dicte ecclesie, qui, ut asseritur, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, ... consideracione .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris .... favore prosequi gracioso ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, discrecioni tue .. . mandamus, quatenus, si post diligentem examinacionem predictum Witkonem .... ydoneum ad dictum decanatum obtinendum esse reppereris, ... decanatum predictum, eciam si curatus existat et ad eum quis per eleccionem assumatur, cuiusque fructus .... octuaginta marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt, cum illum ut prefertur vel alias quovis modo preterquam per ipsius Wenceslai de Brunicz (*sic*) obitum vacare contigerit, conferendum prefato Witkoni .... donacioni tue auctoritate nostra reserves ....; non obstantibus .... , quod dictus Witko, ut asseritur, maioris, quorum fructus .... triginta marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, ac predicte s. Petri canonicatus et prebendas, necnon prepositurarn s. Egidii Pragensis ecclesiarum, que quidem prepositura eciam dignitas est, noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Witko, quamprimum .... decanatum predictum fuerit pacifice assecutus, canonicatum et prebendam ipsius ecclesie s. Petri ac prepositurarn predictos .... omnino dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Januarii a. octavo.

R. Lat. 51 fol. 40^{b} — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 1069.

1071. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Stephano Stephani Poduška canonicatum et praebendam in ecclesia Vyšehradensi vacaturos reservet.*

Romae, 1397 Januarii 5.

Bonifacius .... decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi .... Dignum arbitramur .... Hodie siquidem .... Witkoni de Czrnczicz decano ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte de decanatu eiusdem ecclesie, qui dignitas est, tunc certo modo vaca-

turo, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac voluimus inter cetera, quod ipse Wytko, quamprimum .... eundem decanatum foret pacifice assecutus, canonicatum et prebendam ipsius ecclesie, quos in ea tunc obtinebat, prout obtinet, ... omnino dimittere teneretur, prout in ipsis litteris plenius continetur.[1]) Cum itaque propterea, quamprimum idem Witko eundem decanatum, cui certi canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie canonice sunt annexi, ... fuerit pacifice assecutus, ipsi canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie, quos dictus Wytko tunc temporis obtinebat, prout obtinet, ... vacare sperentur, nos volentes .... Stephanum .... Stephani dicti Podusska militis natum, clericum Pragensis diocesis, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, ... consideracione .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro ipso Stephano clerico .... supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... prefatum Stephanum clericum ad hoc ydoneum esse reppereris ...., canonicatum et prebendam predictos ...., eciam si de iure patronatus dicti regis existant, et quorum fructus .... viginti marcharum argenti.... valorem annuum.... non excedunt, cum illos ut prefertur aut alias quovis modo preterquam per ipsius Witkonis obitum vacare contigerit, conferendos eidem Stephano clerico .... donacioni tue auctoritate nostra reserves .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Januarii a. octavo.

R. Lat. 51 fol. 256b — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 1070.

1072. *Bonifacius papa IX. confert altare s. Dorotheae in ecclesia b. Mariae virginis Opaviae Joanni Merkelim presbytero Vratislaviensi per obitum Theoderici de Nassedle vacans, quod Mathias de Petrowicz de iure sibi competere praetendebat et quod demum tamen ultronee cesserat. Iubet itaque Bonifacius papa, ut Henricus Grunnhart de Westerholt causarum palacii apostolici auditor dictum Johannem in possessionem dicti altaris inducat, etiam contradicente episcopo Olomucensi vel capitulo vel alio quocunque. Datum Rome ap. S. Petrum VI. idus Januarias pont. n. a. octavo.*

Romae, 1397 Januarii 8.

Istud argumentum bullae Bonifacii IX. in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 333 nr 366 editum est, nec unde proveniat illic commemoratur.

1073. *Johanni Abetzcho de Kottbus[a]) clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, scholastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum Budissinensis[b]) et rectoris parrochialis in Kottbus[a]) Misnensis dioc. ecclesiarum*

pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Januarii a. octavo“. Simili modo archiepiscopo Barensi et Lubucensis ac Budissinensis[b]) [Misnensis] dioc. ecclesiarum decanis.

Romae, 1397 Januarii 9.

R. Lat. 50 fol. 204[v]. — [a]) Kotteboz. [b]) Budusinen. — In fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1074 *Ad Venceslai Romanorum et Bohemiae regis necnon capitaneorum et confratrum confratriae Corporis domini Pragensis petitionem fundatio capellae cum quibusdam altaribus sub vocabulo eiusdem Corporis domini et ss. Felicis et Aucti in foro publico Novae civitatis Pragensis per dictos regem, capitaneos et confratres facta confirmatur, ipsisque ius patronatus capellae et altarium praedictorum reservatur, ac indulgetur eis, ut aliquam idoneam personam ad recipiendas tres partes oblationum et obventionum in dicta capella evenientium, in eius conservationem et fabricam convertendas, deputare possint, reliqua quarta parte rectori parrochialis ecclesiae, infra cuius limites dicta capella existit, reservata. „Humilibus et honestis“ „Romae ap. S. Petrum XI. calendas Februarii pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Januarii 22.

Ed. ex originali in Monum. univ. Prag. II. 1. p. 342 nr. 38; excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 209“ in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 182[v] habetur.

1075. *Universis doctoribus, magistris et scholaribus studii Pragensis, praesentibus et futuris, concessio alias eis facta, ut litterarum studiis Pragae insistentes fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad quinque annos percipere possint,[1]) ad alios tres annos extenditur ita, ut per totum tempus octo annorum huiusmodi fructus possint percipere. „Dum attentae considerationis“ „Romae ap. S. Petrum VII. kal. Februarii a. octavo.“*

Romae, 1397 Januarii 26.

Ed. ex originali in Monum. univ. Prag. II./I. p. 352 nr. 40; excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 209“ in codice Vatic. 6952 fol. 182[v] habetur. — [1]) Cf. nr. 1014.

1076. *Praepositus Maguntinensis et decani Vratislaviensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum conservatores magistrorum, doctorum, scholarium universitatis studii Pragensis usque ad viginti quinque annos instituuntur. „In supreme dignitatis“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a. octavo.“*

Romae, 1397 Januarii 26.

R. Lat. 45 fol. 127ᵃ — In fine: N C-DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Monum. univ. Prag. II I. p. 346 nr. 39.

1077. *Amicabilis compositio inter Bartholomaeum Carrafa locumtenentem magisterii hospitalis s. Johannis Jerosolimitani et Marcoldum priorem prioratus Bohemiae dicti hospitalis ratione quarundam responsionum et iurium per priorem Bohemiae magistro dicti hospitalis debitorum, necnon litterae praedicti Bartholomaei super huiusmodi compositione 1397 Februarii 20. editae, quarum tenor praesentibus insertus est, confirmantur.*

Romae, 1397 Februarii 22.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Iis, que pro statu pacifico et tranquillo personarum ecclesiasticarum presertim religiosarum et que de consensu et sciencia nostris provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter adiicimus apostolici favoris firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomei Carrafa de Neapoli prioris prioratus s. Johannis Jerosolimitani de Urbe et locumtenentis magisterii ipsius hospitalis ac fratrum ipsius hospitalis sibi in Urbe assistencium et Marcholdi prioris prioratus dicti hospitalis Boemie peticio continebat, quod orta dudum inter Bartholomeum priorem et locumtenentem ac fratres ex parte una, et Marcholdum priorem Boemie predictos super nonnullis responsionibus et aliis iuribus, per ipsum Marcholdum priorem racione dicti sui prioratus Boemie et camere dicti hospitalis magistri dicti hospitalis pro tempore existentis in eodem prioratu deputate tam de tempore suo quam predecessoris sui, prioris dicti prioratus Boemie, debitis, ex altera materia dissensionis, tandem partes ipse super responsionibus et iuribus huiusmodi ad amicabilem composicionem de consensu et sciencia nostris pervenerunt, prout in quibusdam autenticis litteris sigillo dicti Bartholomei prioris et locumtenentis munitis, quarum tenorem presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte ipsarum parcium nobis fuit humiliter supplicatum, ut composicioni huiusmodi ac omnibus et singulis aliis in dictis litteris contentis robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati composicionem ipsam ac omnia et singula in dictis litteris contenta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Frater Bartholomeus Carrafa de Neapoli dei et apostolice sedis gracia humilis prior prioratus sacre domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani de Urbe necnon sacre domus eiusdem ad presens vacantis magisterii locumtenens una cum fratribus nobis assistentibus dicte domus venerabili religioso in Christo carissimo fratri Marcholdo priori prioratus Boemie hospitalis s. Johannis Jerosolimitani predicti salutem et sinceram in domino caritatem. Boni dispensatoris existit commoda subditorum et gravamina ponderare, et ne moles gravaminum commoda superet, salubriter providere, ut racionabilis equitas in ordinata provisione super omnia vendicet sibi locum. Dudum siquidem bone memorie dominus

frater Ricardus Caraczolus dicte domus magister vobis prioratum Boemie predicti hospitalis cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, obvencionibus, domibus, iuribus et iurisdiccionibus, honoribus et oneribus quibuscunque ipsius prioratus debitis et consuetis una cum fratribus sibi assistentibus conferens et concedens, vos nichilominus ad summam trium millium florenorum auri, in quibus eidem quondam magistro racione responsionum receptarum sibi et thesauro nostre religionis predecessor vester tenebatur, obligatum habere voluit, prout ad hoc vos una cum consuetis et debitis responsionibus prioratus eiusdem necnon et camera magistri in prioratu predicto secundum pactum et concordiam factum inter ipsum quondam magistrum et vestrum predecessorem ac per vos tunc inantea futuris temporibus solvendum obligastis, prout estis obligatus, ut in bullis ipsius quondam magistri et instrumentis publicis desuper confectis et habitis, que hic habere volumus pro sufficienter expressis, hec et alia lacius continentur; inde vero certa parte ipsius debiti per vos nomine et parte vestri diversis temporibus predicto quondam magistro persoluta, ut in suis quitanciis eciam plenius dicitur contineri, residuum autem usque in presentem annum inclusive, quod pro supradictis causis tam racione predecessorum quam vestri thesauro nostre religionis et pro camera magistri supradictis tenemini, ad solvendum reddimini plurimum impotentes, diversas et graves guerras, expensas, devastaciones, dissipaciones, damna quamplurima, que in dicto regno Boemie et diversis aliis partibus circumvicinis pluribus annis vos et prioratus ipse cum domibus et preceptoriis vobis, ut premittitur, commissis passi estis, allegando, ac eciam propter predictas causas ac exempcionem factam per bone memorie dominum Ricardum dicti hospitalis magistrum supradictum de preceptoriis et domibus sub dominio ducis Austriae existentibus, que preceptorie et domus in prioratu predicto Boemie existunt, et ante dictam exempcionem vobis et vestris predecessoribus suas responsiones solvere consueverant, nunc autem et a iamdiu propter exempcionem predictam vobis minime, sed magistro pro tempore existenti seu thesauro dicte religionis solvere tenebantur et tenentur, unde vobis maximum causa predicta in predictis responsionibus et camera sequitur detrimentum, ad solvendum antiquam et consuetam taxam pro responsionibus predictis et camera magistri in predicto prioratu per vos et predecessores vestros solvere debitas et consuetas eciam reddimini plurimum impotentes, super quibus omnibus ut de oportuno remedio dignaremur providere, ex parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis et propter multa de necessitate vobis alia onera incumbencia, prout per litteras serenissimi domini vestri domini Wenceslai Romanorum et Boemie regis semper augusti et aliorum fidedignorum relacione percepimus, integre et totum id, [in quo] racione, occasione, causa vel obligacionibus quibuscunque ipsi quondam magistro vel eius successoribus vel locumtenenti seu thesauro, camere aut religioni predictis obligatus estis usque in presentem annum inclusive, solvere non potestis, ac volentes super tantis oneribus de oportune moderacionis libramine providere, vestris iustis supplicacionibus annuentes, deliberacione eciam super hiis et aliis una cum venerabili religioso in Christo fratre Leonardo Bonafedis preceptore Albarensi et dicte nostre domus thesaurario generali et nobis assistentibus fratribus supradictis prehabita diligenti, necnon de expressis voluntate, consensu

et permissione domini nostri pape Bonifacii VIIII. in hanc concordiam et amicabilem composicionem cum venerabili viro magistro Henrico Ruwe litterarum apostolicarum scriptore ac canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, factore et in hac parte procuratore vestro, devenimus, videlicet quod de presenti sine aliqua dilacione solvatis seu solvere faciatis thesaurario religionis nostre predicto hic in Roma florenos septingentos ungaros boni et iusti ponderis, et a die date presencium ad quatuor menses proxime futuros in Veneciis solvatis seu solvere faciatis et procuretis prefato thesaurario seu nunciis et procuratoribus suis ad hoc speciale mandatum ab eo habentibus florenos mille centum ungaricales auri et ponderis supradicti ibidem portatos et positos vestris periculis et expensis, pro quibus florenis mille octingentis sic solvendis, ut prefertur, vos et prioratum vestrum supradictum usque in presentem annum finiendum in festo nativitatis s. Johannis Baptiste de mense Junii nunc proxime venturi de anno millesimo trecentesimo nonagesimo septimo pro responsionibus et camera magistri et vestri predecessoris obligacionibus et debitis supradictis finimus, quitamus, absolvimus et perpetuo liberamus: volentes, quod pro composicione, concordia et causis predictis vos et prioratus vester cogi, molestari, turbari seu alias gravari nullo unquam tempore possitis sive debeatis sive possit aut debeat, et si in aliquam privacionis, inobediencie vel cuiuscunque alterius condicionis vel generis sentenciam sive penam ex promissionibus, obligacionibus et negligenciis supradictis forsan incurrissetis, similiter absolvimus et liberamus per presentes, et vos in vestrum statum pristinum harum serie et ex certa sciencia nichilominus reponentes, salvo tamen expresso et declarato, quod si supradictos florenos mille et octingentos solvendos, ut prefertur, modo et terminis expressatis, quod absit, vos solvere non contingat, eo ipso presentes littere sint casse, irrite, nullinsque roboris vel momenti. Et si qua solucio de predictis forte nomine vestri facta foret, sit perdita et applicata thesauro nostre religionis, vos tamen in statu, in quo ante presentis nostre concessionis, composicionis et absolucionis litteras eratis, remanendo: ceterum circa per vos debitas responsiones consuetas prioratus predicti Boemie et exempcione et aliis supradictis quamplurimum attentis, considerantesque, quod iniustum esset, quod quis de re, de qua commodum non percipit, incommodum reportaret, una cum fratribus et permissione predictis, deliberamus, statuimus, volumus et graciose sancimus, quatenus pro responsionibus dicti prioratus Boemie, exceptis domibus existentibus hodie sub dominio ducis Austrie prioratus predicti, ut prefertur, eciam pro camera magistri in prioratu predicto, quam habet et habere debet ipse magister et nunc magisterio vacante thesaurus dicte religionis obtinet annuatim, solvatis et deinceps solvere debeatis ac teneamini in Veneciis thesaurario dicte religionis seu cuicunque alteri ad hoc legitimum mandatum habenti in festo nativitatis s. Johannis Baptiste de mense Junii quolibet anno proxime incipiendo florenos auri septingentos ungaricales ponderis supradicti. Non obstantibus quibuscunque taxis et talliis olim circa predictas responsiones et cameram consuetas, prioratu predicto in statu simili permanente, prout est, sed si, domino concedente, deficientibus oneribus, damnis et gravaminibus supradictis prioratus ipse augeretur et in statum pristinum reduceretur, debeatis ultra predictos septingentos florenos responsiones et cameram magistri predictas secundum vestram consciencian

augere, de et super quibus vestram dumtaxat conscienciam oneramus; interim vero volumus, quod ultra predictos florenos septingentos de Ungaria, ut prefertur, in dicto termino in Veneciis solvendos, compelli vel cogi pro dicta causa vel occasione modo aliquo molestari [non] possitis sive debeatis, sed si in termino s. Johannis Baptiste de anno et mense Junii predictis annis singulis vel per duos menses postea, quod absit, in solucionibus ipsis deficere vos contingat, presentem deliberacionem, statutum, voluntatem, concessionem et graciosam sanccionem, eo ipso sint cassa, irrita et nullius roboris vel momenti (*sic*). In cuius rei testimonium has presentes nostras litteras fieri fecimus et registrari ac nostri consueti sigilli appensione et signi munimine roborari. Datum Rome in palacio apostolico nostre residencie anno a nativitate domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die vero vicesima mensis Februari, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifacii divina providencia pape VIIII. anno octavo.

Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo[a]) kalendas Marcii anno octavo.

R. Lat. 44 fol. 178[a] — [a]) Correctum ex ‚nono' adscripto nomine: „N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1078. *Nicolao Stille de Vansov*[a]) *clerico Vratislaviensis dioc. reservantur unum aut plura beneficia ecclesiastica, etiam si aliquod eorum curatum fuerit, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, custodis, scholastici, cantoris et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinentia, etiam si aliquod eorum in ecclesia cathedrali fuerit, dummodo canonicatus et praebenda eiusdem ecclesiae non existat, si qua vacant, vel cum vacaverint; non obstante, quod nuper eidem Nicolao de quadam perpetua vicaria sine cura in dicta ecclesia Vratislaviensi vacante a papa provideri concessum est. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Marcii a. octavo". — Simili modo episcopo Tudensi et archidiacono Bëlinensi*[b]) *in ecclesia Pragensi ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1397 Februarii 27.

R. Lat. 48 fol. 211[a] — [a]) ‚Wansaw' [b]) ‚Bellinen'. — Nota registratoris in fine deest.

1079. *Magistro Nicolao de Glivicz*[a]) *canonico Vratislaviensi, scriptori et familiari apostolico, reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica sine cura, quorum fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis pertinentia, etiam si unum eorum in cathedrali ecclesia fuerit, dummodo aliquod ipsorum canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, quod canonicatus et prebendas in Pragensi et Vratislaviensi ac in s. Mariae Glogoviensi necnon capellam ‚advocatorum' nuncupatam sitam in parrochiali in Nissa*[b]) *Vra-*

tislaviensis dioc. ac archidiaconatum Bělinensem[c]) *in eadem Pragensi ecclesiis noscitur obtinere.*[1]) „*Grata tue*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio kal. Marcii pont. a. octavo*“. — *Simili modo episcopo Tudensi et decano ecclesiae Pragensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1397 Februarii 27.

R. Lat. 48 fol. 185[v] — [a]) ‚Olywicz‘ [b]) ‚Nysa‘ [c]) ‚Belinec‘. — In fine: PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros 222. 524. 946. 982. 983.

1080. *Stephano dicto Holub de Doubravnik*[a]) *domicello et Catherinae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. octavo*“.

Romae, 1397 Martii 15.

R. Lat. 45 fol. 166[a] — [a]) ‚Dubrawnik‘. — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1081. *Gerdrudi de Olsna mulieri Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum XII. kal. Aprilis a. octavo*“.

Romae, 1397 Martii 21.

R. Lat. 45 fol. 164[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1082. *Nobili viro Sigismundo baroni baroniae de Ronov*[a]) *alias de Letovicz*[b]) *Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Aprilis a. octavo*“.

Romae, 1397 Martii 23.

R. Lat. 45 fol. 242[a] — [a]) ‚Ronow‘ [b]) ‚Lethowicz‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1083. *Episcopi Vratislaviensis et Olomucensis*[a]) *ac abbas monasterii b. Mariae in Arena Vratislaviensis conservatores magistri Gerhardi de Thoven scriptoris et familiaris apostolici usque ad decennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Aprilis a. octavo*“.

Romae, 1397 Martii 23.

R. Lat. 45 fol. 128[a] — [a]) ‚Olomocen‘. — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1084. *Abbates monasteriorum Břevnoviensis*[a]) *prope Pragam et Gradicensis prope Olomucz ac Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. conservatores praepositi, decani, capituli, canonicorum, vicariorum, ministrorum et personarum ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam sedi apostolicae immediate subiectae usque ad decennium instituuntur „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Martii 26.

R. Lat. 45 fol. 127[c] — [a]) ‚Brewnouien' — In fine: N. L DE BENEVENTO.

1085. *Henrico de Freiburg*[a]) *civi Pragensi indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Martii 26.

R. Lat. 45 fol. 166[a] — [a]) ‚Freyburg' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1086. *Petro archidiacono Boleslaviensi in ecclesia Pragensi licentia eligendi confessorem conceditur. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Martii 26.

R. Lat. 45 fol. 197[b] — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1087. *Nobili viro Pročkoni*[a]) *baroni baroniae de Kunstadt*[a]) *alias de Lysicz*[c]) *Olomucensis dioc. indulgetur, ut altare portatile habere possit. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 224[b] — [a]) ‚Proczkoni' [b]) ‚Kunstat' [c]) ‚Lyssicz' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1088. *Nobili viro Benešio*[a]) *baroni baroniae de Choustník*[b]) *et Manae*[c]) *eius uxori Pragensis dioc. confessorem eligendi licentia conceditur. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 198[a] — [a]) ‚Benessio' [b]) ‚Chusnyk' [c]) ‚Mane' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1089. *Eisdem indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 166b — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1090. *Eisdem indulgetur, ut altare portatile habere possint. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 224 — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1091. *Eisdem indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 242b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1092. *Eisdem indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possint. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 27.

R. Lat. 45 fol. 252b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1093. *Petro abbati monasterii in Opatovicz[a]) ord. s. Benedicti Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 28.

R. Lat. 45 fol. 167b — a) Opathowicz. — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1094. *Eidem indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 28.

R. Lat. 45 fol. 225a — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1095. *Marquardo commendatori domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani s. Mariae in pede pontis Pragensis indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 29.

R. Lat. 45 fol. 225ᵃ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1096. *Eidem indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 29.

R. Lat. 45 fol. 242ᵇ – In fine: N. X DE BENEVENTO.

1097. *Eidem indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 30.

R. Lat. 45 fol. 252ᵇ - In fine: N. X DE BENEVENTO.

1098. *Vilhelmo de Zásmuk presbytero, monacho professo monasterii Opatovicensis*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc., indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 30.

R. Lat. 45 fol. 167ᵇ — [a]) ‚Opathowicen.‘ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1099. *Petro abbati monasterii in Opatovicz*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. indulgetur, ut missam in locis ecclesiastico interdicto suppositis celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 30.

R. Lat. 45 fol. 242ᵇ — [a]) ‚Opathowicz‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1100. *Eidem indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Martii 30.

R. Lat. 45 fol. 252ᵇ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1101. *Petro abbati Opatovicensi licentia eligendi confessorem conceditur.*

Romae, 1397 Martii 31.

Bonifacius .... Petro abbati monasterii in Opathowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis .... Benigno [sunt illa tibi concedenda favore, per que, sicut pie desiderare videris, consciencie pacem et salutem anime deo propicio consequi possis. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicacionibus inclinati tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem ydoneum et discretum presbyterum in tuum possis eligere confessorem, qui, quociens tibi fuerit oportunum, confessione tua diligenter audita, pro commissis debitam tibi absolucionem impendat][a] et iniungat penitenciam salutarem, eciam si forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, tibique vota peregrinacionis et abstinencie, si qua emisisti, vel te in futurum emittere continget, que commode servare non poteris, quociens fuerit oportunum, in alia opera pietatis commutet, ac te ab omnibus excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentenciis, si quas ab homine vel a iure promulgatas incurristi, eciam si eidem sedi absolucio huiusmodi reservata existat, in forma ecclesie hac vice dumtaxat absolvat, sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfaccio impendenda, eam tibi faciendam iniungat, quam tu, quantocius poteris, facere tenearis. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Aprilis a. octavo.

R. Lat. 45 fol. 198[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [a]) Suppletum e copia bullae hic sub nro. 1102 sequentis.

1102. *Magistro Gerhardo de Thoven canonico Vratislaviensi, scriptori et familiari apostolico, indulgetur, ut aliquem idoneum presbyterum in suum confessorem eligere possit, qui ei pro commissis debitam absolutionem impendat, etiam si talia fuerint, propter quae sedes apostolica sit merito consulenda. „Benigno“ „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 1.

R. Lat. 45 fol. 198[b] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. — In fol. 198[a] eiusdem codicis ista bulla modo solito per ‚Benigno etc.‘ est registrata, sed cancellata est adiuncta nota: „Ista bulla est scripta inferius magis extensa cum aliis clausulis.“ Cuius bullae ‚magis extensae‘ forma cum illa nri. 1101 concordat.

1103. *Eidem indulgetur, ut possit habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 1.

R. Lat. 45 fol. 226[a] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1104. *Eidem indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere posit „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. octavo"*

Romae, 1397 Aprilis 1.

R. Lat. 45 fol. 242b — In fine PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO.

1105. *Adae rectori parrochialis ecclesiae de Počedělicz[a]) Pragensis dioc. licentia eligendi confessorem conceditur. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 1.

R. Lat. 45 fol. 198 — a) Poczyedelicz — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1106. *Eidem indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit „Sincere" „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 1.

R. Lat. 45 fol. 252b — In fine: N. X DE BENEVENTO

1107. *Nobili viro Divišio de Talmberg[a]) domicello et Ofcae[b]) eius uxori, domicellae Pragensis dioc., indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 2.

R. Lat. 45 fol. 170a — a) Diuissio de Talemberg — b) Offeze — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1108. *Nobili viro Jacobo dicto Kueysl de Dubna domicello Pragensis dioc., Venceslai Romanorum et Bohemiae regis camerario, indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 3.

R. Lat. 45 fol. 170b — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1109. *Eidem indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 3.

R. Lat. 45 fol. 226a — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1110. *Nobili viro Nicolao dicto ‚Nyczek' domicello Vratislaviensis dioc., Venceslai Romanorum et Bohemiae regis camerario, indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit.* „*Provenit*" „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. octavo*".

Romae, 1397 Aprilis 3.

R. Lat. 45 fol. 170 b — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1111. *Nobili viro Nicolao dicto ‚Niczel' domicello Vratislaviensis dioc., Venceslai Romanorum et Bohemiae regis camerario, indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile.* „*Sincere devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. octavo.*"

Romae, 1397 Aprilis 3.

R. Lat. 45 fol. 226 b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1112. *Episcopo Tudensi et praeposito ecclesiae s. Salvatoris in Gutstadt*[a]) *Varmiensis dioc. ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Sternchin de Bartenstein clerico Varmiensis dioc.*[1]) *canonicatum et maiorem praebendam in ecclesia Varmiensi vacantes conferant.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Aprilis pont. n. a. octavo*".

Romae, 1397 Aprilis 6.

R. Lat. 51. fol. 222 a — a) ‚Gutenstat' Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO — 1) ‚Joannes Sternichen' de natione Polonorum a. 1388 a rectore universitatis iuristarum Pragensis intitulatus est; cf. Monum. univ. Prag. II, I. p. 100.

1113. *Magistro Gerhardo de Thoven canonico Vratislaviensi, scriptori et familiari apostolico, indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit.* „*Sincere devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Aprilis a. octavo.*

Romae, 1397 Aprilis 6.

R. Lat. 45 fol. 252 b — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1114. *Incorporatio parrochialis ecclesiae in Nezamyslicz Olomucensis dioc., cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, monasterio in Landskron ord. s. Augustini Litomyšlensis dioc., cuius fructus 140 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per quondam Petrum episcopum Olomucensem 1385 Februarii 22. facta confirmatur eiusdem episcopi litterarum tenore praesen-*

tibus ad verbum inserto. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Aprilis a. octavo“.

Romae, 1397 Aprilis 6.

R. Lat. 44 fol. 35ᵃ. In fine: N. XXX DE BENEVENTO. — Bulla Bonifacii papae in Cod. diplom. Moraviae XII. p. 354 nr. 389 ex originali edita est, litterae Petri episcopi ibid. XI. p. 323 nr. 351.

1115. *Ecclesia s. Petri montis Vyšehradensis prope Pragam ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis et ad exemplum Alexandri II., Lucii II., Innocentii IV., Urbani V. et nonnullorum aliorum Romanorum pontificum cum omnibus membris et bonis suis atque personis in eis degentibus in ius et proprietatem s. Petri et sedis apostolicae et sub eorum protectionem de novo suscipitur ac nullius dioecesis esse decernitur et a quorumcunque ordinariorum iurisdictione eximitur. „Sedis apostolicae gratiosa“ „Romae ap. S. Petrum octavo idus Aprilis pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 6.

Ed. Hammerschmid, Gloria et maiestas Wissehradensis ecclesiae p. 142. — Excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 276“ habetur in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 183ᵇ.

1116. *Praeposito, decano et capitulo ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis indulgetur, ut cappis brunaticis ad instar praepositi, decani et canonicorum ecclesiae Pragensis et ipsis diebus, quibus et prout ipsi utuntur, uti valeant. „Exposcit vestrae devotionis“ „Romae ap. S. Petrum VII. idus Aprilis pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Ed. Hammerschmid, Gloria et maiestas Wissehradensis ecclesiae p. 441.

1117. *Ecclesiam s. Petri Vyšehradensem prope Pragam reparatione non modica indigentem certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominati sunt, et in festivitatibus s. Michaelis archangeli, ss. Agnetis, Annae, Mariae Magdalenae, Sebastiani, Johannis Evangelistae, Procopii, Venceslai et ipsius ecclesiae patronorum) visitantibus et ad reparationem eius manus adiutrices porrigentibus consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis illae indulgentiae conceduntur, quas omnes et singulas ecclesias et monasteria et alia loca ecclesiastica in civitate Pragensi et in eius circuitu infra duo miliaria consistentia ipsis diebus visitantes annuatim quomodolibet consequuntur, praesentibus perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum VII. idus Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli Vyschradensis scrin. I nr. 68, exstat cuius copiam dom. G. Friedrich mihi praestitit. In plica ad dext.: REGISTRATA GRATIS, JE. DE TERLNTINO XV. Sub plica: (sin.) CL; dext.: P. DE BOSCO. In tergo: R[EGISTRATA], N. [DE BENEVENTO]. — Ed. Hammerschmid l. c. p. 437.

1118. *Praeposito, decano et capitulo ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis indulgetur, ut, quotiescunque praepositum vel decanum dictae ecclesiae diebus solemnibus missam et alia divina officia celebrare contigerit, liceat eis et canonicis eiusdem ecclesiae eis assistentibus uti mitris seu infulis albis, prout praepositus, decanus et canonici ecclesiae Pragensis potiuntur. „Exposcit vestrae“ „Rome ap. S. Petrum VII. idus Aprilis pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Ed. Hammerschmid l. c. p. 439.

1119. *Praeposito, decano et capitulo ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam indulgetur, ut sex vel plures presbyteros idoneos, sacculares vel regulares, singulis annis in eadem ecclesia deputare possint, qui confessiones Christi fidelium ad dictam ecclesiam in corporis domini et s. Michaelis archangeli festivitatibus propter indulgentias, ecclesiam Vyšehradensem in eisdem festivitatibus visitantibus per alias litteras apostolicas hodie concessas, confluentium audire et eis absolutionem impendere valeant; per quas quidem alias litteras ecclesiam Vyšehradensem in festivitate corporis domini visitantibus illae indulgentiae concessae sunt, quas visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini consequuntur, in festo s. Michaelis archangeli autem illae, quas consequuntur ecclesiam b. Mariae in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo et secundo diebus Augusti visitantes. „Cum nos hodie“ „Rome ap. S. Petrum VII. idus Aprilis pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli Vyšehradensis (scrin. I. nr. 66) exstat (cuius copiam dom. G. Friedrich mihi praestitit). In plica ad dext.: REGISTRATA GRATIS, IO. DE TREMOSNICZ X. Sub. plica: (ad sin.) C; (ad dext.) P. DE BOSCO. In tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO]. — Excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 213“ habetur in cod. Vatic. 6952 fol. 182a. — Ed. Hammerschmid l. c. p. 435.

1120. *Ecclesiam s. Petri Vyšehradensem prope Pragam, in qua pars pepli seu panniculi b. Mariae virginis conservatur, in ostensione huiusmodi pepli visitantibus et ad dictae ecclesiae conservationem manus adiutrices porrigentibus consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis duplices indulgentiae et remissiones peccaminum conceduntur, quas visitantes ecclesiam Pragensem in osten-*

sione alterius partis eiusdem pepli annuatim quomodolibet consequuntur. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum VII. idus Aprilis pont. n. a. octavo“.

Romae, 1397 Aprilis 7.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli Vyšehradensis (serin I nr 69) exstat, cuius copiam mihi dom. G. Friedrich praestitit). In plica ad dext.: REGISTRATA GRATIS. IO. DE TREMOSNICZ. Sub plica: (ad sin.) LXXX; (ad dext.) P. DE BOSCO. In tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO]. — Excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 213“ in cod. Vatic. 6952 fol. 182ª habetur. — Ed. Hammerschmid l. c. p. 433.

1121. *Nicolao [Henrici] de Borsnicz reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica vacantia vel vacatura.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . Nicolao de Borsnicz canonico ecclesie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis . . . . Nobilitas generis, vite . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si alterum ipsorum curatum aut canonicatus et prebenda seu dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in cathedrali ecclesia fuerit, et ad eum consueverit quis per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura aut dignitas, personatus vel officium, viginti quinque, si vero sine cura fuerit seu fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, custodis, cantoris et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislauiensis . . . . pertinencia, si quod vel si qua . . . . vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint, ... conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra beneficia huiusmodi expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, cui parrochialis ecclesia s. Nicolai de Glogouia est annexa, ac perpetuam vicariam sine cura ecclesie s. Crucis Wratislauiensis obtines, et nos dudum tibi de duobus beneficiis ecclesiasticis sine cura ad collacionem . . . . prefati episcopi pertinentibus, vacantibus vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Aquensi et . . . . decano ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 50 fol. 230ᵛ — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX. XXXII DE BENEVENTO.

***1122**. Monasterium in Opatovicz ad vitam abbatis Petri ab omni iurisdictione ordinariorum eximitur.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . Petro abbati monasterii s. Laurencii in Apathowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Romani pontificis providencia circumspecta circa statum ecclesiarum et monasteriorum ac aliorum locorum ecclesiasticorum omnium salubriter dirigendum paterna solicitudine libenter intendit, et ut eorum prelati et rectores ac degentes in eis ab omni sint perturbacione securi et a iugo cuiuslibet oppressionis serventur illesi, eos nonnunquam prerogativa libertatis ecclesiastice communit et decorat. Hinc est, quod nos, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, te et monasterium tuum s. Laurencii in Apathowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, cui preesse dinosceris, eiusque conventum et personas cum omnibus membris suis et in eis degentibus ab omni iurisdiccione, dominio, visitacione et potestate qualibet . . . . archiepiscopi Pragensis et quorumcunque aliorum ordinariorum et iudicum ecclesiasticorum, quoad vixeris et ipsi monasterio prefueris duntaxat, auctoritate apostolica de specialis dono gracie prorsus eximimus et totaliter liberamus, teque ac monasterium, conventum, personas, membra et degentes huiusmodi sub protecccione b. Petri apostoli et sedis apostolice suscipimus atque nostra, et eidem sedi duntaxat interim volumus subiacere, districcius inhibentes eisdem archiepiscopo, ordinariis et iudicibus sub pena excommunicacionis, quam ipsos et eorum quemlibet contrarium faciendo incurrere volumus eo ipso, ne te aut monasterium, conventum, personas, membra et degentes huiusmodi seu eorum aliquos interim contra tenorem exempcionis et liberacionis huiusmodi quoquo modo et ex quavis causa visitare, impedire aut molestare seu aliquam potestatem vel iurisdiccionem contra te aut eos seu eorum aliquem quomodolibet exercere presumant, fel. rec. Innocencii pp. IV. predecessoris nostri circa exemptos edita, que incipit ‚Volentes', et aliis constitucionibus apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Nos enim quascunque excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias ac quoscunque processus et quecunque alia, quas, quos et que contra te ac monasterium personas membra et degentes huiusmodi contra tenorem et formam exempcionis et liberacionis nostrarum predictarum promulgari aut fieri forte contigerit seu haberi, exnunc cassamus et revocamus . . . . Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 44 fol. 36* In fine: N L DE BENEVENTO

***1123**. Monasterio in Opatovicz uniuntur parrochiales ecclesiae in Ždanicz et in Přeloučˇ.*

Romae, 1397 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sincere devocionis affectus, quem . . . . abbas et conventus monasterii s. Laurencii in Opathowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur,

ut votis eorum, illis presertim, per que commoditati ipsius monasterii providetur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos, ipsorum abbatis et conventus in hac parte supplicacionibus inclinati, in Zdanicz et in Przyewcz parrochiales ecclesias Pragensis et Luthomuslensis diocesium, quarum ius patronatus ad abbatem pro tempore existentem et conventum predictos pleno iure pertinere dinoscitur, et quarum quinquaginta, ... prefato monasterio, cuius trecentarum marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt, auctoritate apostolica imperpetuum tenore presencium incorporamus, annectimus et unimus, ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus dictarum ecclesiarum, qui nunc sunt, ... liceat prefatis abbati et conventui ipsarum ecclesiarum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere .... illasque per monachos dicti monasterii aut alios seculares presbyteros ad hoc ydoneos, ad nutum abbatis ipsius monasterii pro tempore existentis amobiles facere gubernari .... Volumus autem, quod abbas et conventus predicti, postquam .... prefatas ecclesias fuerint pacifice assecuti, racione ipsarum episcopalia iura solvere et alia incumbencia eis onera supportare teneantur .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 44 fol. 36ᵃ. In fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1124. *Margarethae Petri Fulfiss moniali monasterii s. Francisci Pragensis ord. s. Clarae indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 9.

R. Lat. 45 fol. 169ᵃ. In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1125 *Abbates monasteriorum Strahoviensis prope Pragam et in Opatovicz Pragensis dioc. ac s. Vincentii prope Vratislaviam conservatores magistri Petri de Všerub[a]) canonici ecclesiae Pragensis et archidiaconi Horšoviensis[b]) in eadem ecclesia, litterarum apostolicarum correctoris, secretarii et familiaris apostolici, usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 9.

R. Lat. 45 fol. 129ᵇ. — [a]) ‚Wserob'. [b]) ‚Horssouien'. — In fine: PRO CORRECTORE. N. DE BENEVENTO.

1126. *Abbates monasteriorum Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et Gradicensis prope Olomucz ac decanus ecclesiae Ratisbonensis conservatores magistri Petri de Všerub[a]) canonici ecclesiae Pragensis et archidiaconi Horšoviensis[b]) in*

eadem ecclesia, litterarum apostolicarum correctoris, secretarii et familiaris apostolici, usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. octavo“.

Romae, 1397 Aprilis 9.

R. Lat. 45 fol. 1[illegible] — [illegible] — In tergo PRO CORRECTORE. N. DE BENEVENTO.

—

1127. *Johanni Smatlan et Dorotheae eius uxori, civibus Pragensibus, indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Aprilis a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 10.

R. Lat. 45 fol. 170[illegible] — In tergo N. XVI DE BENEVENTO.

1128. *Albertus abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis quitatur de totali solutione suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1397 Aprilis 11

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Albertus abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis pro totali solucione sui communis servicii triginta florenos auri de camera . . . . et pro totali solucione unius eciam sui minuti servicii duos similes florenos, solidos septem et denarios duos monete Romane die date presencium tempore debito per manus venerabilis viri dom. Johannis Vestal canonici Pragensis solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1397] die undecima mensis Aprilis a. octavo.

Oblig. et sol. 59 fol. 73a — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum a. 1389–1399“ (Oblig. et sol. 51) mentio fit in haec verba (fol. 113a): „[A. 1397] die XI mensis Aprilis dom. frater Adalbertus abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis solvit pro communi flor. 30 et pro minuto flor. 2, sol. 7, den. 2; summa flor. 32, sol. 7, den. 2. Fuit promotus anno VII. dom. Bonifacii (i. e. 1395 [illegible] – 1396 [illegible]).“

1129. *Venceslaus [de Bureniczj] decanus ecclesiae s. Petri Vyšehradiensis[a]) Pragensis in sacerdotio constitutus ecclesiae Anthiocenae, per obitum Johannis patriarchae Anthioceni, qui extra Romanam curiam decessit, vacanti et antea dispositioni apostolicae specialiter reservatae, in patriarcham praeficitur. „Suscepti cura regiminis“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. octavo“. — Simili modo capitulo Anthioceno.*

Romae, 1397 Aprilis 11.

R. Lat. 44 fol. 231[a] — [a]) ‚Wissegraden.' In fine: N. XXIIII. XII. DE BENEVENTO.

1130. *Wenceslao electo Anthioceno, qui ex certis causis possessionem administrationis bonorum ad mensam patriarchalem Anthiocenam pertinentium habere nequit et propterea statum suum iuxta patriarchialis dignitatis decentiam tenere non potest, monasterium Cladrubense ord. s. Benedicti Pragensis dioc., per obitum abbatis Raczkonis, qui extra Romanam curiam decessit, vacans et eodem Raczkone adhuc vivente dispositioni sedis apostolicae specialiter reservatum, ad vitam eius tenendum et gubernandum commendatur.* „*Regimini universalis ecclesie*" „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. octavo*". — *Simili modo: 1.) conventui monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc.; 2.) archiepiscopo Pragensi.* „*Ad cumulum*".

Romae, 1397 Aprilis 11.

R. Lat. 44 fol. 246[a] — Supra in marg. sin.: P DE BOSCO; in fine: N. XVI. VIII. VIII DE BENEVENTO. — Ed. Pelzel, Wenzel IV., Th. II Urkundenb. p. 34 nr. 140.

1131. *Wenceslao de Olomucz canonico Olomucensi confessorem eligendi licentia conceditur.* „*Benigno*" „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. octavo*".

Romae, 1397 Aprilis 11.

R. Lat. 45 fol. 198[a] — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1132. *Vlachnikoni de Weitmül[a]) praeposito ecclesiae Litoměřicensis[b]) confessorem eligendi licentia conceditur.* „*Benigno*" „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. octavo*".

Romae, 1397 Aprilis 11.

R. Lat. 45 fol. 198[b] — [a]) ‚Wlachniconi de Wytemmule' [b]) ‚Luthomericen'. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1133. *Martino Maršonis[a]) de Praga canonico ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis confessorem eligendi licentia conceditur.* „*Benigno*" „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. octavo*".

Romae, 1397 Aprilis 11.

R. Lat. 45 fol. 198[b] — [a]) ‚Marssonis' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1134. *Hospitali Pragensi cruciferorum cum stella in pede pontis uniuntur parrochiales ecclesiae s. Valentini Maioris civitatis et s. Petri in Poříč Pragenses.*

Romae, 1397 Aprilis 12.

Bonifacius . . . . magistro et fratribus hospitalis s. Francisci cruciferorum cum stella in pede pontis Pragensis ord. s. Augustini . . . . Et si ex debito solicitudinis pastoralis quibuslibet personis divinis laudibus deditis nos esse deceat favorabiles et benignos, hospitalibus tamen et miserabilibus ac languidis personis in eis degentibus tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto maioribus dinoscuntur auxiliis indigere. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte . . . . Wenceslai regis Romanorum illustris atque vestra peticio continebat, hospitale vestrum, in quo magna languencium et infirmorum multitudo frequenter decumbit, ignis voragine consumptum et nondum in totum reparatum fuerit, eiusque fructus, redditus et proventus adeo propter guerras et dissenciones, que in ipsis partibus viguerunt, diminuti et deteriorati existant, quod vos et languentes ac infirmi huiusmodi ad ipsum hospitale confluentes commode sustentari et alia vobis incumbencia onera supportare commode non valeatis, et pro parte dicti regis atque vestra nobis fuerit humiliter supplicatum, ut s. Valentini Maioris ciuitatis et s. Petri in Porziecz Pragenses parrochiales, que de iure patronatus dicti hospitalis existunt, eidem hospitali in subsidium premissorum incorporare, annectere et unire . . . . dignaremur, nos . . . . predictas ecclesias, quarum sexaginta, predicto vestro hospitali, cuius quingentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... auctoritate apostolica . . . . incorporamus, annectimus perpetuo et unimus, ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus predictarum ecclesiarum ad presens existentibus . . . . liceat vobis . . . . ecclesiarum, iurium et pertinenciarum predictorum corporalem possessionem propria auctoritate apprehendere . . . . reservatis tamen de fructibus . . . . singularum ecclesiarum huiusmodi pro singulis perpetuis vicariis in earum qualibet perpetuo instituendis singulis congruis porcionibus . . . . Et nichilominus vobis, ut cum dictis rectoribus et eorum quolibet, si predictas ecclesias cedere voluerint, de aliqua annua pensione, per vos cuilibet eorum singulis annis, quoad vixerint, solvenda, componere valeatis, ... eadem auctoritate licenciam elargimur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 226a – In marg. sin.: P. DE BOSCO: in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1135. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Leoni de Tachovia reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura vacans vel vacaturum.*

Romae, 1397 Aprilis 12.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes igitur . . . . Leonem Hinrici de Thachouia clericum Pragensis diocesis . . . .

consideracione . . . . Wenezeslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro dicto Leone, litterarum ipsius regis scriptore, nobis . . . . supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . predictum Leonem . . . . ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris, ... cum cura vel sine cura, eciam si dignitas vel personatus seu officium in Misnensi aut in Budissinensi ecclesiis, et dignitas ipsa curata et maior post pontificalem in Misnensi seu principalis in Budissinensi ecclesiis huiusmodi fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, et si forte ita esse non inveneris . . . ., dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, ... sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, cuius fructus . . . ., si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . episcopi Misnensis et . . . . prepositorum, decanorum, capitulorum singulorumque canonicorum et personarum ecclesiarum predictarum . . . . pertinens, eciam si canonicatus et maior prebenda in altera ecclesiarum ipsarum, in quibus maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, fuerit, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, ... conferendum eidem Leoni . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, ... quibus omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . prefatum Leonem . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 50 fol. 15. Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. L. DE BENEVENTO.

1136. *Praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus Johanni de Nova Ciuitate reservet duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura vacantia vel vacatura.*

Romae, 1397 Aprilis 12.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Johannem Adalberti de Noua Ciuitate presbyterum Olomucensis diocesis . . . . consideracione . . . . Wenczeslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro dicto Johanne, dilecto suo, nobis . . . . supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Johannem, qui, ut asserit, magister in artibus existit, ... ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris, ... unum cum cura et aliud sine cura, eciam si ipsum unum in Pragensi et reliquum in s. Petri Wissegradensi prope Pragam ecclesiis canonicatus et prebende fuerint, et si forsan ita esse non inveneris, ... dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum beneficia sine cura ydoneum esse reppereris, duo sine cura dumtaxat, eciam si ipsorum unum in Pragensi et reliquum in s. Petri ecclesiis predictis canonicatus et prebende fuerint, beneficia ecclesiastica, quorum fructus . . . ., si alterum eorum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem

annuum non excedant, ad . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositorum, decanorum, scolasticorum, archidiaconorum, custodum, cantorum, capitulorum singulorumque [canonicorum] et personarum Pragensis ac s. Petri Wissegradensis prope Pragam, nobis et s. Romane ecclesie immediate subiecte et que nullius diocesis existit, ecclesiarum predictarum collacionem . . . . pertinencia, si qua vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint, ... conferenda eidem Johanni . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus tam fel. rec. Urbani pp. V. predecessoris nostri, quibus cavetur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ex aliis ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit[1]) . . . ., quam quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis . . . ., aut si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . sedis apostolice vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . prefatum Johannem . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod nuper eidem Johanni, ut asseritur, de certis canonicatu et prebenda dicte maioris ecclesie tunc certo modo vacaturis per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Nos enim cum eodem Johanne, ut dicta constitucione ipsius Urbani non obstante predictos canonicatus et prebendas . . . . libere recipere et licite retinere valeat, auctoritate apostolica . . . . dispensamus. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Johannes sive presencium sive predictarum litterarum vigore canonicatum et prebendam dicte maioris ecclesie fuerit pacifice assecutus, relique littere . . . . et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam eiusdem maioris ecclesie dumtaxat, exnunc sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis pont. n. a. octavo.

R. Lat. 50 fol. 57ª. Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. LXII DE BENEVENTO. [1] Cf. nri. 4 not. 2.

1137. *Martino de Praga reservantur unum cum cura et aliud sine cura beneficia ecclesiastica vacantia vel vacatura.*

Romae, 1397 Aprilis 12.

Bonifacius . . . . Martino de Praga canonico ecclesie ss. Cosme et Damiani alias s. Wenceslai in Antiqua Boleslauia Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi . . . . consideracione . . . . Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro te, litterarum suarum ingrossatore, nobis . . . supplicantis, graciam facere specialem, unum cum cura et aliud sine cura beneficia ecclesiastica, eciam si ipsorum unum in Pragensi et reliquum in s. Petri Vicegradensi prope Pragam ecclesiis canonicatus et prebende fuerint, quorum fructus . . . ., si ipsorum alterum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositorum, decanorum, scolasticorum, archidiaconorum, custodum, cantorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Pragensis et s. Petri prope Pragam, nobis et s. Romane ecclesie

immediate subiecte, que nullius diocesis existit, ecclesiarum predictarum collacionem . . . . pertinencia, si qua vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint, ... conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus tam fel. rec. Urbani pape V. predecessoris nostri [1]) . . . . quam quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis contrariis . . ., aut si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . sedis apostolice vel legatorum eius litteras impetrarint, . . . quibus omnibus, eciam auctoritate nostra beneficia huiusmodi expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . te . . . . volumus anteferri . . ., seu quod, ut asseritur, super canonicatu et prebenda s. Crucis Wratislauiensis in partibus litigas, [2]) et nos nuper tibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura ss. Cosme et Damiani alias s. Wenceslai in Antiqua Boleslauia Pragensis diocesis ecclesiarum per alias nostras litteras sub data V. idus Novembris pont. n. anno primo [3]) graciose mandavimus provideri, quarum quidem litterarum vigore certos canonicatum et prebendam dicte ecclesie in Boleslauia tunc vacantes assecutus existis. Volumus autem, quod prefate littere . . . . et quecunque inde secuta, quoad dignitatem, personatum vel officium cum cura dumtaxat, exnunc sint cassa et irrita . . ., tecumque, ut ipsa constitucione dicti Urbani non obstante predictos canonicatus et prebendas . . . . libere recipere et licite retinere valeas, auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Aquensi et . . . . abbati s. Ambrosii ac preposito s. Egidii Pragensium per prepositum soliti gubernari monasteriorum . . . .

R. Lat. 50 fol. 134[b] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX. XXXII DE BENEVENTO [1]) Cf. nrn. 1 not. 2. [2]) Cf. nr. 1040 [3]) 1389 Novembris 9.

1138. *Praeposito ecclesiae Boleslaviensis Pragensis dioc. mandatur, quatenus Jacobo Stanislai clerico Pragensi consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro dicto Jacobo, litterarum ipsius regis scriptore, supplicantis, reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, scholastici, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis pertinens, etiam si canonicatus et praebenda ipsius ecclesiae fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 12.

R. Lat. 48 fol. 215[b] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1139. *Abbatissae et conventui monasterii in Sezemicz conceditur, ut presbyterum, ad regimen parrochialis ecclesiae s. Trinitatis earum monasterio incorporatae pro*

tempore deputatum, quotienscunque eis contempserit obedire, ab eodem regimine amovere possint.

Romae, 1397 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . abbatisse et conventui monasterii in Sezemicz cisterciensis ord. Luthomuslensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod olim tempore fundacionis eiusdem monasterii vestri canonice statutum fuit et eciam ordinatum, quod omnes fructus . . . . parrochialis ecclesie s. Trinitatis, que infra septa eiusdem monasterii consistit, in proprios usus abbatisse dicti monasterii pro tempore existentis et vestrum, filie conventus, converti deberet, ita tamen, quod de fructibus . . . . predictis uni monacho eiusdem ordinis in presbyteratus ordine constituto in dicta ecclesia domino servituro, qui per visitatorem eiusdem monasterii ab earum superiore secundum morem dicti ordinis deputatum episcopo Luthomuslensi, qui pro tempore foret, ut ei curam animarum committeret, de quinquennio in quinquennium presentari deberet, necessaria, unde idem presbyter congrue sustentari posset, ministrarentur ipsaque abbatissa et vos, conventus, teneremini episcopalia iura solvere et alia eidem ecclesie incumbencia onera supportare. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, monachi huiusmodi per visitatorem prefatum . . . . presentati ex eo maxime confidentes, quod per vos huiusmodi quinquennio durante ab eadem ecclesia amoveri vel alias eorum excessus corrigi non possunt, utplurimum eidem ecclesie deservire ac vobis, ut tenentur, obedire minime curant, necnon fructus . . . . predictos occupare et ipsos, ut eis videtur, distribuere ac propria temeritate pro libito voluntatis alienare contra statuta et ordinacionem predicta non vereantur, ita quod vobis et dicto monasterio de fructibus . . . . predictis parum cedit: pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportuno remedio . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . volumus et vobis auctoritate apostolica . . . . concedimus, ut, quocienscumque huiusmodi monachus aut alius presbyter ad regimen ecclesie predicte pro tempore deputatus in licitis et honestis, in quibus tenetur, vobis contempserit obedire seu alias debitum suum circa premissa non fecerit, liceat vobis huiusmodi presbyterum deputatum a regimine ipsius ecclesie amovere et alium monachum dicti ordinis aut aliquem secularem presbyterum ydoneum ad regendum dictam ecclesiam episcopo Luthomuslensi pro tempore existenti facere presentari; proviso, quod . . . . vos racione ipsius ecclesie episcopalia iura solvere et alia onera huiusmodi, sicut prius . . . . tenebamini, integre supportare teneamini . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis pont. n. a. octavo.

R. Lat. 44. fol. 188^{b} — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO — Fragmentum membr. copiae haud multum posterioris, quod fuit pars codicis cuiusdam, in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XX, 8 exstat.

1140. *Cum Johanne de Malesicz dispensatur, ut praeposituram Olomucensis et scholastriam Pragensis ecclesiarum, quoad vixerit, insimul retinere possit.*

Romae, 1397 Aprilis 13.

Bonifacius . . . magistro Johanni de Malesicz canonico Pragensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem tibi canonicatum ecclesie Olomucensis apostolica auctoritate contulimus et de illo eciam providimus, prebendam vero necnon dignitatem, personatum seu officium ipsius ecclesie . . . ., si . . . . qua vacabant tunc, vel cum vacarent, ... que tu . . . . duceres . . . . acceptanda . . . ., conferenda tibi . . . donacioni apostolice reservavimus, certis tibi super hoc executoribus deputatis,[1]) ac tecum, ut dignitatem vel personatum huiusmodi . . . . recipere et una cum scolastria ecclesie Pragensis, que dignitas curata est, et quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, usque ad unum annum retinere libere et licite posses, eadem auctoritate duximus dispensandum, ita tamen, quod dignitatem vel personatum aut scolastriam huiusmodi infra annum predictum pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum earum vel eorum reliqua seu reliquo compatibili permutare, alioquin scolastriam huiusmodi . . . omnino dimittere tenereris. Et subsequenter cum tu vigore dictarum litterarum certos canonicatum et prebendam primo, et demum prepositurum ipsius ecclesie Olomucensis, que dignitas curata, non tamen maior post pontificalem, in eadem ecclesia existit, et ad quam quis per eleccionem assumitur, acceptasses et de illis tibi provideri fecisses, nos predictum annum, qui tunc, ut asserebas, non erat lapsus, usque ad unum alium annum a fine eiusdem primi anni computandum auctoritate apostolica per quasdam primo, et deinde huiusmodi annum secundum, qui tunc nondum elapsus erat, usque ad unum alium annum a fine dicti secundi anni computandum per alias nostras litteras prorogavimus . . . . Nos igitur volentes te, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... favoribus prosequi gracie amplioris . . . ., tecum, ut prepositurum et scolastriam predictas, quoad vixeris, insimul retinere, illasque simul vel successive ex causa permutacionis dimittere et loco dimisse vel dimissarum aliud vel alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere, et quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, ... auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 18^b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 324.

1141. *Cum Venceslao de Kouřim dispensatur super inhabilitate, quam propter falsae monetae fabricationem incurrit.*

Romae, 1397 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . Wenceslao de Gurim ord. fratrum b. Marie de Monte Carmeli professori . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim, cum tu, in quodam claustro ord. fratrum b. Marie de Monte Carmeli Pragensis diocesis degens, maligno spiritu ductus diversas monetas falsificaveras, tu propterea diris carceribus et vinculis mancipatus et tandem per loci ordinarium tamquam falsarius ad scalas sentencialiter condempnatus et ad scalas ipsas publice positus extitisti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu de premissis ab intimis doleas

ac cupias in susceptis ordinibus perpetuo domino famulari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi tuoque statui providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes te, qui presbyter es. . . . favoribus prosequi graciosis . . . ., omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica . . . penitus abolemus teque ad famam et gradus ac honores pristinos restituimus, et nichilominus tecum, ut in susceptis ordinibus ministrare libere et licite valeas, ... dispensamus . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. octavo.

R. Lat. 44 fol. 79ᶜ — In marg. sin.: V. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1142. *Abbates monasteriorum s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses et Scotorum in Vienna*[a]) *Patauiensis dioc. ac decanus ecclesiae Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii s. Laurentii in Opatowicz*[b]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 13.

R. Lat. 45 fol. 128ᶜ — a) ‚Wyenna' b) ‚Opathowicz' — In fine: N. L DE BENEVENTO

1143. *Petro abbati monasterii s. Laurentii in Opatowicz*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. datur facultas concedendi tabellionatus officium sex personis, quas ad illud idoneas reppererit, etiam si coniugatae vel in sacerdotio aut aliis sacris ordinibus constitutae existant. „Ne contractuum memoria" „Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 13.

R. Lat. 45 fol. 79ᵇ — a) ‚Opathowicz' — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1144. *Nobili viro Benedicto dicto Benes*[a]) *de Kwasicz*[b]) *domicello Olomucensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere deuocionis" „Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 13.

R. Lat. 45 fol. 252ᵇ — a) ‚Benessio' b) ‚Quassycz' — In fine: N. X DE BENEVENTO

1145. *Simoni de Radnicz*[a]) *laico et Catherinae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Prouenit" „Rome ap. S. Petrum XVII. kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 15.

R. Lat. 45 fol. 172ᵃ — a) ‚Radnycz' — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1146. *Venceslao patriarchae Anthioceno reservantur motu proprio tot beneficia ecclesiastica, ut eorum fructus usque ad summam duorum milium florenorum auri annuatim ascendant.*

Romae, 1397 Aprilis 16.

Bonifacius . . . Wenceslao patriarche Anthioceno . . . . Dum exquisitam tue fraternitatis industriam diligenter attendimus et paterna consideracione pensamus, quod tu Romanam ecclesiam tuorum honoras magnitudine meritorum, quodque tu possessionem administracionis bonorum ad mensam tuam patriarchalem Anthiocenam spectancium certis de causis habere non vales, dignum reputamus et debitum, ut ipsam ecclesiam tibi reperias in exhibicione graciarum munificam et in tuis oportunitatibus liberalem. Volentes itaque tibi propterea, ut expensarum incumbencium onera, que te iugiter subire oportet, facilius supportare valeas, de alicuius subvencionis auxilio providere graciamque facere specialem, unum vel duo seu tria aut plura vel tot beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica cum cura vel sine cura, secularia et regularia, cuiuscunque ordinis fuerint, quod eius vel eorum fructus, redditus et proventus usque ad summam duorum milium florenorum auri secundum communem extimacionem annuatim ascendant, eciam si canonicatus et prebende aut prioratus, dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus aut in collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales, seu prioratus ipsi conventuales fuerint, et ad eas, eos vel ea consueverint qui per eleccionem assumi, ad cuiuscunque seu communiter vel divisim quorumcunque collatorum et collatricum collacionem . . . . pertinens seu pertinencia, si quod vel si qua in Pragensibus, Salzeburgensibus et Wratislauiensibus civitatibus et diocesibus ac Pragensi et Salzeburgensi provinciis vacat seu vacant ad presens, vel cum illud vel illa simul vel successive vacare contigerit, ... conferendum seu conferenda tibi . . . . motu proprio . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus, quod alicuius ordinis professor non existis, ... aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . sedis apostolice vel legatorum eius . . . . litteras impetrarint, quibus omnibus, eciam auctoritate nostra beneficium seu beneficia huiusmodi expectantibus, ... preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . te . . . . volumus anteferri . . . . Nos enim tecum, ut beneficium seu beneficia huiusmodi . . . . libere recipere et una cum ecclesia Anthiocena et quibuscunque monasteriis, preposituris, prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, que ex concessione et dispensacione predicte sedis obtines et expectas, et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, et que tibi concessimus in commendam, quecunque, quotcunque et qualiacunque ac cuiuscunque valoris fuerint, retinere . . . . valeas, ... auctoritate apostolica . . . . motu simili dispensamus . . . . Volumus autem, quod, si prepositura ecclesie nostre s. Petri Wissegradensis prope Pragam nobis et Romane ecclesie immediate subiecte, que nullius diocesis existit, de qua, tunc alias certo modo vacante, per alias nostras litteras [tibi] mandavimus provideri,[1]) te interim assequi contigerit, quod tu vigore presencium tot beneficia huius-

modi acceptare et de ipsis tibi facere provideri et assequi valeas, quod ad valorem annuum mille florenorum auri secundum extimacionem predictam et non ultra ascendant, post quorum assecucionem presentes littere et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta quoad reliquos mille florenos eo casu sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Nulli ergo . . . . Datum Rome apud S. Petrum decimo sexto kal. Maii a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Aquensi et . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam ac preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . .

R. Lat. 50 fol. 117ᵃ — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO. C[ANCELLARIA]: in fine: N. LXXIIII. LXXVI DE BENEVENTO. — [1] Vide nr. 1069.

1147. *Episcopus Vratislaviensis et abbates Scotorum in Vienna ac Aulae Regiae monasteriorum Patariensis et Pragensis dioc. conservatores Venceslai patriarchae Anthioceni ad vitam ipsius instituuntur. „Ad hoc nos deus pretulit" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 16.

R. Lat. 45 fol. 131ᵇ — In fine: N. C DE BENEVENTO.

1148. *Venceslao patriarchae Anthioceno datur facultas concedendi tabellionatus officium triginta personis, quas ad id repperierit idoneas, etiam si coniugatae vel in sacerdotio aut aliis sacris ordinibus constitutae existant. „Ne contractuum memoria" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 16.

R. Lat. 45 fol. 80ᵃ — In fine: N. LXXIIII DE BENEVENTO.

1149. *Venceslao patriarchae Anthioceno quinque milia florenorum, quae camerae apostolicae de pecuniis regis Venceslai mutuavit, in quibuscunque proventibus eidem camerae in regno Bohemiae debitis assignantur.*

Romae, 1397 Aprilis 17.

Bonifacius . . . . Wenceslao patriarche Anthioceno . . . . Dum in mente recolimus grata et accepta servicia, per te nobis et Romane ecclesie in magnis et arduis laudabiliter impensa, et que sollicitis studiis impendere non desistis in nostre consideracionis aciem revolvimus, dignum censemus et debitum, ut indempnitatibus tuis salubriter provideamus. Cum itaque tu de pecuniis . . . . Wenceslai regis Romanorum illustris penes te existentibus quinque milia florenorum auri de camera camere nostre apostolice plurimum indigenti mutuo ad preces nostras concesseris, nos volentes ipsius regis et tuis in hac parte indemnitatibus salu-

briter providere, huiusmodi quinque milia florenorum in et super communibus serviciis, per quoscunque archiepiscopos, episcopos, abbates et alios prelatos regni Boemie camere apostolice racione ecclesiarum et monasteriorum suorum debitis et imposterum debendis, ac super decimis quibuscunque, per nos aut alios quoscunque de mandato nostro personis ipsius regni earumque ecclesiis, monasteriis et beneficiis aliisque locis ecclesiasticis quovis modo impositis et imponendis, et aliis quibuscunque fructibus et proventibus, eidem camere in ipso regno quovis modo debitis et debendis, auctoritate apostolica dicto regi et tibi, eius nomine recipienti, tenore presencium assignamus, eaque et ipsam cameram pro ipsis quinque milibus eidem regi et tibi obligamus, mandantes omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prelatis huiusmodi ac ipsorum decimarum, fructuum et proventuum collectoribus et succollectoribus et aliis quibuscunque, quorum interest et interesse poterit in futurum, ut predicta quinque milia florenorum ipsi regi seu tibi eius nomine recipienti aut alteri per ipsum regem seu te ad hoc specialiter deputato de communibus serviciis, decimis, fructibus et proventibus huiusmodi, prout ad quemlibet eorum pertinuerit et pro rata eorum quemlibet tangente, ad quamcunque ipsius regis seu tuam requisicionem integraliter solvant et assignent. Nos enim tibi ipsa quinque milia florenorum ab ipsis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prelatis, collectoribus et succollectoribus ac aliis quibuscunque, quorum interfuerit, ... nomine dicte camere pro ipso rege aut pro te petendi, exigendi et recipiendi et de receptis solventes quitandi penitus et liberandi, contradictoresque auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam invocato eciam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio compescendi, ac eos ab excommunicacionis et aliis sentenciis atque penis, per te aut camerarium nostrum seu alios quoscunque in eos propterea latis et promulgatis, absolvendi et cum eis super irregularitate . . . . dispensandi . . . . eadem auctoritate concedimus potestatem. Volumus autem, quod de omnibus et singulis, que proinde recipere te continget, duo confici facias publica instrumenta, quorum altero ipsis solventibus pro eorum cautela dato, reliquum ad dictam cameram destinare procures. Datum Rome ap. S. Petrum XV. kal. Maii pont. n. a. octavo.

R. Vat. 315 fol. 207b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; ad dext.) DE CURIA, W. BONINC — Ed. e libro formularum Palacký, Über Formelbücher II. nr. 56.

1150. *Johannes abbas Insulensis quitatur de solutione complementi suorum serviciorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1397 Aprilis 18.

Henricus [. . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii s. Johannis Baptiste de Insula Pragensis diocesis ord. s. Benedicti pro complemento sui communis servicii . . . . sexdecim florenos auri de camera, solidos triginta tres et denarios quatuor monete Romane . . . ., et pro complemento unius eciam sui minuti servicii unum similem florenum, solidos

novem et denarios sex dicte monete die date presencium tempore debito per manus venerabilis viri magistri Johannis de Tremotzniez litterarum apostolicarum scriptoris solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1397] die decima octava mensis Aprilis pont. a. octavo.

Oblig. et sol. 59 fol. 73b. — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum a. 1389—1399" (Oblig. et sol. 54 mentio fit (fol. 115b) in haec verba: „[A. 1397] die XVIII mensis Aprilis fr. Johannes abbas monasterii s. Johannis Baptiste de Insula Pragensis diocesis solvit pro complemento sui communis servicii flor. 16, sol. 33, den. 4, et pro minuto flor. 1, sol. 9, den. 6; summa fl. 17, sol. 42, den. 10. Fuit promotus anno sexto dom. Bonifaci (i. e. 1394 $^{9}/_{11}$—1395 $^{8}/_{11}$) . . . ."

1151. *Venceslao de Olomucz canonico ecclesiae Olomucensis indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 18.

R. Lat. 45 fol. 227b. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1152. *Eidem indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 18.

R. Lat. 45 fol. 243b. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1153. *Venceslaus dictus Anca de Kourim[a]) presbyter, ord. fratrum b. Mariae de Monte Carmeli professor, in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 22.

R. Vat. 315 fol. 202a cum his notis in fine: (sin.) XX, P. DE BOSCO, L. DE FORLIUIO: dext. N. DE VINEA; iterum registratum in R. Lat. 45 fol. 103b, ubi in fine legitur: N. XX DE BENEVENTO — a) Gurym.

1154. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Adae rectori ecclesiae in Počedělicz de canonicatibus sub exspectatione praebendarum, dignitatum, personatuum seu officiorum cum vel sine cura Vratislaviensis et Olomucensis ecclesiarum provideat.*

Romae, 1397 Aprilis 24.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Adam rectorem parrochialis ecclesie s. Marie in Poczedielicz Pragensis diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . prefatum Adam ad hoc ydoneum esse reppereris, ei de uno in Wratislauiensi et de alio in Olomucensi ecclesiis canonicatibus . . . . auctoritate nostra providere procures, ... et si . . . . predictum Adam . . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu officium curatum fore inveneris, ... unam in Wratislauiensi et aliam in Olomucensi ecclesiis predictis prebendas necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura in altera ipsarum ecclesiarum, eciam si ad dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi consueverit quis per eleccionem [assumi], et dignitas ipsa maior post pontificalem in aliqua dictarum ecclesiarum fuerit, et si forsan ita esse non inveneris, ... dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum prebendas et officium sine cura ydoneum esse reppereris . . . ., unam in Wratislauiensi et aliam in Olomucensi ecclesiis predictis prebendas ac officium sine cura dumtaxat in altera ipsarum ecclesiarum, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens, vel cum illas vel illos seu illa vacare contigerit . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Ade . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ipsis Wratislauiensi et Olomucensi ecclesiis receptis vel prebendas ac dignitates, personatus vel officia expectantibus in eisdem, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus prefatum Adam . . . . volumus anteferri . . . ., aut quod idem Adam, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam et altare sine cura s. Laurentii situm in parrochiali ecclesia in Lippa dicte diocesis obtinet, et quod nos dudum sibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Pragensis necnon de dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura, eciam si dignitas ipsa in cathedrali post pontificalem maior aut in collegiata ecclesiis principalis foret, et ad eam quis per eleccionem assumeretur, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, scolastici, archidiaconi et capituli dicte ecclesie Pragensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras sub data quinto idus Novembris pont. n. a. primo [1]) graciose mandavimus provideri. Volumus autem, prout eciam in dictis litteris hoc voluimus, quod prefatus Adam, quamprimum sive presencium sive predictarum litterarum nostrarum vigore dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit pacifice assecutus, predictam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur, quodque relique littere . . . . et quecunque inde secuta, quoad dignitatem, personatum vel officium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Mai a. octavo.

R. Lat. 16 fol. 190[b] — In fine: N. LX DE BENEVENTO — [1]) 1389 Novembris 9.

1155. *Stephano de Újezd reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura vacantia vel vacatura.*

Romae, 1397 Aprilis 24.

Bonifacius . . . . Stephano Johannis de Vgezd clerico Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi, cum quo alias, ut duo beneficia curata seu alias incompatibilia, eciam si parrochiales ecclesie ac dignitates, personatus vel officia forent, usque ad triennium insimul retinere libere et licite valeres, auctoritate apostolica dispensavimus . . . ., consideracione . . . . Sophie Romanorum et Bohemie regine illustris, pro te, dilecto familiari suo domestico continuo commensali, nobis . . . . supplicantis, graciam facere specialem, unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si alterum eorum curatum vel dignitas aut personatus seu officium fuerit, et dignitati huiusmodi cura immineat animarum, et ad eam quis per eleccionem assumatur, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura aut dignitas vel personatus, viginti quinque, si vero sine cura aut officium nec dignitas vel personatus fuerit vel fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, scolastici, custodis, cantoris, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in eadem ecclesia obtinent, ... pertinencia, eciam si alterum beneficiorum huiusmodi canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie fuerit, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in predicta vel collegiata ecclesiis principalis non existat, ... si qua . . . vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint . . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . ; non obstantibus . . . ., si aliqui super proyisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod nos dudum tibi, ut asseris, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . prepositi, decani, scolastici, thesaurarii, custodis, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, sub data V. idus Novembris pont. n. anno primo[1]) per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. octavo.

Simili modo . . . . patriarche Gradensi et . . . . archidiacono Zacensi in ecclesia Pragensi ac officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 48 fol. 174b. Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1]) 1389 Nov. 9.

1156. *Johanni Nazz de Praga providetur de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Pragensis et Vyšehradensis ecclesiarum.*

Romae, 1397 Aprilis 24.

Bonifacius . . . . Johanni Nazz de Praga canonico Pragensi, baccallario in decretis . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi, qui, ut asseritur, rector universitatis studii Paduani existis . . . ., consideracione . . .

Wenczeslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro te, dilecto familiari et capellano suo, nobis . . . . supplicantis, graciam facere specialem, unum in Pragensi et alium in s. Petri Wissegradensi prope Pragam ecclesiis canonicatus . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, ac unam in Pragensi et aliam in s. Petri ecclesiis predictis prebendas, si que vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint . . . ., conferendas tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis aut prebendas expectantibus in eisdem, preterquam . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris . . . . te volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseritur, parrochialem ecclesiam in Libauia Misnensis diocesis obtines, et nuper, videlicet II. idus Novembris pont. n. a. primo[1]), tibi de beneficio ecclesiastico sine cura, ad collacionem . . . . . archiepiscopi et capituli Pragensium ac . . . . prepositi, decani et scolastici dicte ecclesie Pragensis . . . . pertinente, dummodo canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie Pragensis non existeret, vacante seu vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. octavo.

Simili modo . . . . patriarche Anthioceno et episcopo Aquensi ac . . . archipresbytero ecclesie Paduane . . . .

R. Lat. 51 fol. 340 a — In fine: N. XXVI. XXVIII DE BENEVENTO — [1]) 1389 Nov. 12.

1157. *Johanni de Lohn*[a]) *providetur consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu ecclesiae ss. Apostolorum Coloniensis, praebenda vero ipsius ecclesiae necnon beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, subdiaconi, thesaurarii, custodis, cantoris et capituli maioris ecclesiae Coloniensis pertinens, si qua vacant, vel cum vacaverint, ei reservantur. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. octavo". — Simili modo episcopo Aquensi et praeposito s. Georgii ac decano s. Andreae Coloniensis ecclesiarum.*

Romae, 1397 Aprilis 24.

R. Lat. 46. fol. 230c — a) ‚Loen' — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX. XXXII DE BENEVENTO.

1158. *Borchardo de Osten*[a]) *clerico Bremensis dioc. reservatur consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, cantoris, custodis, thesaurarii, scholastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum s. Willehadi Bremensis necnon b. Mariae virginis Hamburgensis Bremensis dioc. ecclesiarum pertinens, si quod vacat,*

vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii pont. a. octavo“. — Simili modo episcopo Perusino et praeposito monasterii s. Georgii Stadensis Bremensis dioc. ac decano ecclesiae Lubicensis.

Romae, 1397 Aprilis 24.

R. Lat. 48 fol. 210[c] — [a]) Ostar – In fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1159. *Magno Smeher rectori parrochialis ecclesiae in Straubing[a]) Ratisbonensis dioc., decretorum doctori,[1]) qui ex utroque parente de militari genere procreatus existit, reservantur consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis unum aut duo vel tria beneficia ecclesiastica, quorum fructus 40 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem Pataviensis et Frisingensis episcoporum et praepositorum, decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Pataviensis et Frisingensis ecclesiarum pertinentia, si qua vacant, vel cum vacaverint. „Nobilitas generis“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. octavo“. — Simili modo Monopolitano et Ratisbonensi episcopis ac abbati monasterii s. Emmerami Ratisbonensis.*

Romae, 1397 Aprilis 24.

R. Lat. 50 fol. 37[c] — [a]) Strubingen – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Magnus Smycher canonicus Augustanus de natione Bavarorum a. 1373 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est (Monum. univ. Prag. II. I. p. 60).

1160. *Nobili viro Hněvkoni de Zbiroh[a]) domicello et Labuteae[b]) eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit „Provenit“. „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Maii a. octavo“.*

Romae, 1397 Aprilis 25.

R. Lat. 45 fol. 172[b] — [a]) Hnyewkoni de Sbyroh – [b]) Labuteze – In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1161. *Indulgentia concessa visitantibus ecclesiam parrochialem s. Mariae virginis in oppido Oppauiensi Olomucensis dioc. annuatim in festivitate nativitatis b. Mariae virginis ad instar concessae visitantibus ecclesiam s. Marci de Venetis Castellanensis dioc. in die ascensionis domini etc. Datum Romae ap. S. Petrum 4. calendas Maii a. 8.*

Romae, 1397 Aprilis 28.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 136“ habetur in codice Vatic. 6952 fol. 180[a].

1162. *Episcopus Olomucensis et abbates monasteriorum b. Mariae in Arena Vratislaviensis ac s. Vincentii extra muros Vratislavienses conservatores Johannis Kyner rectoris parrochialis ecclesiae s. Laurentii in Burg*[a]) *Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 28.

R. Lat. 45 fol. 132[c] — [a]) Borg. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1163. *Nobili viro Przemislao duci Opaviensi*[a]) *et Annae eius uxori licentia eligendi confessorem conceditur. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Aprilis 30.

R. Lat. 45 fol. 199[b] — [a]) Oppavien. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1164. *Volframus archiepiscopus Pragensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1397 Maii 2.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius. . . . . notum facimus], quod reverendus pater dom. Wilfanus dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte partis sui communis servicii ducentos quadraginta sex florenos auri de camera, solidos viginti unum et denarios quinque monete Romane . . . ., et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii viginti unum similes florenos, solidos viginti unum et denarios quinque dicte monete per manus venerabilium virorum dom. Andree plebani Pilgrenis Pragensis diocesis et Nicolai Bor dicti archiepiscopi familiaris solvi fecit . . . .; terminum [faciende solucionis residui . . . .] usque ad festum purificacionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum [Rome ap. s. Petrum a. 1397] die secunda mensis Maii pont. a. octavo

Oblig. et sol. 59 fol. 74[b] — In fine: FL. III GR. III — De eadem solutione in libro „divisionum a. 1389—1399[a]" (Oblig. et sol. 51) mentio fit in haec verba (fol. 115[c]): „[A. 1397] die II[a] mensis Junii (!) reverendus pater dom. Wlfranus archiepiscopus Prangensis (*sic*) pro parte partis sui communis servicii solvit flor. 246, sol. 21, den. 5, et pro minuto flor. 21, sol. 21, den. 5; summa flor. 267, sol. 42, den. 10. Fuit promotus anno septimo dom. Bonifacii (i. e. 1395 $^{9}/_{11}$—1396 $^{8}/_{11}$) . . ."

1165. *Magistro Gerhardo de Thoven canonico Vratislaviensi, scriptori et familiari apostolico, indulgetur, ut in aliquo beneficiorum suorum ecclesiasticorum aut in Romana curia residens vel litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale,*

insistens, fructus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum, etiam si canonicatus et praebendae ac dignitates, personatus vel officia in cathedralibus seu collegiatis, et dignitates ipsae curatae et maiores post pontificales in cathedralibus aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad eas consueverint qui per electionem assumi, cum ea integritate, quoad vixerit, percipere valeat, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet, si in ecclesiis sive locis huiusmodi personaliter resideret. „Grata tue familiaritatis" „Rome ap. S. Petrum sexto nonas Maii a. octavo". — Simili modo patriarchae Gradensi et praepositis s. Georgii Coloniensis ac decano s. Petri Traiectensis ecclesiarum.

Romae, 1397 Maii 2.

R. Lat. 44 fol. 198ᵃ — In fine: PRO SOCIO, N DE BENEVENTO

1166. *Nobili viro Sbislao de Turkow*[a]*) et Sophiae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto nonas Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Maii 2.

R. Lat. 45 fol. 173ᵃ — [a]) Turkaw — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1167. *Obligatio Venceslai patriarchae Anthioceni pro monasterio Cladrubensi.*

Romae, 1397 Maii 5.

[A. 1397 die V. mensis Maii] dominus Wenceslaus patriarcha Antiocenus obligavit se [camere et collegio et promisit pro suo communi servicio] per venerabilem virum dom. Franciscum Cennadie clericum, cappellanum domini nostri pape, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, florenos centum triginta tres et terciam partem alterius de camera, et quinque servicia consueta pro monasterio Cladrubensi ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, quod obtinet in commendam; item recognovit camere tantum florenos similes pro dom. R[aczkone] predecessore suo tantumdem; solvendo totum promissum usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futurum, et recognita in simili festo anno revoluto . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 86ᵃ .

1168. *Mariae et Hodcae*[a]*) monialibus monasterii Aulae b. Mariae in Antiqua Bruna cisterciensis ord. Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor earum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Maii a. octavo".*

Romae, 1397 Maii 11.

R. Lat. 45 fol. 187ᵃ — [a]) Hoczc — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1169. *Henrico abbati monasterii Siloensis[a]) praemonstratensis ord. Pragensis dioc indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. octavo“.*

Romae, 1397 Maii 15.

R. Lat. 45 fol. 171[b] — [a]) Syloens. — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1170. *Francisco de Hofe laico Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Junii a. octavo.“*

Romae, 1397 Maii 25.

R. Lat. 45 fol. 176[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1171. *Confirmatur ordinatio per abbatem et conventum monasterii Opatovicensis capitulariter facta, ut in quadam capella quolibet mane missa in honorem b. Mariae decantetur.*

Romae, 1397 Maii 26.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Justis et honestis supplicum votis, presertim que ad laudem dei genitricis, que advocata omnium Christi fidelium existit, ordinata sunt, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur oportunis. Sane exhibita nobis nuper pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii in Opatheuizt (*sic*) ord. s. Benedicti Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipsi previa deliberacione capitulariter congregati ad laudem gloriose virginis Marie, que continuo pro christiano populo apud eum, quem genuit, intercedit, ordinarunt, ut quolibet mane diluculo in quadam capella, infra septa dicti monasterii sita ac in honorem et sub vocabulo eiusdem b. Marie virginis dedicata, missa de eadem virgine solemniter decantetur, ad quam quidem missam causa devocionis populi multitudo confluit copiosa, et cui capelle pro refeccione monachorum ibidem huiusmodi missam decantancium certi annui redditus deputati existunt. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut predicte ordinacioni robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . ordinacionem predictam ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus . . . . Datum Rome apud S. Petrum septimo kal. Junii a. octavo.

R. Lat. 44 fol. 28[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO

1172. *Omnibus, qui missae in quadam capella monasterii Opatovicensis solemniter celebratae interfuerint, indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1397 Maii 26.

Bonifacius . . . . universis . . . . Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum, virgo dei gloriosa, sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote consideracionis indagine perscrutamur, dum eciam intra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater gracie, misericordie et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil, ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin pocius debitum arbitramur, ut Christi fideles ad eiusdem virginis assiduam veneracionem iugemque memoriam quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis scilicet et remissionibus, invitemus. Hodie siquidem pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii in Opathenicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis nobis exposito, quod olim ipsi . . capitulariter congregati ad laudem gloriose virginis Marie ordinarunt, ut quolibet mane diluculo in quadam cappella infra septa dicti monasterii sita ac in honorem et sub vocabulo eiusdem b. Marie virginis dedicata, missa de eadem virgine sollemniter decantaretur . . . ., et pro parte ipsorum abbatis et conventus nobis humiliter supplicato, ut huiusmodi ordinacioni robur apostolice firmitatis adicere . . . . dignaremur: nos ordinacionem predictam . . . . auctoritate apostolica confirmavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1] Cupientes igitur, ut capella predicta congruis honoribus frequentetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui predicte misse b. Marie de mane, dum ut prefertur cantabitur, devote interfuerint, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod, si alias illis, qui huiusmodi misse interessent, aliqua alia indulgencia, imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Junii pont. n. a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 117. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1] Vide nr. 1171.

1173. *Jacobo [de Ledeč] providetur de perpetua vicaria parrochialis ecclesiae in Alta Muta.*

Romae, 1397 Maii 26.

Bonifacius . . . . Jacobo Martini perpetuo vicario parrochialis ecclesie in Alta Muta Luthomuslensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum . . . ., si secus . . . . contigeret attemptari. Cum itaque postmodum perpetua vicaria parrochialis ecclesie in Alta Muta Luthomuslensis diocesis, quam quondam Johannes Anek . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverit et vacare noscatur ad pre-

sens . . ., nos volentes tibi, qui presbyter es . . . ., graciam facere specialem, vicariam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, altare sine cura s. Catherine situm in parrochiali ecclesia in Czrnycewicz, cuius duarum, obtines, et super altera porcione parrochialis ecclesie in Naczertycz,[1]) per duos solite gubernari rectores, cuius decem, in palacio apostolico litigas,[2]) et nos dudum tibi de parrochiali ecclesia in Lukowa, cuius quatuor marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad . . . . prepositi et conventus monasterii in Chotyessowicz per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord., necnon prepositi decani et capituli Boleslawiensis predicte Luthomuslensis et Pragensis diocesium, ac prepositi, decani et capituli Wyssegradensis Pragensis ecclesiarum collacionem . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . vicariam predictam fueris pacifice assecutus, ecclesiam in Lukowa et porcionem predictas, super qua litigas, ut prefertur, si illam interim evincas, ... omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eisdem ecclesiis ac porcione seu ad eas quomodolibet competenti cedere tenearis, quodque predicta concessionis gracia de huiusmodi beneficio cum cura vel sine cura tibi, ut premittitur, facta et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, exnunc sint cassa et irrita . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal Junii a. octavo.

S i m i l i m o d o . . . Anconitano et Narracensi episcopis ac . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . .

R. Lat. 48 fol. 39[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO. [1] Naćeradec [2]) Cf. nr. 963.

1174. *Nobili mulieri Elizabeth relictae quondam Naszonis, viduae Pragensi, indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Junii a. octavo“.*

Romae, 1397 Maii 27.

R. Lat. 45 fol. 175[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

— — —

1175. *Margarethae relictae quondam Vincentii aurifabri de Brunna, civi Cracoviensi, indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. octavo“.*

Romae, 1397 Maii 29.

R. Lat. 45 fol. 176[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO

1176. *Gotfrido Pribicze presbytero Roskildensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcoporum et capitulorum Lubicensium et Roskildensium pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum kal. Junii a. octavo". — Simili modo Zverinensis et Razeburgensis praepositis ac decano s. Crucis Vratislaviensis ecclesiarum.*

Romae, 1397 Junii 1.

R. Lat. 50 fol. 32ª — In fine PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1177. *Gallo Venceslai de Kostelecz presbytero Pragensis dioc. indulgetur, ut altare portatile ei habere liceat. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum kal Junii pont. n. a. octavo".*

Romae, 1397 Junii 1.

R. Lat. 45 fol. 228ᵇ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1178. *Cum Petro de Vserub dispensatur, ut ovis et lacticiniis etiam diebus prohibitis vesci possit.*

Romae, 1397 Junii 1.

Bonifacius . . . . magistro Petro de Wserob canonico Pragensi, secretario et familiari nostro . . . . Ut eo sedi apostolice te devociorem exhibeas, quo te noveris amplius ipsius gracie ubertate foveri: tibi, qui, ut asseris, propter certam infirmitatem oleo et piscibus commode uti non vales, ut confessor ydoneus, religiosus vel secularis, quem duxeris eligendum, tecum, ut quadragesimalibus et sextis feriis ac aliis diebus, quibus esus ovorum et lacticiniorum est prohibitus de consuetudine vel de iure, ovis et lacticiniis vesci possis — quibuscumque constitucionibus apostolicis ac consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus — auctoritate nostra dispensare valeat, tenore presencium indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Junii pont. n. a. octavo.

Originale membr. sine bulla in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XIX, 27 exstat, cui in tergo inscriptum est: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO].

1179. *Petro de Vserub conceditur, ut pro ecclesiis parrochialibus, quas obtinet et in quibus residere non potest, ad vitam suam annuas pensiones recipere valeat.*

Romae, 1397 Junii 1.

Bonifacius . . . . magistro Petro de Wserob canonico Pragensi, secretario et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Cum itaque, sicut accepimus,

tu certas parrochiales ecclesias ex concessione et dispensacione nostra obtineas, quarum alique de regularium, quedam vero ex eis de secularium personarum iure patronatus existunt, quarum quidem personarum monasteriorum ecclesiis sive locis huiusmodi parrochiales ecclesias incorporavimus, annexuimus et univimus et incorporari, annecti et uniri concessimus, ipsisque personis ecclesias predictas, cum eas vacare contigerit, recipiendi licenciam duximus concedendum, apud quas quidem parrochiales ecclesias commode personaliter residere non potes, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi recipiendi pensiones annuas usque ad vitam tuam ab huiusmodi personis ipsisque personis recipiendi parrochiales ecclesias predictas, cum per liberam resignacionem tuam vacabunt, licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te, qui eciam litterarum apostolicarum corrector ac scriptor et abbreviator existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi recipiendi pensiones huiusmodi pro predictis ecclesiis, quas, ut prefertur, obtines seu eciam imposterum obtinebis, a personis ipsis regularibus, quo umcunque ordinum fuerint, ac eciam secularibus, ipsisque personis recipiendi libere possessionem predictarum parrochialium ecclesiarum ipsasque extunc licite retinendi et possidendi, constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus ac aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, auctoritate apostolica tenore presencium [licenciam] elargimur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum VI. idus Junii pont. n. a. octavo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XIX, 28 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (in plica ad dext.) GRATIS PRO CORRECTORE, JO. DE TREMOSNICZ; (sub plica ad dext.) P. DE BOSCO: (in tergo) R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO].

***1180**. Nicolao de Kamnicz providetur de perpetua vicaria parrochialis ecclesiae in Kozly.*

Romae, 1397 Junii 24.

Bonifacius . . . . Nicolao Mathie de Cammicz perpetuo vicario parrochialis ecclesie in Kozla Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus papa VI. predecessor noster omnia beneficia ecclesiastica . . . . quorumque, per assecucionem pacificam parrochialium ecclesiarum aut aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet per ipsum predecessorem seu auctoritate litterarum suarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum . . . si secus . . . . contigeret attemptari. Postmodum vero perpetua vicaria parrochialis ecclesie in Kozla Pragensis diocesis ex eo vacante, quod . . . . Hermannus Johannis de Humpolcz rector parrochialis ecclesie in Neutomicz dicte diocesis, eandem vicariam tunc obtinens, prefatam ecclesiam in Neutomicz tunc certo modo vacantem, vigore litterarum eiusdem predecessoris sibi collatam, dicto predecessore vivente extitit pacifice assecutus, ipsoque predecessore, per eum de

dicta vicaria non disposito. . . . . rebus humanis exempto, nos . . . . per nostras litteras declaravimus beneficia supradicta, per ipsum predecessorem disposicioni sue reservata et que tempore obitus eiusdem predecessoris sic reservata vacabant, remansisse et remanere per huiusmodi reservacionem et decretum affecta . . . . Cum autem dicta vicaria adhuc . . . . vacare noscatur nullusque de illa preter Romanum pontificem hac vice disponere potuerit sive possit . . . ., nos . . . . dictam vicariam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Julii a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Anconitano et . . . . abbati monasterii in Gredis Olomucensis diocesis ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . .

R Lat. 49 fol. 57a – In fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1181. *Declaratur Petrum de Všerub familiarem apostolicum continuum commensalem, etiam dum a Romana curia absit, censeri debere.*

Romae, 1397 Julii 1.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Apostolice sedis providencia circumspecta quietem et pacem subditorum suorum precipue familiarium solerter exquirens, ea, que sunt dubia et obscura, ne inde lites exurgant et iurgia, sepe, sicut oportunum fore conspicit, dilucidat et declarat Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis in dubium revocetur, an . . . . magister Petrus de Wserob canonicus Pragensis, secretarius et familiaris noster, precipue dum sit absens a Romana curia, ex familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus, obsequiis nostris actu et impresenciarum insistentibus, censeri debeat et ut familiares nostri domestici ac continui commensales, obsequiis nostris actu et impresenciarum insistentes, prerogativa gaudere: nos huiusmodi ambiguitatis dubium summovere volentes, auctoritate apostolica tenore presencium declaramus prefatum Petrum, qui eciam corrector ac scriptor et abbreviator litterarum apostolicarum existit, nostrum domesticum continuum commensalem, eciam dum ipsum a dicta curia abesse qualitercunque contingat, familiarem huiusmodi fore ac esse ipsumque omnibus privilegiis, graciis, prerogativis, libertatibus et immunitatibus frui, gaudere et potiri debere eciam extra dictam curiam, quibus predicti familiares nostri domestici continui commensales, obsequiis nostris actu et impresenciarum [insistentes], fruuntur, gaudent et pociuntur seu eciam frui, gaudere quomodolibet possunt et potiri. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Julii pont. n. a. octavo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XIX. 29 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (in plica ad dext. GRATIS PRO CORRECTORE, JE. DE FERENTINO; (sub plica ad dext.) P. DE BOSCO; (in tergo): R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO].

1182. *Annae dictae Pabianconissae de Nova Pilzna mulieri Pragensis dioc. indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 3.

R. Lat. 45 fol. 229[a]. In fine: N. X DE BENEVENTO.

1183. *Tammichino advocato de Krappitz[a]), laico Vratislaviensis dioc., indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Julii a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 4.

R. Lat. 45 fol. 243[a]. [a]) ‚Trapicz' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1184. *Nobili viro Friczkoni de Magna Rudna militi et Margarethae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut liceat eis habere altare portatile. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum nonis Julii a octavo".*

Romae, 1397 Julii 7.

R. Lat. 45 fol. 229[b]. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1185. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus resignatione perpetuae vicariae in ecclesia s. Crucis Vratislaviensis a Paulo de Schelldorf[a]) recepta, eandem vicariam, quae sine cura est, cuiusque fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, Johanni Wandris presbytero, rectori parrochialis ecclesiae in Boguschowitz[b]) Vratislaviensis dioc., conferat, non obstante, quod dictus Johannes parrochialem ecclesiam praedictam, cuius fructus 5 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Julii pont. n. a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 13.

R. Lat. 49 fol. 178[a]. — [a]) ‚Schellindorf' [b]) ‚Boduschwicz' — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1186. *Cum Nicolao Henslini rectore parrochialis ecclesiae in Budeč[a]) Pragensis dioc., qui in minoribus ordinibus constitutus existit, dispensatur, ut ratione dictae parrochialis ecclesiae usque ad quadriennium a data praesentium ad subdiaconatus et alios superiores ordines se facere promoveri non teneatur. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Julii a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 14.

Orig. cum bulla in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XIX, 51 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: supra plicam ad dext.: A. DE LAUELLO, a tergo: REGISTRATA. N. [DE BENEVENTO] — Registratum in R. Lat. 47 fol. 223b, ubi supra in marg. sin. adscriptum est: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVI DE BENEVENTO — „Budecz".

1187. *Abbates monasteriorum Strahoviensis prope Pragam et s. Vincentii extra muros Vratislavienses ac Lucensis Olomucensis dioc. conservatores magistri et fratrum hospitalis pauperum s. Francisci cruciferorum cum stella in pede pontis Pragensis ord. s. Augustini usque ad decennium instituantur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum idibus Julii a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 15.

R. Lat. 45 fol. 136b — In fine: N. L DE BENEVENTO — Ed. e transsumpto officialis Pragensis ddto 1397 Sept. 22. in Cod. dipl. Moraviae XII p. 369 nr. 408.

1188. *Nobili viro Henrico de Kunstadt a) dicto de Jaispitz b) domicello et Annae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 19.

R. Lat. 45 fol. 181a — a) „Cunstat" b) „Jeuspicz" — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1189. *Nobili viro Petro de Jaispitz a) domicello et Elizabeth eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 19.

R. Lat. 45 fol. 244a — a) „Jeuspicz".

1190. *Johanni Hufnagel oppidano oppidi in Brunna et Clarae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. octavo".*

Romae 1397 Julii 19.

R. Lat. 45 fol. 181a — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1191. *Johannes episcopus Lubucensis ad ecclesiam Olomucensem, per obitum Nicolai episcopi Olomucensis extra Romanam curiam defuncti* [1]) *vacantem et antea dispositioni apostolicae reservatam, transfertur eique in episcopum praeficitur. „Romani pontificis“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Augusti a. octavo. — Simili modo: 1. capitulo ecclesiae Olomucensis; 2. clero civitatis et diocesis Olomucensium; 3. populo civitatis et diocesis Olomucensium; 4. universis vasallis ecclesiae Olomucensis; 5. archiepiscopo Pragensi „Ad cumulum“; 6. Vencestao regi Romanorum „Gracie divine“.*

Romae, 1397 Julii 20.

R. Lat. 44 fol. 254b — In fine: N. XXII . XI . XI XI . XI . XI . XI DE BENEVENTO — Bulla archiepiscopo Pragensi directa, cuius originale in archivio archiepiscopali Pragensi exstat, in Cod. diplom. Moraviae XII p. 371 nr. 409 edita est. — [1]) Nicolaus de Riesenburg episcopus Olomucensis d. 6 vel 9 Junii 1397 obiit.

1192. *Zdenkoni* [a]) *magistro generali cruciferorum cum stella ord. s. Augustini indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo totiens, quotiens ipsi Zdenkoni placuerit et fuerit oportunum, plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum X. kal. Augusti a. octavo“.*

Romae, 1397 Julii 23.

R. Lat. 45 fol. 181a — a) ‚Sdenkoni‘ - In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1193. *Obligatio Johannis episcopi Olomucensis.*

Romae, 1397 Julii 27.

[A. 1397], indiccione V., die XXVII. mensis Julii reverendus in Chr. pater dom. Johannes dei gracia episcopus Olomucensis obligavit se camere et collegio, et promisit pro suo communi servicio per venerabilem virum magistrum Zavissium de Zahap canonicum Olomucensem, suum procuratorem ad hoc legitime constitutum, florenos auri de camera tria milia et quingentos et quinque servicia consueta: item recognovit pro dom. Nicolao predecessore suo tria milia et trecentos quinquaginta similes florenos et quinque servicia consueta pro trimilibus et quingentis florenis; solvendo medietatem promissi ad festum nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futurum et alteram medietatem in festo assumpcionis b. Marie virginis extunc proxime secuturo, et recognita in similibus terminis annis revolutis. Nichilominus predicti procuratores obligaverunt se ipsos tamquam principales et promiserunt portari sufficiencius mandatum ad primum terminum.

Oblig. et sol. 52 fol. 88b.

1194. *Nicolao Goslowicz de Opol laico et Elizabeth eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Augusti a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 30.

R. Lat. 45 fol. 244a — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1195. *Elizabeth relictae quondam Hankonis de Goslowicz, mulieri Vratislaviensis dioc., indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum III. kal. [Augusti,* a) *a. octavo".*

Romae, 1397 Julii 30.

R. Lat. 45 fol. 244a — a) Suppletum ab editore — In fine: N. X DE BENEVENTO

1196. *Nobili viro Bernhardo duci Opoliensi indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Augusti a. octavo".*

Rome, 1397 Augusti 12.

R. Lat. 45 fol. 244b — In fine: N. X DE BENEVENTO

1197. *Margarethae Mathiae ‚Magirinthe' oppidani oppidi in Ratibor*a) *Vratislaviensis dioc. uxori indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum idibus Augusti a. octavo".*

Romae, 1397 Augusti 13.

R. Lat. 45 fol. 182a — a) ‚Rathibor' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1198. *Obligatio Vernerii abbatis Cladrubensis.*

Romae, 1397 Augusti 30.

Indiccione VIta [die XXX. mensis Augusti a. 1397] venerabilis pater dominus frater Vernerius abbas monasterii Cladruuensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis per venerabilem virum dom. Nicolaum de Wolauia prepositum s. Egidii Wratislauiensis, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio centum triginta tres florenos auri de camera et terciam partem alterius similis floreni et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Rackonis

predecessoris sui tantumdem, et si et in quantum invenitur ipsum non solvisse, et quinque servicia consueta; solvendo medietatem [promissi in festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futuro et aliam medietatem in festo pentecosten extunc proxime secuturo] et recognitum anno revoluto in similibus terminis successive . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 105b

1199. *Nicolao Bernhari canonico Vratislaviensi, qui alias scriptor litterarum apostolicarum fuit, conceditur, ut beneficia ecclesiastica, quae obtinet aut obtinebit, ex causa permutationis pro aliis beneficiis ecclesiasticis in manibus cuiuscunque loci ordinarii, quotienscunque ei placuerit, resignare possit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo kal. Septembris a. octavo*“.

Romae, 1397 Augusti 31.

R. Lat. 47 fol. 123b — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1200. *Cum Andrea Nicolai dispensatur, ut decanatum ecclesiae Olomucensis una cum parrochiali ecclesia in Biteš, quoad vixerit, retinere eaque pro aliis beneficiis ecclesiasticis permutare possit.*

Romae, 1397 Septembris 2 (?).

Bonifacius . . . . Andree Nicolai decano ecclesie Olomucensis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de uno cum cura vel sine cura, cuius viginti quinque . . . . et de alio sine cura, cuius decem et octo marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excederent, ... ad quorumcunque collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, in civitate vel diocesi Olomucensibus vacantibus vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri; et nichilominus tecum, ut dignitatem vel personatum seu officium vel beneficium curatum . . . . recipere et usque ad triennium cum decanatu ecclesie Olomucensis, qui dignitas curata, electiva et maior post pontificalem in ipsa ecclesia Olomucensi existebat, prout existit, et quem tunc temporis obtinebas, prout obtines retinere libere et licite valeres, dispensavimus, ita tamen, quod alterum ex huiusmodi decanatu et dignitate vel personatu seu officio vel beneficio curato infra huiusmodi triennium pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin decanatum predictum . . . . omnino dimittere tenereris.[1]) Et deinde, postquam tu parrochialem ecclesiam inHenrichs alias in Bitess dicte diocesis tunc vacantem, dictarum litterarum vigore tibi collatam, fueras assecutus, ac eciam una cum dicto decanatu aliquamdiu, nondum tamen per triennium, tenueras et possederas pacifice et quiete, nos tibi prefatum triennium usque ad quinquennium a fine eiusdem triennii computandum duximus graciose prorogandum . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, prefatum quinquennium nondum lapsum fuerit, nos . . . . tecum, ut eundem decanatum una

cum dicta parrochiali ecclesia, eciam quoad vixeris, insimul retinere, ac ipsos decanatum et parrochialem ecclesiam et quemlibet ipsorum simul vel successive ac tociens, quociens tibi expedierit, ex causa permutacionis dimittere, et le dimissi vel dimissorum .... alia .... beneficia ecclesiastica ...., duo tantum incompatibilia, eciam si dignitates, personatus seu officia cum cura vel sine cura, et dignitates ipse in cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales fuerint, et ad eas consueverint qui per electionem assumi, recipere et similiter, quoad vivas, retinere libere et licite possis, ... auctoritate apostolica .... dispensamus .. .; non obstantibus predictis decanatu et parrochiali ecclesia ac [quod] in Olomucensi et in s. Petri in Brunna dicte Olomucensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus .... quinquaginta marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere .. . Datum Rome apud S. Petrum duodecimo[a]) idus Septembris a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 80[b] — [a]) Correctum in marg. ex ‚sexto' adiuncta nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento" — In fine: N. XXX DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 618.

1201. *Episcopo Concordiensi et abbati in Aula Regia ac decano ecclesiae Vyšehradensis*[a]) *Pragensis dioc. mandatur, quatenus Nicolao de Jaroměř*[b]*, canonico monasterii Strahoviensis alias Montis Sion Pragensis praemonstratensis ordinis, capellano apostolico, conferant parrochialem ecclesiam in Monte Kíp*[c] *‚plebs' mancupatam Pragensis dioc., quae de iure patronatus dicti monasterii existit et per clericos saeculares gubernari consuevit, cuiusque fructus 28 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per mortem Laurentii dicti Lauryn extra Romanam curiam defuncti. „Grata dilecti" „Romae ap. S. Petrum nonis Septembris a. octavo".*

Romae, 1397 Septembris 5.

R. Lat. 48 fol. 126[a] — [a]) ‚Wissegraden' [b]) ‚Jaromier' [c]) ‚Rzip' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1202. *Johanni de Borsnicz providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Aegidii Pragensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 5.

Bonifacius .... magistro Johanni de Borsnicz canonico Pragensi, decretorum doctori, cappellano et familiari nostro .... Grata tue familiaritatis .... Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica .... apud sedem apostolicam vacancia .... disposicioni nostre reservantes, decrevimus irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, quos quondam Wenceslaus de Misa .... obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui apud dictam sedem decessit, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad pre-

sens . . . , nos volentes tibi, qui causarum palacii apostolici auditor existis, e cum quo nuper, ut asseritur, ut dignitatem vel personatum seu curatum officium maioris . . . . recipere et una cum decanatu s. Crucis Wratislauiensis ecclesiarum, qui curatus et dignitas est, et quem tunc temporis obtinebas, prout obtines, quousque viveres, retinere, et unum illorum ex causa permutacionis dimittere et loco dimissi aliud simile vel dissimile, eciam cum eorum altero incompatibile, eciam si dignitas personatus vel officium foret, recipere et similiter, quoad viveres, insimul retinere libere et licite posses, duximus dispensandum . . . ., graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum necnon canonicatus et prebende ecclesie Wissegradensis Pragensis, de quibus eciam hodie certo modo vacantibus tibi per alias nostras litteras provideri mandavimus, fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus[1]) . . . .; non obstantibus . . . . quibuscunque constitucionibus apostolicis et presertim . . . . Urbani pp. V. . . . ., qua prohiberi dicitur, quod nullus in civitate Pragensi aut eius suburbiis plures canonicatus et prebendas insimul retinere valeat . . . ., seu quod hodie tibi, ut prefertur, de canonicatu et prebenda in Wissegradensi per alias nostras litteras provideri mandavimus, et, ut asseris, in s. Crucis predictis decanatum, qui curatus et dignitas est, et in maiori Pragensi et in Olomucensi ac in Gneznensi necnon in dicta maiori cum archidiaconatu, qui eciam curatus et dignitas est, et in s. Egidii Wratislauiensi ac in s. Crucis Opoliensi et in b. Marie Glogouiensi Wratislauiensis diocesis cum prebendis, quorum omnium fructus . . . . centum et sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, necnon auctoritate quarundam litterarum nostrarum in Poznaniensi et in Wladislauiensi ecclesiis sub expectacionibus prebendarum canonicatus canonice nosceris obtinere . . . .[2]) Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris pont. a. octavo.

Simili modo . . . . preposito s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis et Witkoni dicto Wideck canonico Pragensis ecclesiarum ac officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 51 fol. 245[1] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 1203—1205, 1209 [2]) Cf. nros. 197, 240, 382, 568.

1203. *Johanni de Tremošnicz providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Aegidii Pragensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 5.

Bonifacius . . . . Johanni Petri de Tremosnicz canonico ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica apud sedem apostolicam vacancia . . . . disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, quos quondam Wenceslaus de Misa . . . .

obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui apud dictam sedem diem clausit extremum, apud ipsam sedem vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui litteras apostolicas de mandato nostro scribis . . ., graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus[1]) . . . .; non obstantibus . . . ., statuto et ordinacione . . . . Urbani pp. V. . . . ., quibus caveri dicitur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eius duos canonicatus et prebendas vel plures simul obtinere possit . . . ., seu quod, ut asseris, super maioris cum archidiaconatu Lithomericensi in eadem et super s. Petri Wissegradensis Pragensis canonicatibus et prebendis in palacio apostolico litigas[2]) et plebaniam dicte s. Egidii,[3]) quam per assecucionem pacificam prefati archidiaconatus dimittere teneris, et quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtines, et nos dudum tibi de canonicatu sub expectacione prebende Olomucensis ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . predicti archiepiscopi [Pragensis] et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum eiusdem maioris ecclesiarum . . . pertinente, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . canonicatum et prebendam ecclesie s. Egidii fueris pacifice assecutus, eandem plebaniam, si eam interim non dimitteres, ... omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Pennensi et . . . . abbati monasterii Aule Regie Pragensis diocesis ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . .

R. Lat. 51 fol. 216[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 1202, 1204, 1205, 1209 [2]) Cf. nr. 969 [3]) Cf. nr. 438.

***1204**. Závišio de Zap providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Aegidii Pragensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 6.

Bonifacius . . . . Zawissio de Zap canonico ecclesie s. Egidii Pragensis magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, quos quondam Wenceslaus de Misa . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui apud sedem ipsam decessit, apud sedem eandem vacaverint et vacare noscantur ad presens, . . . nos volentes tibi, qui, ut asseris, per triennium et ultra in iure canonico studuisti, ... graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., apo-

stolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .;[1]) non obstantibus constitucione . . . . Urbani pp V., qua caveri dicitur, quod nullus in civitate Pragensi vel in suburbiis eius duos aut plures canonicatus et prebendas obtinere possit . . . ., seu quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Prachaticz Pragensis diocesis et canonicatum ac prebendam Olomucensis, quorum viginti septem, obtines, et nos dudum tibi de canonicatu et prebenda tunc certo modo vacaturis, quorum triginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, graciose concessimus, necnon de uno vel duobus . . . . beneficiis ecclesiasticis . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, ad collacionem . . . . archiepiscopi [Pragensis] et . . . . prepositi, decani et capituli dicte maioris ac prepositi, decani et capituli s. Petri Wissegradensis Pragensium ecclesiarum . . . . pertinente seu pertinentibus, eciam si alterum ipsorum curatum seu canonicatus et prebenda aut dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in altera ipsarum ecclesiarum, et dignitas ipsa in maiori post pontificalem maior aut in aliqua alia collegiata ecclesiis principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, in cuius seu quorum assecucione omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris te voluimus anteferri, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, quodque nos tecum, ut beneficium curatum aut dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi . . . . recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad biennium retinere ac interim alteram vel alterum ex eis pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliqua vel reliquo compatibili permutare libere et licite valeres, auctoritate apostolica duximus dispensandum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Septembris pont. n. a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . archidiacono Pilzenensi in ecclesia Pragensi ac officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 51 fol. 170a. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1202, 1203, 1205, 1209.

***1205**. Johanni de Borsnicz providetur motu proprio de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Aegidii Pragensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 6.

Bonifacius . . . . magistro Johanni de Borsnicz canonico ecclesie s. Egidii Pragensis, decretorum doctori, capellano ac familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . disposicioni nostre reservantes . . . ., decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, quos quondam Wenceslaus de Misa . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui apud dictam sedem decessit, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui eciam causarum palacii apostolici auditor existis, et cui eciam heri ad tui instanciam de eisdem cano-

nicatu et prebenda, tunc, ut prefertur, per dicti Wenceslai obitum, ut dicebatur, vacantibus, licet idem Wenceslaus tunc adhuc tempore collacionis tibi facte, ut a nonnullis asseritur, ageret in humanis, providimus . . . .[1]) graciam facere specialem, motu proprio . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., sive prefatus Wenceslaus heri ut prefertur, sive postea decesserit, ... constitucione fel. rec. Gregorii pp. XI. predecessoris nostri super hoc edita non obstante,[2]) apostolica tibi auctoritate conferimus ac de illis eciam providemus . . . ., non obstantibus . . . . quibuscunque constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, et presertim . . . . Urbani pp V. . . . , qua prohiberi dicitur, quod nullus in civitate Pragensi aut eius suburbiis plures canonicatus et prebendas insimul retinere valeat . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Septembris a. octavo.

Simili modo . . . . preposito s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis et Witkoni dicto Witek canonico Pragensis ecclesiarum ac . . . officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 46 fol. 88a. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1202—1204, 1209. — [2]) Vide ap. Ottenthal, Die päpstl. Karzleiregeln, Reg. Greg. XI. nr. 80.

1206. *Praeposito ecclesiae Omnium Sanctorum Viennensis Pataviensis diocesis mandatur, quatenus Friderico rectori parrochialis ecclesiae in Gars eiusdem dioc., baccalario in decretis, de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Pataviensis et Olomucensis ecclesiarum prouideat, in quorum assecutione dictus Fridericus omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos debet anteferri, ‚Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Octobris a. octavo'.*

Romae, 1397 Septembris 14.

R. Lat. 51 fol. 351a. — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1207. *Abbati in Baumgartenberg mandatur, quatenus permutationes infrascriptarum parrochialium ecclesiarum, quas earum rectores invicem facere proponunt, auctoritate apostolica admittat.*

Romae, 1397 Septembris 17.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Pawnagartenberge Patauiensis diocesis . . . . Apostolice sedis circumspecta benignitas . . . . Dudum siquidem pro parte . . . . prepositi et conventus monasterii s. Floriani de Sancto Floriano per prepositum soliti gubernari ord s. Augustini Patauiensis diocesis nobis exposito, quod, licet olim in Weklapruk cum hospitali pauperum sibi annexo et in Reyd et in Waldchrichen Patauiensis diocesis parrochiales ecclesie, que de iure patronatus eiusdem monasterii existebant, pro t existunt, prefato

monasterio . . . [auctoritate] ordinaria incorporate forent, tamen incorporaciones ipse . . . . inconsumpte dicebantur. . . . ac pro parte eorundem prepositi et conventus nobis humiliter supplicato, ut easdem ecclesias predicto monasterio de novo . . . . incorporare . . . . dignaremur: nos . . . . prefatas ecclesias . . . . eidem monasterio auctoritate apostolica imperpetuum incorporavimus . . . . , ita quod cedentibus vel decedentibus predictarum ecclesiarum rectoribus . . . . liceret dictis preposito et conventui corporalem possessionem earundem ecclesiarum libere apprehendere . . . . , quodque iidem prepositus et conventus ecclesias ipsas et curam animarum parrochianorum earundem per ydoneos canonicos eiusdem monasterii ad solum nutum prepositi pro tempore dicti monasterii ponendos et canonicos ipsos ad claustrum eiusdem monasterii revocandos et alias amovendos regi facere ac . . . . onera rectoribus . . . . ipsarum ecclesiarum . . . . incumbencia in omnibus tenerentur supportare. Et deinde pro parte dictorum prepositi et conventus nobis significato, quod . . . . Nicolaus in Weklabruk cum hospitali huiusmodi et Martinus in Reyd ac Crisogonus in Waldchirchin ecclesiarum predictarum rectores . . . . ad finem, ut . . . . incorporaciones huiusmodi celerius et efficacius sortirentur effectum, quilibet videlicet eorum sue ex ecclesiis predictis, quam obtinebat, prout obtinet, ... cedere proponebat: nos eisdem preposito et conventui cessiones huiusmodi a prefatis rectoribus . . . . auctoritate predicta recipiendi . . . . concessimus eadem auctoritate facultatem, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque prefati rectores ecclesias eorum huiusmodi, ad id dictorum prepositi et conventus accedente consensu, cum . . . . Johanne de Senging in Wuldesdorf et Wenceslao Thyem in Lasperg ac Stephano de Cuczesdorf[1]) in Oczpach dicte diocesis parrochialium ecclesiarum rectoribus, Nicolaus videlicet in Veklapruk cum hospitali huiusmodi et Johannes in Wuldesdorf ac Martinus in Ryed et Wenceslaus in Lasperg necnon Crisogonus in Waldchirchin et Stephanus predicti in Oczpach ecclesias huiusmodi, quas obtinent, desiderent . . . . invicem permutare: nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus ab eisdem Nicolao et Johanne necnon Martino et Wenceslao ac Crisogono et Stephano . . . . resignaciones dictarum ecclesiarum . . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, eisque per te receptis et admissis, Nicolao in Wuldesdorf, cuius viginti quinque, et Johanni in Veklapruk cum hospitali huiusmodi, cuius eciam viginti quinque, ac Martino in Lasperg, cuius viginti, et Wenceslao in Reyd, cuius eciam viginti, necnon Crisogono in Oczpach, cuius eciam viginti, et Stephano predictis in Waldchirchin ecclesias prefatas, cuius eciam viginti marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., auctoritate nostra conferas et assignes . . . . . ; non obstantibus . . . . , quod Nicolaus, ut asseritur, in Ardacensi dicte diocesis, cuius quinque, et Johannes canonice in Patauiensi[2]) cum decanatu, qui dignitas curata existit, et in Wratislauiensi ac in Ratisponensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac parrochialem ecclesiam in Nelib et altare s. Johannis situm in parrochiali ecclesia in Stayn predicte Patauiensis et Aquilegensis diocesium ac capellam s. Johannis sitam in curia archiepiscopali Salczburgensi, que quidem altare et capella sine cura sunt, ac Wenceslaus prefati capellam eciam sine cura s. Anne sitam in cimiterio parrochialis ecclesie in Lincz, cuius octo, obtinent, et dudum Johanni de capella eciam sine cura s. Johannis in Juderburg Patauiensis [diocesis], cuius ac dictorum

Patauiensis cum decanatu et Wratislauiensis ac Ratisponensis canonicatuum et prebendarum et ecclesie in Nylib ac altaris ac capelle s. Johannis in curia archiepiscopali ducentarum et sexaginta, tunc certo modo vacante, auctoritate apostolica fuit provisum, et quod nuper idem Johannes auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas sibi de maioris et s. Petri Wissegradensis Pragensis ac Olumocensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura alicuius earundem cum prerogativa antelacionis duximus providendum, maioris et Olomucensis predictarum canonicatus et prebendas tunc certis modis vacantes, quorum quadraginta, infra tempus legitimum acceptavit, et de illis sibi obtinuit provideri, et nos dudum . . . . Wenceslao de canonicatu et prebenda predicte Ratisponensis ac capella eciam sine cura ss. Bartholomei et Marie Magdalene sita in cimiterio parrochialis s. Martini in Newenburga Claustrali ecclesiarum,[3]) quorum omnium decem et octo marcharum argenti fructus . . . . [valorem annuum non excedunt], tunc certis modis vacantibus, necnon de uno cum cura vel sine cura eciam cum prerogativa antelacionis ad dictorum episcopi, prepositi, decani et capituli ac . . . . abbatis et conventus monasterii in Medlico ord. s. Benedicti eiusdem Patauiensis diocesis[4]) ac de alio sine cura ad eorundem episcopi, prepositi, decani et capituli collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac dudum cum eodem Wenceslao, ut duo beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura forent . . . ., recipere et usque ad triennium insimul retinere illaque interim ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens sibi videbitur, dimittere et loco . . . . dimissorum alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere libere et licite valeret, ita tamen, quod alterum ex duobus incompatibilibus huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra dictum triennium permutare teneretur, graciose duximus dispensandum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Octobris a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 77[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Entzersdorf. [2]) Cf. nr. 450. [3]) Vide nr. 991. [4]) Nr. 1026.

1208. *Praeposito et conventui s. Floriani de S. Floriano ord. s. Augustini Pataviensis dioc. conceditur, ut a Johanne de Senging capellano et familiari apostolico ac Venceslao Thiem ac Stephano de Entzersdorf, parrochiales ecclesias in Vöcklabruck et in Ried et in Waldkirchen, quas ex causa permutationis pro suis prioribus ecclesiis sunt assecuti,[1]) ad eum finem, ut praedicto monasterio incorporentur, resignare volentibus, huiusmodi resignationes recipere et, assignatis de fructibus dictarum ecclesiarum praefatis Johanni, Venceslao et Stephano congruis portionibus, de quibus ad vitam suam valeant sustentari, corporalem possessionem earundem ecclesiarum apprehendere possint. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Octobris a. octavo“.*

Romae, 1397 Septembris 17.

R. Lat. 17 fol. 74ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1207.

1209. *Georgio de Jevíčko providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Aegidii Pragensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 18.

Bonifacius . . . . Georgio Bysunti de Gewiczka canonico ecclesie s. Egidii Pragensis, bacallario in decretis . . . . Litterarum sciencia, vite . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Et deinde canonicatu et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, quos quondam Wenczeslaus de Misa . . . obtinebat, per eiusdem Wenczeslai obitum, qui apud dictam sedem diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacantibus, nos de ipsis canonicatu et prebenda, sic vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, ... magistro Johanni de Borsniez olim eiusdem ecclesie canonico, capellano nostro, per nostras [litteras] graciose duximus providendum, prout in nostris litteris plenius continetur; [1]) cum itaque postmodum dicti canonicatus et prebenda per liberam resignacionem prefati Johannis, qui eciam causarum palacii apostolici auditor existit, per ipsum de illis, ipsorum possessione per eum non habita, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem predictam vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui eciam, ut asseris, magister in artibus existis, . . . graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sedecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . .; non obstantibus si forsan de persona prefati Johannis alicui cathedrali ecclesie iam vacanti per nos imposterum provideri contigerit,[2]) ac statuto fel. rec. Urbani pp. V. . . . ., quo cavetur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit . . . ., seu quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Hoffino necnon canonicatum et prebendam s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis obtines, et nos nuper tibi de canonicatu et prebenda s. Petri Wissegradensis Pragensis ecclesiarum, quorum omnium fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, per nostras litteras graciose mandavimus, et dudum de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, eciam si canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie seu dignitas, personatus vel officium foret, graciose concessimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Octobris a. octavo.

Simili modo . . . . patriarche Antiocheno et episcopo Concordiensi ac . . . . officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 51 fol. 271a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1202—1205. [2]) Cf. nr. 1211.

1210. *Georgio [de Jevíčko] providetur de canonicatu et prebenda in ecclesia b. Mariae Glogoviensi vacantibus.*

Romae, 1397 Septembris 22.

Bonifacius .... Georgio Bisunti canonico ecclesie b. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, bacallario in iure canonico .... Litterarum sciencia, vite .... Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica .... apud sedem apostolicam vacancia ..... disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie b. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis per liberam resignacionem .... magistri Johannis de Borsnicz capellani nostri et causarum palacii apostolici auditoris, per eum de illis .... in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem predictam vacaverint et vacent ad presens ...., nos volentes tibi, qui eciam magister in artibus existis, ... graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... quindecim marcharum argenti puri .... valorem annuum ... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus ....; non obstantibus, si forsan de persona prefati Johannis alicui cathedrali ecclesie iam vacanti per nos imposterum provideri contigerit [1]) ...., seu quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Hoflino necnon canonicatum et prebendam in s. Petri Brunnensi Olomucensis diocesis obtines, et nos nuper tibi de s. Egidii Pragensis per quasdam providimus [2]), necnon de s. Petri Wissegradensis prope Pragam ecclesiarum canonicatibus et prebendis tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus .... sexaginta marcharum argenti valorem annuum non excedunt, per alias nostras litteras mandavimus necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem .... episcopi Olomucensis et .. . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis, eciam si canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis aut dignitas seu personatus vel officium foret, ... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. octavo.

Simili modo .... episcopo Concordiensi et .... scolastico ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi ....

R. Lat. 51 fol. 270a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1211. [2]) Cf. nr. 1209.

1211. *Johannes de Borsnicz ecclesiae Lubucensi in episcopum praeficitur.*

Romae, 1397 Septembris 24.

Bonifacius . . . . Johanni de Borsnicz electo Lubucensi . . . . Apostolatus officium . . . . Sane ecclesia Lubucensi ex eo pastoris solacio destituta, quod nos nuper . . . . Johannem Olomucensem, tunc Lubucensem episcopum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Olomucensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie Olomucensi in episcopum et pastorem,[1]) nos attendentes, quod de provisione ipsius ecclesie Lubucensis nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest pro eo, quod nos diu ante vacacionem eiusdem ecclesie Lubucensis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium, tunc vacancium et inantea vacaturarum per translaciones per nos faciendas imposterum de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias cathedrales ecclesias tunc vacantes et inantea vacaturas, ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari, et . . . . post deliberacionem, quam . . . . cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, canonicum Pragensem, decretorem doctorem, cappellanum nostrum et causarum palacii apostolici auditorem, in sacerdocio constitutum . . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem Lubucensi ecclesie auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. octavo.

Simili modo . . . . capitulo ecclesie Lubucensis . . . .

Simili modo . . . . clero civitatis et diocesis Lubucensium . . . .

Simili modo . . . . populo civitatis et diocesis Lubucensium . . .

Simili modo . . . . universis vassallis ecclesie Lubucensis . . . .

Simili modo . . . . archiepiscopo Gneznensi . . . Ad cumulum tue . . . .

Simili modo . . . . Wenceslao regi Romanorum illustri . . . Gracie divine . . . .

R. Lat. 45 fol. 265a — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX. X. X. X. X. X. X DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 1191.

1212. *Decano Olomucensi mandatur motu proprio, quatenus Laczkoni de Kravař reservet canonicatus et praebendas Vratislaviensis cum archidiaconatu ac Pragensis, Gneznensis, Olomucensis, Glogoviensis et Opoliensis ecclesiarum, per consecrationem Johannis de Borsnicz electi Lubucensis vacaturos.*

Romae, 1397 Septembris 24.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Olomucensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque Wratislauiensis cum archidiaconatu ac Pragensis et Gneznensis ac Olomucensis necnon Glogouiensis et Opoliensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebende, quos . . . . Johannes de Borsnicz electus Lubucensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Lubucensem tunc vacantem obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecra-

cionis impendendum eidem vacare sperentur[1], nos volentes . . . . Laczkonem [illegible] Crawar presbyterum Olomucensis diocesis, qui, ut asseritur, ex utroque parentum baronum genere procreatus existit et vicesimum quintum sue etatis annum nondum dicitur attigisse, ... favore prosequi gracioso, motu proprio . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si archidiaconatus predictus curatus aut dignitas sit et per diligentem examinacionem eundem Laczkonem bene legere . . . et bene cantare . . . et alias ydoneum ad eundem archidiaconatum obtinendum esse inveneris, vel eciam si idem Laczko non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret . . . ., quod infra annum . . . . bene cantare addiscet, canonicatus et prebendas ac archidiaconatum predictos, eciam si archidiaconatus ipse curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in eadem Wratislauiensi ecclesia existat, et si forsan ita esse non inveneris, dictusque archidiaconatus curatus aut dignitas non sit, ac ipse Laczko non bene cantet et non iuraverit ut prefertur, dummodo ipsum alias . . . ad obtinendum canonicatus et prebendas ac archidiaconatum predictos ydoneum esse reppereris . . . . . canonicatus et prebendas ac archidiaconatum prefatos, eciam si ad ipsum archidiaconatum consueverit quis per eleccionem assumi, quorum omnium fructus . . . . centum et quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendos prefato Laczkoni . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Laczko, ut asseritur, patitur in etate defectum, cum, ut prefertur, vicesimum quintum sue etatis annum nondum dicitur attigisse. Nos enim cum eodem Laczkone, ut prefatum archidiaconatum, eciam si curatus et dignitas sit, ... recipere et retinere . . . possit, predicto defectu . . . . et aliis contrariis quibuscunque nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . motu simili dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. octavo.

R. Lat. 51 fol. 81[v] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1] Cf. autem nr. 1210 et 1213.

1213. *Praeposito ecclesiae Gluszynensis*[a] *mandatur, quatenus Nicolao Alberti de Gorka*[b] *cancellario ecclesiae Poznaniensis reservet canonicatum et praebendam ecclesiae Gneznensis, qui in causa, contra eum per Johannem de Borsnicz*[c] *mota et in palatio apostolico aliquandiu ventilata, eidem Johanni adiudicati sunt, sed per consecrationem dicti Johannis, qui ante huiusmodi sententiae executionem ecclesiae Lubucensi in episcopum est praefectus, vacare sperantur.*[1] *„Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. octavo“.*

Romae, 1397 Septembris 24.

R. Lat. 51 fol. 151[a] — [a]) ‚Glusszynen'. [b]) ‚Gorga'. [c]) ‚Bursnicz'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1212.

1214. *Applicatio bonorum domus Rubi b. Mariae carthusiensis ord. Litomyšlensis dioc., a quondam Alberto episcopo Litomyšlensi constructae et dotatae.*[1] *sed non*

secundum dicti ordinis consuetudinem fundatae seu locatae, domui Vallis Josaphat praefati ord. Olomucensis dioc., per generale capitulum ordinis eiusdem ordinata,[2]) *confirmatur.* „*Cartusiensis ordinis*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto nonas Octobris a. octavo*“.

Romae, 1397 Octobris 2.

R. Lat. 47 fol. 210[1] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO. Ed. Pez, Thesaurus anecdotorum VI p. 114 nr. 77 et iterum Cod. diplom. Moraviae XII. p. 383 nr. 424. — [1]) Vide litteras eiusdem episcopi ddto. 1378 Dec. 24 in Cod. dipl. Mor. XI. p. 122 nr. 133. [2]) Cf. ordinationem huiusmodi ddto. 1389 Junii 15 in Cod. dipl. Mor. XI. p. 467 nr. 553.

1215. Obligatio Johannis de Borsnicz episcopi Lubucensis.

Romae, 1397 Octobris 3.

Indiccione V. [a. 1397] die tercia mensis Octobris reverendus pater dom. Johannes Boznic (*sic*) electus in episcopum Lubucensem coram reverendo in Chr. patre dom. C[onrado] . . . . archiepiscopo Nicosiensi, domini nostri pape camerario, ... personaliter promisit camere et collegio pro suo communi servicio trecentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit pro dom. Johanne predecessore suo alios trecentos similes florenos et quinque servicia consueta; item recognovit pro dom. Vinceslao antepredecessore septuaginta novem similes florenos, solidos quadraginta duos monete Romane, et servicia pro rata; solvendo medietatem promissi in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futuro et aliam medietatem in festo omnium sanctorum extunc proxime secuturo, et recognita in similibus terminis annis revolutis . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 92[b].

1216. Francisco s. Susannae cardinali conceditur, ut integros fructus canonicatus et praebendae ecclesiae Vratislaviensis perinde percipere possit, ac si ordinatio super aequalitate praebendarum eiusdem ecclesiae non exsisteret.

Romae, 1397 Octobris 6.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Romani pontificis providencia circumspecta nonnumquam eciam per eum concessa confirmat, interdum vero, prout oportunum esse conspicit et personarum et locorum et temporum qualitas exigit et utilitas persuadet, vel in totum tollit vel illis moderaminis diligenciam interponit. Dudum siquidem pro parte . . . . Wenceslai episcopi et . . . . capituli Wratislauiensium nobis . . . . humiliter supplicato, ut equalitatem prebendarum in dicta ecclesia instituere ipsamque ecclesiam statutis racionabilibus reformare dignaremur, nos . . . . Johanni episcopo Lubucensi per nostras litteras commisimus et mandavimus, ut ad eandem ecclesiam personaliter accederet et . . . cum consensu episcopi Wratislauiensis, qui esset pro tempore, et dictorum capituli

equalitatem prebendarum huiusmodi auctoritate nostra in dicta ecclesia instituere . . . .[1]) Et deinde pro parte dictorum episcopi Wratislauiensis et capituli nobis significato, quod prefatus Johannes pretextu earundem litterarum statuerat, ut canonici, tunc prebendas in eadem ecclesia obtinentes, corpora prebendarum huiusmodi, quoad viverent, tenere valerent, et quociens aliquem ex ipsis cedere vel decedere contingeret, successor ad huiusmodi prebendam admittendus pro corpore prebende duodecim marchas grossorum Boemicalium numeri Polonici et consueti . . . . eidem per capitulum predictos assignandas habere deberet, residuum vero illius prebende inter canonicos in ipsa ecclesia residentes, qui divinis officiis interessent, divideretur, et quod prefati Wenceslaus episcopus et capitulum, considerantes statutum huiusmodi congruum non fore . . . ., in generali capitulo . . . . statuerant et eciam ordinaverant, ut omnes et singule prebende eiusdem ecclesie deinceps valoris annui triginta marcharum huiusmodi existere deberent, sic videlicet, quod . . . . obtinentes prebendas valorem annuum huiusmodi triginta marcharum excedentes, eas, quoad viverent, possent retinere, residuum autem, quod, huiusmodi prebendis sic ad equalitatem ut premittitur redactis, ex ipsis prebendis iam forsan vacantibus vel imposterum vacaturis superesse contingeret . . . ., pro usu communi ipsius ecclesie iuxta disposicionem dictorum capituli converteretur: et pro parte dictorum Wenceslai episcopi nobis humiliter supplicato, ut ultimo statuto et ordinacioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adiicere . . . . dignaremur: nos statutum et ordinacionem predicta, eciam si prebende, per quas huiusmodi ultimum statutum et ordinacionem effectum sortiri contingeret, ex s. Romane ecclesie cardinalium et capellanorum . . . . personis . . . . vacavissent, vel in futurum [eas] vacare contingeret, seu alias specialiter vel generaliter reservate fuissent, auctoritate apostolica tenore aliarum litterarum nostrarum . . . . confirmavimus.[2]) Et successive canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos bone memorie Philippus episcopus Ostiensis ex concessione sedis predicte, dum viveret, obtinebat, per ipsius Philippi episcopi obitum, qui apud sedem predictam decessit, vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, nos de ipsis canonicatu et prebenda . . . . Francisco tituli s. Susanne presbytero cardinali per alias nostras litteras duximus providendum . . . .[3]) Nos, ne prefatum Franciscum cardinalem in fructibus . . . . dictorum canonicatus et prebende defraudari ipsique fructus . . . . propter ordinacionem et statutum per eosdem Wenceslaum episcopum et capitulum facta et per nos confirmata, ut prefertur, diminui contingat, prefato cardinali quem varia oportet subire onera expensarum, super hoc providere volentes, motu proprio . . . . statuto et ordinacioni et confirmacioni predictis quoad eosdem canonicatum et prebendam, de quibus eidem Francisco cardinali providimus, ut prefertur, hac vice dumtaxat auctoritate apostolica . . . . derogamus, prefatumque Franciscum cardinalem integros fructus . . . . huiusmodi canonicatus et prebende sibi per nos, ut prefertur, collatorum perinde percipere volumus, ac si statutum et ordinacio predicta per ipsos Wenceslaum episcopum et capitulum facta et per nos confirmata minime extitissent, statuto et ordinacione ac confirmacione predictis alias nichilominus in suo robore permansuris . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Octobris a. octavo.

R. Lat. 57 fol 127a — In fine: PRO DOMINO CARDINALI. JAC. DE TERAMO —
[1]) Vide nr. 372. [2]) Nr. 932. [3]) Cf. nr. 779.

1217. *Abbati monasterii in Plas cisterciensis ord. Pragensis dioc. mandatur, quatenus causam, per Michaelem Nicolai de Husovicz*[a]) *clericum Olomucensis dioc. contra Smilonem dictum de Hochstein,*[b]) *qui eum quibusdam equis, porcis, bladi quantitatibus, domorum utensilibus et rebus aliis spoliavit, motam, audiat et decidat. „Conquestus est“ „Rome ap. S. Petrum VIII. idus Octobris pont. n. a. octavo“.*

Romae, 1397 Octobris 8.

Ed. Tadra ‚Acta iudiciaria consist. Prag. III p. 392 — a) ‚Huswicz‘ b) ‚Hogensten‘.

1218. *Nobili viro Petro dicto Wolko de Antiqua Volavia*[a]) *militi et Agneti eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Octobris a. octavo“.*

Romae, 1397 Octobris 9.

R. Lat. 45 fol. 191b — a) ‚Volania‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO. — In R. Lat. 58 fol. 124a eadem bulla sine data iterum est registrata, sed cancellata, hac nota adiuncta: „Cancellata, quia registrata est de anno octavo.“

1219. *Confirmantur litterae Bartholomaei Carrafa magisterii hospitalis s. Johannis Jerosolimitani locumtenentis ddto. 1397 Septembris 15, praesentibus insertae, per quas Heršo de Zvířeticz prioratui Bohemiae eiusdem hospitalis praeficitur.*

Romae, 1397 Octobris 15.

Bonifacius . . . . Herssoni de Zwierzeticz priori prioratus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Boemie . . . . Religionis zelus, vite ac morum . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod . . . . Bartholomeus prior prioratus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani de Urbe, magisterii prefati hospitalis, quod actu magistro caret, locumtenens, diligenter attendens, quod olim prioratu dicti hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Boemie tunc per obitum quondam fratris Marcoldi de Wruticz prioris, dum viveret, prioratus predicti vacante, ... fratres dicti prioratus ad invicem capitulariter congregati, procerum seniorum et aliorum preceptorum prehabito consilio ac assensu pariter et consensu, nullo contradicente, sed unanimiter et concorditer te tanquam utiliorem et inter alios ad regimen et gubernacionem dicti prioratus magis ydoneum in priorem dicti prioratus per prefatum locumtenentem preficiendum nominaverant et prefici humiliter supplicaverant, propterea de consensu et voluntate nostris prioratum ipsum sic ut premittitur vacantem cum suis membris, iuribus, iurisdiccionibus et pertinenciis universis, eciam cum cameris debitis et consuetis tenendum et gubernandum sub certa annua responsione, per te aut procuratores vel factores tuos tam pro dictis cameris quam singulis aliis dicti prioratus et certis aliis eidem prioratui additis et unitis preceptoriis et domibus, antiquitus dicto prioratui

subesse consuetis, ac camera .... magistri dicti hospitalis pro tempore existentis .... thesaurario dicti hospitalis seu eius procuratoribus legitimis certis loco et termino persolvenda, et aliis quibuscunque oneribus dicto prioratui impositis et racionabiliter imponendis ultra responsionem huiusmodi eciam per te supportandis quoad vitam tuam tibi contulit et concessit ac eciam graciose donavit, circa curam, regimen et administracionem prioratus camerarum et membrorum ac iurium predictorum et illorum defensionem vices suas tibi committendo, et pro dicto regimine certas auctoritates et potestates tibi per suas patentes litteras, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, concedendo, prout in ipsis litteris plenius continetur, quodque tu dubitas huiusmodi collacionem, concessionem et donacionem ex certis causis viribus non subsistere. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut collacionem, concessionem et donacionem predictas et omnia et singula in dictis litteris contenta ac inde secuta auctoritate apostolica confirmare ipsisque robur apostolice firmitatis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... collacionem, concessionem et donacionem huiusmodi et omnia et singula in dictis litteris contenta et inde secuta auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Tenor vero dictarum collacionis, concessionis et donacionis, de quibus supra fit mencio, talis est:

Frater Bartholomeus Carrafa de Neapoli dei et apostolice sedis gracia humilis prior Urbis necnon sacre domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani magisterii locumtenens una cum venerabilibus et religiosis in Chr. nobis carissimis fratribus assistentibus venerabili religioso in Chr. nobis carissimo fratri Herssoni de Zwierzeticz priori prioratus nostri Boemie domus eiusdem salutem et sinceram in domino caritatem. Digne agere credimus et racionabiliter operari, si, quos meritorum excellencia dignos efficiat gradus honore,[a]) eos ad gradus sublimiores nostri ordinis studeamus extollere et semper bene meritos promovere, ut[b]), cum se conspexerint fructuosius honoratos, ipsi et alii, eorum imitando vestigia, ad queque nostre religionis accomoda industrie eorum studia iugiter fervenciora convertant.[c]) Attendentes igitur proceritatis vestre claritatem ac religionis zelum, vite ac morum honestatem, et alia .... merita, quibus largitor graciarum et bonorum omnium personam vestram insignivit, et quod olim prioratu Boemie per obitum quondam fratris Marcoldi de Wrutiez prioris, dum viveret, prioratus predicti[1]) vacante, religiosi in Chr. nobis carissimi fratres dicti prioratus ad invicem capitulariter congregati, procerum seniorum ac aliorum preceptorum prehabito consilio et assensu pariter et consensu, nullo contradicente, sed unanimiter et concorditer vos tunquam utiliorem et inter alios magis ydoneum ad regimen et gubernacionem dicti prioratus propter hoc in priorem dicti prioratus per nos preficiendum nominarunt et prefici humiliter supplicarunt, asserentes, quod vos responsiones annuas et alia onera dicto prioratui imposita seu imponenda congruis et statutis temporibus pagabitis et solvetis iuxta posse, prout in litteris dictorum fratrum supplicancium patentibus, eorum sigillis appendentibus sigillatis et nobis presentatis, hec et alia vidimus plenius contineri. Nos firmam spem et singularem fiduciam de dicta persona vestra habentes, et quod dictus prioratus sub vestro fructuoso regimine et per

vestre circumspeccionis studium et industriam regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa, eapropter de sanctissimi in Chr. patris et domini nostri dom. Bonifacii divina providencia pape VIIII. consensu et voluntate expressa prioratum ipsum, sic ut premittitur vacantem et ad nostram collacionem et disposicionem qualitercunque legitime devolutum, cum omnibus et singulis suis membris, iuribus, iurisdiccionibus et pertinenciis universis, ad ipsum prioratum et eius membra spectantibus et pertinentibus ac spectare et pertinere debentibus quoquo modo, una cum cameris consuetis et debitis, quas predecessores vestri habuisse noscuntur, et quinta camera pro mortuariis, vacante vel vacatura, quam duxeritis eligendam, ad donacionem seu collacionem nostram spectante, aut si alias domos pro dictis cameris vestris et loco earundem rite elegeritis, quas extunc vobis assignamus, cum omnibus membris, iuribus, iurisdiccionibus et pertinenciis earundem habendum, tenendum, regendum, gubernandum, augmentandum et meliorandum in spiritualibus et temporalibus tam in capite quam in membris universis sub annua responsione octingentorum florenorum Ungaricalium auri, per vos aut procuratores vel factores vestros tam pro cameris vestris predictis quam eciam preceptoriis singularum preceptoriarum et domorum dicti prioratus, quibus exnunc eciam de Mauperg [2]) et alias preceptorias ac domos Austrie quascunque et alias ubilibet constitutas, antiquitus dicto prioratui subesse consuetas, non obstantibus exempcionibus et aliis in contrarium editis quibuscunque, reuniri volumus et includi, et pro camera magistri vobis in dicto prioratu existente singulis annis in Veneciis thesaurario nostre religionis seu eius legitimis procuratoribus in festo nativitatis s. Johannis Baptiste proximo et consequenter futuris temporibus integre et infalibiliter exsolvendorum, et quibuscunque aliis oneribus dicto prioratui impositis et racionabiliter imponendis aut qualitercunque eidem incumbentibus et incumbendis eciam ultra responsionem huiusmodi supportandam invicem deliberato consilio de certa nostra sciencia et speciali gracia ad vitam vestram, quamdiu eam vobis omnipotens concesserit in humanis, vobis tanquam digno et bene merito auctoritate presencium conferimus, concedimus et graciose donamus, bene faciendo in eodem ac in eisdem, vosque eidem prioratui preficimus ac in priorem eiusdem vos constituimus harum serie et eciam deputamus, et quemlibet alium detentorem, si quis fuerit, abinde amovemus ac decernimus amovendum, committentes vobis fiducialiter circa curam, regimen et administracionem accomodam dicti prioratus ac camerarum et membrorum ac iurium eiusdem defensionem et recuperacionem tam in agendo quam in defendendo harum serie vices nostras, dantes et concedentes vobis auctoritatem et potestatem plenariam regendi et gubernandi prioratum predictum et de eodem, administrandi eciam tam in spiritualibus quam in temporalibus et tam in capite quam in membris, et quecunque inde alia gerendi, agendi et exercendi ac celebrandi, que ad ipsius prioratus spectant officium prioris, et que pro utili regimine dicti prioratus fuerint necessaria seu quomodolibet oportuna eciam de consuetudine vel de iure, et specialiter dandi, conferendi et distribuendi cum consilio fratrum et procerum dicti prioratus baylias, castellanias atque domos in dicto prioratu vacantes et vacaturas et ad vestram collacionem seu donacionem pertinentes fratribus ydoneis et bene meritis prioratus predicti secundum dicte domus vestre statutum desuper editum, prout vobis melius

et utilius videbitur expedire, reservato nobis specialiter et retento iure libertatis et facultatis de bailiis in dicto prioratu vacantibus vel vacaturis per mortem preceptorum seu alias, de quibus provisio ad nos pertinet seu pertinebit, [providendi], prout providere possumus anno quolibet secundum formam et continenciam statuti predicti, reservatis nobis eciam et retentis in suo robore ordinacionibus per bone memorie fratrem Raymundum Berengarii dicte sacre domus magistrum in generali capitulo per eum apud Auinionem de mense Marcii anno sexagesimo sexto celebrato factis, et presertim si, quod absit, in solucione huiusmodi responsionum annuarum et onerum predictorum vos absque legittima causa deficere contingeret in dicto termino statuto, quod nos de fratrum et procerum nobis assistencium de dicto prioratu possumus libere disponere secundum formam et continenciam statutorum in eodem generali capitulo editorum, salvo eciam thesauro nostre religionis omni eo et toto illo, in quo de Mauperg et alie preceptorie ac domus Austrie ac alie superius dicto prioratui reunite et incluse de tempore preterito usque in diem hodiernum quomodolibet tenentur, volentes eciam et expresse decernentes, quod, si prioratum huiusmodi et eius membra supradicta ad pinguiorem fortunam et ad statum suum pristinum devenire contigerit, quod extunc possumus libere et licite huiusmodi responsiones exigere secundum antiquam taxam dicti prioratus ac pro rata maiori, equa et decenti secundum ratam huiusmodi pinguioris fortune, quam extunc omni excepcione remota solvere teneamini et debeatis. Interim vero volumus, quod ultra dictos florenos octingentos solvendos ut prefertur compelli vel cogi occasione predicta nullatenus possitis aut debeatis quomodolibet molestari. Quocirca universis et singulis fratribus, preceptoribus baiuliarum et aliis fratribus et confratribus ac sororibus et donatis in virtute sancte obediencie ac hominibus et vassalis et quibusvis aliis vobis subditis in dicto prioratu constitutis, presentibus et futuris, sub sacramento fidelitatis et homagii, quo nobis et dicte domui nostre sunt astricti, precipimus et mandamus, ut vobis tanquam eorum superiori, priori et maiori reverenter pareant et intendant, vobisque prebeant consilium, auxilium et favorem in omnibus, que ad curam, regimen, administracionem et gubernacionem utilem dicti prioratus pertinere noscuntur, quociens opus fuerit et eos duxeritis requirendos, inhibentes vobis districcius in virtute sancte obediencie predicte, ne pretextu commissionis, concessionis, donacionis et gracie nostre huiusmodi vobis facte aliqua de bonis, rebus ac iuribus prioratus predicti detis, vendatis, obligetis, impignoretis, distruatis, permutetis, alienetis seu in emphiteosim perpetuam concedatis vel quocunque colore quesito extra religionem nostram transferatis sine nostra speciali licencia et mandato, et si, quod absit, contra inhibicionem nostram huiusmodi aliquod vel aliqua operari vel facere vos contingat, illud vel illa exnunc, prout extunc, et extunc, prout exnunc, cassamus, irritamus et annullamus ac decernimus nullius penitus existere efficacie vel valoris. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras inde fieri fecimus et registrari ac subscripcione proprie manus nostre et nostri sigilli consueti appensione muniri. Datum Rome in palacio apostolico nostre residencie anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die vero quinta decima mensis Septembris pontificatus prefati domini nostri dom. Bonifacii pape noni anno octavo. Frater Bartholomeus.

Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Octobris anno octavo.

R. Lat. 17 fol. 218a — a) ‚honor' cod. b) ‚et' cod. c) ‚convertunt' cod. — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Occisus in Karlstein 1397 Junii 11. [2]) i. e. Mailberg.

1220. *Monasterio Aulae b. Mariae in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis dioc., cuius fructus 100 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, parrochialis ecclesia s. Venceslai de Antiqua Brunna, quae de iure patronatus dicti monasterii existit, cuiusque fructus 7 marcarum argenti annuum valorem non excedunt, incorporatur, atque conceditur abbatissae et conventui eiusdem monasterii, ut Blasium dictae ecclesiae rectorem ab ipsa ecclesia amovere et corporalem possessionem eiusdem ecclesiae apprehendere eamque per sacerdotes ad nutum abbatissae ponendos et amovendos regi facere possint, ita tamen, ut praefatus rector propter hoc nullam infamiae maculam incurrat, utque ei, quoad vixerit, dicti abbatissa et conventus annuam pensionem 7 marcarum argenti puri ministrare teneantur. „Etsi ex debito“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Novembris pont. n. a. octavo.“*

Romae, 1397 Octobris 18.

Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 387 nr. 429.

1221. *Abbatissae et conventui monasterii Aulae b. Mariae in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis dioc. conceditur, ut rectorem parrochialis ecclesiae in Hustopeč (Auspitz), olim auctoritate apostolica una cum capella s. Procopii in Antiqua Brunna eorum monasterio unitae, qui nunc est, si ad id eius accedat assensus, a dicta ecclesia amovere et exnunc possessionem eiusdem ecclesiae apprehendere eamque per sacerdotem idoneum ad nutum abbatissae ponendum et amovendum regi facere possint, ita tamen, ut praefato rectori, quoad vixerit, fructus et proventus per eum percipi consuetos singulis annis ministrare teneantur. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Novembris pont. n. a. octavo.“*

Romae, 1397 Octobris 18.

Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 386 nr. 428.

1222. *Cum Friderico de Södel dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1397 Octobris 19.

Bonifacius . . . . Frederico Grijn de Sudel clerico Maguntinensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod, cum olim tu in civitate Pragensi studens in iure canonico existeres[1]) et quadam vice hospicium habitacionis tue intrare velles, et ante hospicium huiusmodi quendam laicum cum sociis tuis commensalibus et

combursalibus pugnantem repperisses, tu volens eisdem sociis prestare succursum, dictum laicum aliquantulum percussisti, ipsum tamen nullo letali vulnere vulnerasti, quamvis tamen alias idem laicus per socios supradictos adeo vulneratus fuerit, quod propterea dicitur postmodum expirasse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu de premissis ab intimis doleas et alias in eis culpabilis non fueris, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tecum super irregularitate, quam propter premissa incurristi dispensare et alias tibi tuoque statui providere super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica penitus abolemus; et nichilominus tecum super irregularitate, quam propter premissa contraxisti, necnon, ut in susceptis ordinibus ministrare et ad omnes alios eciam sacros ordines promoveri et quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura . . . . recipere et retinere illaque simul vel successive tociens, quociens tibi placuerit, simpliciter vel ex causa permutacionis dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica se invicem compaciencia . . . . recipere et retinere libere et licite valeas, premissis ac constitutionibus apostolicis et aliis quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presencium dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Novembris a. octavo.

R. Lat. 47 fol. 163. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1] Iste Fridericus Grun de Sodel idem esse videtur ac ille Fridericus Gryen de Assenheym[1], qui a. 1393 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est. (Monum. univ. Prag. II. I. p. 78; cf. ibid. I./I. p. 277.) Södel enim et Assenheim loca valde vicina in Hassia Superiore sunt.

—

1223. *Iudicibus mandatur, quatenus Venceslao de Radnicz conferant parrochialem ecclesiam s. Nicolai extra muros Sacenses, si eam vacare reppererint.*

Romae, 1397 Octobris 20.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Strahouiensis ac decano s. Petri Wissegradensis ac archidiacono Belinensi maioris Pragensis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenceslaus Johannis de Radnicz clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia s. Nicolai extra muros oppidi Zacensis dicte diocesis, quam quondam Przyecho . . . . obtinebat, per ipsius Przyechonis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens,[1]) licet . . . . Wenceslaus dictus Ruozek presbyter eiusdem diocesis eam detineat indebite occupatam, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . , si vocatis dicto Wenceslao Ruozek et aliis, qui fuerint evocandi, ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . sex marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, premisso vel alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacare reppereritis, ecclesiam ipsam . . . . prefato Wenceslao Johannis auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Novembris a. octavo.

R Lat. 48 fol. 79[c]. Supra in marg. sin.: CANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. autem Libros confirmationum ad 1393 Dec. 30, ubi dicta die ‚Johannes presbyter de Zacz' ad supradictam ecclesiam s. Nicolai, per mortem ‚Przíethonis' vacantem, institutus esse legitur.

1224. *Jacobo Bušek providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae necnon dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Pragensis.*

Romae, 1397 Octobris 25.

Bonifacius .... Jacobo Bussek canonico Pragensi, bacallario in decretis ... Litterarum sciencia, vite ac morum .... Volentes itaque tibi .... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, eciam si dignitas ipsa curata fuerit et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existat, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint, ... conferendas vel conferendos seu conferenda tibi .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ...., si aliqui .... super provisionibus sibi faciendis .... apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint ...., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas ac dignitates vel personatus seu officia eciam cum simili vel alia quavis prerogativa antelacionis expectantibus in eadem, preterquam .... s. Romane ecclesie cardinalibus et .... familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus te ...., volumus anteferri ...., seu quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Morawiczan Olomucensis diocesis obtines, et nos dudum tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem .... archiepiscopi [Pragensis] et .... prepositi, decani, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum prefate ecclesie Pragensis .... pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, quas quidem litteras .... exnunc cassamus .... Nos enim tecum, ut dignitatem vel personatum seu curatum officium huiusmodi, si illam, illum vel illud tibi presencium vigore conferri contigerit, recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad biennium retinere libere et licite valeas ...., auctoritate apostolica .... dispensamus. Volumus autem, quod alterum ex parrochiali ecclesia ac dignitate, personatu vel officio huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra predictum biennium permutes, alioquin dictam parrochialem ecclesiam .... omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Novembris a. octavo.

Simili modo .... Aquensi et Luthomuslensi episcopis et .... abbati monasterii Strahouiensis prope Pragam ....

R. Lat. 46 fol. 157[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX. XXXII DE BENEVENTO.

1225. *Petro Mercatori et Catherinae de Ponte eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Novembris a. octavo".*

Romae, 1397 Octobris 27.

R. Lat. 45 fol. 189ᵇ In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1226. *Iudicibus mandatur, quatenus Blasio de Sedlčan parrochialem ecclesiam in Dobřichovicz conferant, cum idem Blasius litteras apostolicas super provisione de praefata ecclesia ei prius facta infra terminum competentem non fecerit expediri.*

Romae, 1397 Octobris 31.

Bonifacius . . . . episcopo Aquensi et . . . . Nicolao Puchnik canonico Pragensi ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Blasius quondam Wenceslai de Sdelczano presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem pro parte dicti Blasii nobis exposito, quod olim parrochiali ecclesia ss. Martini et Procopii in Dobrzyechowicz dicte diocesis, quam . . . . Gymramus alias dictus Gymram ipsius ecclesie rector tunc temporis obtinebat, per liberam resignacionem ipsius Gymrami, per eum de illa in manibus . . . . Sdenkonis magistri generalis domus cruciferorum cum stella in pede pontis Pragensis ordinis s. Augustini extra Romanam curiam sponte factam, vacante, prefatus Sdenko, cum ad magistrum generalem dicte domus huiusmodi ecclesie resignacionis recepcio et admissio necnon collacio et provisio de antiqua . . . . consuetudine pertineant, resignacione huiusmodi per eum extra dictam curiam admissa, eandem ecclesiam sic vacantem eidem Blasio contulerat et de illa eciam proviserat, et quod dubitabat collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere, ... nos de dicta ecclesia . . . prefato Blasio videlicet II. nonas Octobris pont. n. anno septimo [1]) graciose concessimus provideri, ecclesiam ipsam collacioni et disposicioni nostre ea vice specialiter reservando . . . . Cum autem huiusmodi concessionis gracia ex eo suum nequeat sortiri effectum, quod, sicut accepimus, prefatus Blasius litteras apostolicas super huiusmodi concessionis gracia non fecerit infra certum terminum, prout iuxta quandam ordinacionem per nos super hoc editam tenebatur, expediri vel s[upplicacione]m[a]) in cancellaria s. Romane ecclesie presentari, et propterea dicta ecclesia adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . predictam ecclesiam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Blasio . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Novembris a. octavo.

R. Lat. 49 fol. 74ᵃ — [a]) Verbum illegibile, quia macula atramenti opertum. — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) 1396 Octobr. 6.

1227. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Henrico de ‚Ceteras' altare ss. Floriani et Juliani martyrum situm in ecclesia Vratislaviensi, quod sine cura est, cuiusque fructus 4 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacans per obitum Mathiae Zwol extra Romanam curiam defuncti, conferat, non obstante, quod praefatus Henricus quandam perpetuam vicariam in dicta ecclesia Vratislaviensi, quae etiam sine cura est, ac parrochialem ecclesiam in Schwengfeld*[a]*) Vratislaviensis dioc., quorum fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum nonis Novembris a. octavo".*

Romae, 1397 Novembris 5.

R. Lat. 49 fol. 156 [a]) ‚Swenkenfelt' — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

1228. *Iudicibus mandatur, quatenus Laurentio Michaelis aut parrochialem ecclesiam in Mautern aut, si ipsam monasterio Gottvicensi unitam invenerint, vicariam eiusdem ecclesiae conferant.*

Romae, 1397 Novembris 7.

Bonifacius . . . . Salzeburgensis et Patauiensis ac Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis ecclesiarum decanis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Laurencius quondam Michaelis dicti Mawter clericus Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . parrochialis ecclesia in Mawtaren Patauiensis diocesis, quam quondam Petrus . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, licet . . . . abbas et conventus monasterii Cottwicensis ord. s. Benedicti dicte Patauiensis diocesis, asserentes ipsam ecclesiam eidem monasterio auctoritate apostolica incorporatam et per eos congruam porcionem perpetuo vicario inibi instituendo assignatam fore, possessionem eiusdem ecclesie apprehendisse ac de presenti tenere dicantur, nos volentes prefato Laurencio, qui in decimo octavo sue etatis anno constitutus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . ., si vocatis abbate et conventu predictis et aliis, qui fuerint evocandi, predictam ecclesiam prefato monasterio incorporatam, unitam et annexam non inveneritis, eandem ecclesiam, cuius decem et octo marcharum argenti, si vero ecclesiam parrochialem predictam sic ut prefertur unitam et annexam et incorporatam fore reppereritis, vicariam ecclesie eiusdem, cuius septem marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Laurencio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Laurencius patitur in etate defectum, cum, ut prefertur, in decimo octavo etatis sue anno constitutus existat: nos enim cum eodem Laurencio, ut ecclesiam aut vicariam huiusmodi recipere et retinere . . . . valeat, huiusmodi etatis defectu et . . . . aliis . . . . contrariis . . . . nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. octavo.

R. Lat. 49 fol. 19b — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1229. *Decani Vratislaviensis et Lubucensis ac Budissinensis Misnensis dioc. ecclesiarum conservatores abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Sagano ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. octavo“.*

Romae, 1397 Novembris 7.

R. Lat. 45 fol. 141 — In fine: N. XXX. DE BENEVENTO.

1230. *Magistro Petro Vannis de Esculo canonico Esculano, scriptori et familiari apostolico, qui etiam litterarum apostolicarum abbreviator et familiaris apostolicus et continuus commensalis existit, reservantur motu proprio tot beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, quod eorum fructus usque ad summam 100 marcarum argenti puri ascendant annuatim, ad quorumcunque collationem pertinentia, si qua in civitate et diocesi ac provincia Gneznensibus vacant, vel cum vacaverint. „Grata tue devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. nono“. — Simili modo episcopo Tudensi et Gneznensi et Vratislaviensi officialibus.*

Romae, 1397 Novembris 9.

R. Lat. 82 fol. 229 — In marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: PRO SOCIO. JAC. DE TERAMO.

1231. *Frisingensis et Olomucensis episcopi ac praepositus ecclesiae s. Petri Vyšehradensis[a]) Pragensis conservatores praepositi et conventus monasterii s. Hippolyti ad S. Hippolytum[b]) per praepositum soliti gubernari ord. s. Augustini Patauiensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. nono“.*

Romae, 1397 Novembris 10.

R. Lat. 58 fol. 73[a] — [a]) Wissegradens. — [b]) s. Ypoliti ad S. Ypolitum. — In fine: N. XXX. DE BENEVENTO.

1232. *Capellam Corporis Christi Novae civitatis Pragensis, in honorem ss. Felicis et Aucti constructam, certis diebus anni visitantibus tres anni et totidem quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum III. idus Novembris pont. n. a. nono“.*

Romae, 1397 Novembris 11.

Ed. in Monum. univ. Prag. II. 1. p. 364 nr. 43.

1233. Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni Dulci neque Jacobo de Sumicz in parrochiali ecclesia in Liběč ius competere, eandem ecclesiam illi eorum conferat, quem ad hoc sufficientiorem invenerit.

Romae, 1397 Novembris 16.

Bonifacius . . . . magistro Johanni Prene capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Apostolice sedis providencia circumspecta ad ea libenter intendit, per que parrochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum diutina vacacio valeat evitari. Dudum siquidem pro parte . . . . Johannis Dulcis presbyteri Pragensis diocesis nobis exposito, quod, cum olim ipse parrochialem ecclesiam in Libiecz dicte diocesis, tunc per obitum quondam Petri dicti Kostka ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, auctoritate apostolica assecutus fuisset canonice illamque aliquamdiu tenuisset et possedisset et tunc eciam teneret et possideret pacifice et quiete, ac . . . . Jacobus de Sumicz, qui se gerit pro presbytero Olomucensis diocesis, asserens se eandem ecclesiam ut prefertur vacantem vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse et de ea sibi provisum extitisse ac ipsam ad se spectare, eundem Johannem super hoc, petendo ecclesiam ipsam Jacobo adiudicari et super ea Johanni predictis perpetuum silencium imponi, coram . . . . officiali Olomucensi, executore in dictis litteris eidem Jacobo deputato, fecisset ad iudicium evocari, idem officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera dictum Johannem ab impeticione ipsius Jacobi absolvit, sentenciam promulgavit, et ab ea pro parte dicti Jacobi fuerat ad sedem predictam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . magistro Hermanno de Biluelt capellano nostro et auditori causarum dicti palacii . . . . commiseramus . . . . , quodque, postquam idem auditor ad nonnullos actus in causa huiusmodi citra tamen conclusionem inter partes ipsas processerat, a nonnullis asserebatur neutrum dictorum Johannis et Jacobi in dicta ecclesia seu ad eam ius habere: nos videlicet quinto decimo kal. Decembris pont. n. anno octavo[1]) eidem auditori per quasdam, ut Johanni, ac sub eiusdem diei data per alias nostras litteras mandavimus, ut, si per eventum litis huiusmodi sibi constaret neutri eorundem Johannis et Jacobi in eadem ecclesia seu ad eam ius competere, ecclesiam ipsam . . . . Jacobo prefatis auctoritate nostra conferret . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Johannis peticio continebat, prefatus auditor, dictis litteris, pro parte ipsius Johannis ad eundem auditorem, ut premittitur, impetratis, ei nondum presentatis, in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera predictam sentenciam revocavit ipsamque ecclesiam Jacobo adiudicavit et super ea Johanni prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Johannis fuit ad sedem appellatum predictam, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia ipsius auditoris interiecte tibi . . . . commisimus . . . . , tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur adhuc neutrum dictorum Johannis et Jacobi in predicta ecclesia seu ad eam ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri ipso-

rum Johannis et Jacobi in dicta ecclesia seu ad eam ius competere, ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... illi ex predictis Johanne et Jacobo, quem per diligentem examinacionem ad obtinendum eandem ecclesiam ydoneum et sufficienciorem esse reppereris . . . ., auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Volumus autem, quod de nomine et cognomine illius, cui dictam ecclesiam conferes, ac de die collacionis huiusmodi gentes camere nostre certificare procures. Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Decembris a. nono.

R. Lat. 60 fol. 36 — In fine: N. XXIII DE BENEVENTO — † 1396 Nov. 17

1234 *Nicolao Manikonis providetur de parrochiali ecclesia in Mezirici Olomucensis dioc., cuius fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per obitum rectoris eiusdem Venceslai dicti Rod capellani apostolici extra Romanam curam defuncti vacante, ita tamen, ut, si dicta ecclesia a domo sacri Sepulcri dominici Jerosolimitani Zderaziensi ord. s. Augustini Pragensis dioc. vel alio quocunque regulari loco dependeat et per canonicos dictae domus gubernari consueverit, ipse infra tres menses post eiusdem ecclesiae assecutionem praedictam domum ingredi et in ea professionem regularem emittere teneatur. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Decembris pont. n. a. nono". — Simili modo episcopo Aquensi et Pragensi et Olomucensi officialibus.*

Romae, 1397 Novembris 24.

R. Lat. 55 fol. 220a — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO — Ed. ex originali Dobner, Monumenta hist. Bohemiae IV. p. 393 nr. 336; item Cod. diplom. Moraviae XII. nr. 436.

1235. *Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao de Hradistě capellam s. Petri in Znojma conferant.*

Romae, 1397 Novembris 27.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . decano ecclesie Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Stephani de Redlisschs rector parrochialis ecclesie in Misslaws Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . capella s. Petri in Znoyma dicte diocesis per liberam resignacionem . . . . Nicolai de Hosdradicz tunc ipsius capelle rectoris, per eum de illa . . . . in manibus . . . . Johannis officialis Olomucensis extra Romanam curiam sponte et libere factam et per eundem officialem habentem ad hoc a bone memorie Nicolao episcopo Olomucensi specialem potestatem extra curiam ipsam .... admissam, vacet ad presens,[1]) et tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii est ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus,

quatenus . . . . si est ita, capellam predictam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao Stephani auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . . quod prefatus Nicolaus Stephani, ut asserit, dictam ecclesiam, cuius duodecim, obtinet, et nos hodie sibi de altari s. Catherine sito in parrochiali ecclesia de Gestel, cuius quatuor marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, tunc certo modo vacante, per quasdam[2]) ac dudum de canonicatu sub expectacione prebende, ad collacionem . . . . prefati episcopi [Olomucensis] necnon . . . . prepositi et capituli singulorumque canonicorum ecclesie s. Petri in Brunna dicte diocesis . . . . pertinentis, in eadem ecclesia s. Petri vacantis vel vacature, per alias nostras litteras graciose duximus providendum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. nono.

R Lat. 55 fol. 6[a] – In fine: N. XXII DE BENEVENTO – [1]) Cf. nr. 139. [2]) Cf. nr. 1236.

1236. *Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao de Hradiště altare s. Catherinae situm in parrochiali ecclesia in Kostel conferant.*

Romae, 1397 Novembris 27.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . decano ecclesie Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Vite et morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Stephani de Redisschs rector parrochialis ecclesie in Misslaws Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . altare s. Catherine situm in ecclesia parrochiali in Gostel dicte diocesis per liberam resignacionem . . . . Johannis Fridlini de Brunna olim ipsius altaris rectoris, per eum de illo . . . . coram . . . . Wenceslao Milaczkonis de Rokiczana clerico Pragensis diocesis, notario publico, et certis testibus ad hoc vocatis extra Romanam curiam sponte et libere factam, vacet ad presens et tanto tempore vacaverit, quod eius collacio . . . . est ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . ., si est ita, altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eciam si disposicioni apostolice specialiter reservatum et de iure patronatus laicorum existat . . . ., prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asserit, prefatam ecclesiam in Misslaws, cuius duodecim, obtinet, et nos hodie sibi de capella sine cura s. Petri in Znoyma, cuius sex marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, per quasdam provideri mandavimus,[1]) necnon de canonicatu sub expectacione prebende, ad collacionem . . . . prefati episcopi [Olomucensis] et . . . . prepositi et capituli singulorumque canonicorum ecclesie s. Petri in Brunna dicte diocesis . . . . pertinentis, in eadem ecclesia s. Petri vacantis vel vacature, per alias nostras litteras

graciose duximus providendum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris pont. n. a. nono.

R. Lat. 55 fol. 7a. In fine: N. XXII DE BENEVENTO. – Cf. nr. 1235.

1237. *Magistro Jacobo de Aquila capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus Johannem Laurentii Wyngas [de Vratislavia] canonicum Lubucensem surroget ad omne ius, quod Henrico Juve clerico Maguntinensis dioc. in praepositura ecclesiae s. Crucis Northusensis dictae dioc., vacante per resignationem quondam Henrici [de] Hakeborn[a]) in manibus Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, eiusdem praepositurae veri patroni, sponte factam, competit, cum dictus Henricus Juve eidem iuri suo renuntiare proponat; non obstante, „quod idem Johannes, ut asserit, in Lubucensi canonicatum et prebendam, quorum decem, et in s. Crucis Wratislauiensi ecclesiis quandam perpetuam vicariam sine cura, cuius eciam decem marcharum argenti . . . . fructus . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, cantoris et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislauiensis . . . . necnon ad . . . . abbatis et conventus monasterii Lubensis ord. cisterciensis Wratislauiensis dioc. collacionem . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras [litteras] graciose mandavimus provideri“. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. nono“.*

Romae, 1397 Novembris 27.

R. Lat. 60 fol. 146 r — a) Hackenborn. – Supra in marg. sin.: A DE PORTUGUALLO in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1238. *Cum Venceslao Duberman dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1397 Decembris 4.

Bonifacius . . . . Wenceslao Duberman canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis . . . . Vite ac morum . . . . Exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu quadam infirmitate ‚apoplexia‘ nuncupata adeo gravatus existis, quod, licet ambulare ac ire et equitare possis, non tamen sicut prius, et divinis officiis interesse temporibus oportunis, quodque in tuis brachio et crure sinistris impedimentum et defectum non modicum paciaris. Nos . . . . tecum, qui, ut asseris, dudum, antequam huiusmodi infirmitate gravareris, in presbyterum rite promotus et canonicatum ac prebendam ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis ac capellam sine cura s. Laurencii in monte s. Petri Wissegradensi (!), cui capella s. Clementis in eodem monte sita canonice est annexa, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, quos obtines, tunc vacantes, canonice tibi collatos, assecutus extitisti, et cui nos nuper de canonicatu sub expectacione prebende ac

dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura ecclesie Wratislauiensis per alias nostras sub data quinto idus Novembris pont. n. a. primo [1]) providimus, ut duo alia beneficia ecclesiastica se invicem compaciencia, eciam si unum eorum curatum fuerit . . . ., recipere illaque tociens, quociens tibi placuerit . . . ., dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica recipere et retinere libere et licite valeas, impedimento et defectu predictis . . . . nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . dispensamus, tibi nichilominus . . . . concedentes, quod in quibuscunque graciis, per te seu pro te a sede apostolica imposterum impetrandis, nullam de impedimento et defectu predictis tenearis facere mencionem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. nono.

R. Lat. 52 fol. 23[b] — In marg. sin: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XXX DE BENEVENTO — [1]) 1389 Nov 9.

1239. *Capitaneis et confratribus confratriae Corporis Christi Pragensis ad eorum et regis Venceslai supplicationem conceditur, ut de pecuniis et bonis, quae per Christi fideles specialiter pro conservatione seu fabrica aut ornamentis capellae Corporis Christi et ss. Felicis et Aucti in foro publico Novae civitatis Pragensis per ipsos capitaneos et confratres constructae donata fuerint, rectori parrochialis ecclesiae, infra cuius limites praedicta capella fundata est, quartam partem ministrare minime teneantur. „Apostolicae sedis providentia“ „Romae ap. S. Petrum V. idus Decembris pont. n. a. nono“.*

Romae, 1397 Decembris 9.

Ed. ex originali in Monum. univ. Prag. II./I. p. 366 nr. 44.; excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. nono fol. 12“ cum data „V. idus Novembris (!) a. IX“ habetur in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 200[a].

1240. *Iudicibus mandatur, quatenus Mathiae de Ivančicz parrochialem ecclesiam in Mušov conferant.*

Romae, 1397 Decembris 10.

Bonifacius . . . . episcopo Aquensi et . . . . abbati monasterii in Luca Olomucensis diocesis ac decano ecclesie Olomucensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Mathias Johannis de Eywanczicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Musaw dicte diocesis, quam quondam Johannes Pauli de Luczano . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Mathias vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . prepositi et conventus monialium in Cunicz premonstratensis ord. eiusdem diocesis . . . pertinens, in ea forma, secundum

quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus, expectabat, eandem ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dictorum prepositi et conventus communiter pertinentem, infra tempus legittimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ipseque Mathias eandem ecclesiam . . . . extitit pacifice assecutus ac eam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . . dictus Mathias dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Mathie . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Volumus autem, quod, quamprimum dictus Mathias . . . . eandem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte litterae, per quas illam acceptavit et sibi de ea provideri fecit, ... et quecunque inde secuta sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Decembris a. nono.

R. Lat. 60 fol. 162ª — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1241. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Francisco Floszer [de Brega] neque Volfardo Dorinck in quadam perpetua vicaria in ecclesia Misnensi ius competere, eandem vicariam dicto Francisco conferat.*

Romae, 1397 Decembris 10.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Borrellis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Franciscus Floszer rector altaris s. Michaelis siti in parrochiali ecclesia de Nisa Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Francisci peticio continebat, quod, cum olim ipse perpetuam vicariam ad altare s. Wenceslai situm in ecclesia Misnensi, tunc per obitum quondam Johannis Beler . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, assecutus extitisset canonice illamque aliquamdiu tenuisset et possedisset et tunc eciam teneret et possideret pacifice et quiete, ac postmodum Wolfardus Dorinck, qui se gerit pro presbytero Misnensis diocesis, falso asserens se per nonnullos, quos veros patronos dicte vicarie fore dicebat, ad eandem vicariam sic ut premittitur vacantem . . . . Johanni episcopo Misnensi infra tempus legitimum presentatum fuisse, ipsamque vicariam . . . . sibi deberi, ac assecucioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, impediret et faceret, quominus ipse Franciscus eandem vicariam posset pacifice possidere, et propterea inter eosdem Franciscum et Wolfardum super dicta vicaria et eius occasione coram . . . . decano ecclesie Misnensis predicte, in quem ipsi Franciscus et Wolfardus tamquam in iudicem competentem in huiusmodi causa consenserunt, orta fuisset materia questionis, idem decanus in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatum Wolfardum ad eandem vicariam instituit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte predicti Francisci fuit ad

sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi tibi ad instanciam dicti Francisci . . . . commisimus . . . . tuque in causa huiusmodi ad nonnullos citacionis actus inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Francisci et Wolfardi in predicta vicaria seu ad eam ius competere, nos . . . . volentes dicto Francisco, cui eciam dudum, ut asserit, de vicaria ipsa, tunc ut premittitur vacante, per nostras litteras de novo graciose mandavimus provideri, et inter quem et quendam alium adversarium suum causa super eadem vicaria certo alteri auditori causarum palacii apostolici de mandato nostro est commissa, ... graciam facere specialem, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Francisci et Wolfardi in predicta vicaria seu ad eam ius habere, vicariam ipsam, cuius fructus . . . . septem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Francisco auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Franciscus, ut asserit, predictum altare s. Michaelis, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Decembris pont. n. a. nono.

R. Lat. 60 fol. 212b. – Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: X. XXII DE BENEVENTO. – [1]) Cf. nros 1035 et 1045.

1242. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Demetrium episcopum Vesprimiensem quitat de pecunia, quam pro parte suorum communis et quatuor minutorum servitiorum per manus Johannis de Tremošnicz[a]) plebani s. Aegidii Pragensis camerae apostolicae solvi fecit. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die duodecima mensis Decembris, pont. . . . . a. nono.“*

Romae, 1397 Decembris 12.

Oblig. et sol. 55, fol. 5b. – [a]) Tremosnicz. – In fine: A. PERUSINUS EPISCOPUS THESAURARIUS RECEPTUM: VISUM MATZEUS; IIII FL. IIII GR. – Ad eandem solutionem altera quitatio se refert, quae in Oblig. et sol. 59 fol. 82b invenitur. Per quam sub eadem data Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, dictum episcopum quitat de pecunia, quam ipse „pro parte partis suorum communis et unius minuti servicii“ camerae sacri collegii per manus „Johannis Tremosnicz rectoris parrochialis ecclesie s. Egidii Pragensis“ solvi fecit.

1243. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Maternum episcopum Transsilvanum quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et quatuor minutorum servitiorum per manus Johannis de Tremošnicz[a]) plebani ecclesiae s. Aegidii Pragensis camerae apostolicae solvi fecit. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die duodecima mensis Decembris, pont. . . . . a. nono.*

Romae, 1397 Decembris 12.

Oblig. et sol. 55. fol. 5' — a) Tremosnicz. In fine: A. PERUSINUS EPISCOPUS THESAURARIUS RECEPTUM; VISUM MATZEUS; FL. IIII GR IIII — Ad eandem solutionem alia quitatio in Oblig. et sol. 58 fol. 82b contenta se refert, ubi Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, dictum episcopum quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et unius minuti servitiorum camerae sacri collegii per eundem Johannem de Třemošnicz solvi fecit.

1244. *Ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis statuitur, ut nullus ex universitate studii Pragensis coram quocunque ordinario vel alio iudice super quibuscunque bonis mobilibus aut immobilibus, iuribus, actionibus civilibus, criminalibus, saecularibus vel profanis, aut rebus aliis, in civitate et diocesi Pragensi tantummodo consistentibus, invitus in causam trahi seu ad iudicium evocari possit, sed ut omnes ex dicta universitate coram rectore universitatis studii Pragensis iuri stare teneantur: dicto rectori autem potestas conceditur una cum consilio et assensu quatuor consiliariorum dictae universitatis iuxta consuetudinem eiusdem studii electorum omnes causas, tam civiles et criminales, quam mundanas et profanas, quae inter quoscunque de dicta universitate et quae per incolas civitatis Pragensis contra aliquem de eadem universitate super rebus in civitate et diocesi Pragensi consistentibus vel iniuriis ibidem illatis movebuntur, cognoscendi, audiendi et fine debito terminandi. „Nonnumquam instans" „Romae ap. S. Petrum XII. calendas Januarias pont. n. a. nono".*

Romae, 1397 Decembris 21.

Ed. ex originali in Monum. univ. Prag. II/I. p. 370 nr. 45. Excerptum Raynaldi „ex libro tertio de exhibitis, de diversis formis a. nono fol. 206" in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 198b exstat.

1245. *Venceslao patriarchae Anthioceno terminus faciendae solutionis servitiorum ratione monasterii Cladrubensis debitorum prorogatur.*

Romae, 1397 Decembris 22.

Universis . . . . Conradus [miseracione divina archiepiscopus Nicosiensis, domini pape camerarius] . . . . Universitati [vestre notum facimus per presentes], quod intellecta mole gravaminum pro parte reverendi in Chr. patris dom. Wenceslai patriarche Antiocheni, commendatarii monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, coram nobis exposita, que ipsum ad solvendum id, in quo camere apostolice pro communi et quatuor minutis serviciis . . . . [existit efficaciter obligatus], reddunt [verisimiliter impotentem, auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa] terminum [faciende solucionis serviciorum huiusmodi] usque ad festum nativitatis s. Johannis Baptiste proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die vicesima secunda mensis Decembris, anno nono.

Oblig. et sol. 55 fol. 7a — In fine: FL. I GR II; VBALD[INUS] VISUM

1246. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Dyck*[a]) *clerico Coloniensis dioc. reservet unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, scholastici, custodis, portenarii et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae s. Victoris Xantensis*[b]) *Coloniensis dioc. pertinentia, si qua vacant, vel cum vacaverint. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. nono."*

Romae, 1398 Januarii 2.

R. Lat. 56 fol. 154[r] — [a]) ‚Diich' [b]) ‚Xancten' — In marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1247. *Praeposito ecclesiae Seccoviensis mandatur, quatenus Vulfingum Pokchel presbyterum Laventinensis dioc. surroget ad omne ius, quod in parrochiali ecclesia in Weisskirchen*[a]) *Seccoviensis dioc. Johanni de Alta Ecclesia tempore eius obitus et Petro Royn clerico Vratislaviensis dioc., cui nuper, ut ad omne ius huiusmodi surrogaretur, a sede apostolica concessum est, tempore cessionis, ab eo ante eiusdem surrogationis executionem extra Romanam curiam factae, competebat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Januarii a. nono."*

Romae, 1398 Januarii 11.

R. Lat. 60 fol. 163[a] — [a]) ‚Weyssenkirchen' — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: X. XXV DE BENEVENTO.

1248. *Henczkoni Swantopelkonis de Landsberg*[a]) *militi Vratislaviensis dioc. et eius uxori praesentialiter existenti indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. nono."*

Romae, 1398 Januarii 13.

R. Lat. 58 fol. 216[r] — [a]) ‚Lanczberg' — In fine: X. XII DE BENEVENTO.

1249. *Stephano Strail de Chechlau*[a]) *militi Vratislaviensis dioc. et eius uxori praesentialiter existenti indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. nono."*

Romae, 1398 Januarii 13.

R. Lat. 58 fol. 216[a] — [a]) ‚Chechel' — In fine: X. XII DE BENEVENTO.

1250. *Nicolao Caffatino providetur motu proprio de parrochiali ecclesia s. Jacobi in Brunna.*

Romae, 1398 Januarii 15.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao Caffatino rectori parrochialis ecclesie s. Jacobi in Brunna Olomucensis diocesis, notario nostro . . . . Grata tue devocionis . . . . Dudum siquidum omnia beneficia ecclesiastica . . . . quorumcunque sedis apostolice capellanorum tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia s. Jacobi in Brunna Olomucensis diocesis, quam quondam Johannes Vlmanni . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui capellanus dicte sedis existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens . . . , nos . . . . motu proprio . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . Nos enim tecum, ut ecclesiam predictam recipere et una cum prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cum cura et sine cura, que obtines et expectas, et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, licite retinere possis . . . ., auctoritate predicta . . . . motu simili dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Februarii a. nono.

Simili modo . . . . archiepiscopo Barensi et . . . . preposito ecclesie Olomucensis ac . . . . officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 55 fol. 13ª — In fine: PRO DOMINO NOTARIO, N. DE BENEVENTO.

1251. *Petro episcopo Aquensi mandatur, quatenus resignatione canonicatus et praebendae ecclesiae Pragensis a Johanne de Schwamberg recepta, Jacobo Jinoch [de Nova Pilzna][1]) eos conferat.*

Romae, 1398 Februarii 5.

Bonifacius . . . . Petro episcopo Aquensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Jacobus Ginoch rector altaris s. Dorothee siti in ecclesia Pragensi . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Johannes Bohuslai de Swamberg canonicus Pragensis canonicatum et prebendam, quos in dicta ecclesia obtinet, ex certis causis resignare proponat, nos . . . . volentes eidem Jacobo, cui dudum, ut asserit, de dictis canonicatu et prebenda, tunc certo modo, ut credebatur, vacantibus, licet forsan inutiliter ob defectum eiusdem Jacobi minus sufficienter supplicantis, graciose concessimus provideri, quique postmodum causam, quam super ipsis canonicatu et prebenda dicto Johanni movere intendebat, certo auditori causarum palacii apostolici per nos committi et contra

cum citacionem ad partes decerni obtinuit, ad cuius quidem citacionis execucionem debitam nondum est processum, ... graciam facere specialem, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eodem Johanne vel eius procuratore . . . . resignacionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra . . . . recipias et admittas, et ea per te recepta et admissa, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Jacobo auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Jacobus, ut asserit, predictum altare, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi, videlicet quarto idus Novembris pont. n. anno primo,[2]) de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . archiepiscopi et capituli predictorum [Pragensium] ac . . . . prepositi, decani, scolastici, custodis, cantoris et archidiaconorum singulorumque canonicorum et personarum ecclesie predicte, necnon . . . . abbatisse et conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Et nichilominus cum eodem Jacobo, ut predictum altare, si forsan illud per assecucionem dictorum canonicatus et prebende secundum statuta ipsius ecclesie dimittere tenetur, una cum dictis canonicatu et prebenda usque ad unum annum retinere libere et licite valeat . . . ., dispensamus. Volumus autem, quod predictum altare pro alio beneficio ecclesiastico cum predictis canonicatu et prebenda compatibili infra huiusmodi annum permutet, alioquin dictum altare . . . . omnino dimittere teneatur. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. nono.

R. Lat. 76 fol. 1[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Tomek, Dějepis Prahy V. p. 131. [2]) 1389 Nov. 10.

1252. *Concordiensi et Plocensi episcopis ac praeposito ecclesiae s. Crucis Opoliensis Vratislaviensis dioc. mandatur, quatenus Mathiae Jacobi rectori parrochialis ecclesiae de Blandow Poznaniensis dioc. canonicatum et praebendam in ecclesia Gneznensi vacantes conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. nono.“*

Romae, 1398 Februarii 5.

R. Lat. 62 fol. 262[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1253. *Carolo Gruber fratri domus s. Spiritus in Pulgern[a]) Pataviensis dioc. ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis indulgetur, ut unum beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, per clericos saeculares gubernari consuetum, quod de iure patronatus laicorum existat, dum tamen in aliqua cathedrali vel collegiata ecclesia non fuerit, si ad illud per dictum regem vel aliquem*

alium patronum laicum praesentatus fuerit, recipere et retinere valeat. „Religionis zelus“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Februarii a. nono.“

Romae, 1398 Februarii 10.

R. Lat. 59 fol. 7a — a) ‚Pulgarn‘ — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO

***1254**. Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Curia parrochialem ecclesiam in Trebešov, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1398 Februarii 20.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii s. Karoli Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Johannes Paczoldi de Curia canonicus regularis monasterii in Jermir canonicorum regularium ord. s. Augustini Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Trzyebyessow dicte diocesis, quam quondam Petrus ultimus ipsius ecclesie rector . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Jacobus prepositus et conventus dicti monasterii per prepositum soliti gubernari, existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi rectorem ad ipsam ecclesiam, eundem Johannem . . . . Nicolao Puchnik . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis in spiritualibus vicario generali infra tempus legitimum presentarunt, idemque vicarius, habens ad hoc ab eodem archiepiscopo specialem potestatem, ipsum Johannem in eiusdem ecclesie rectorem vigore huiusmodi potestatis instituit.[1]) Cum autem . . . . dictus Johannes dubitet presentacionem et institucionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Johanni, qui ordinem ipsum expresse professus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam ecclesiam, que per clericos seculares hactenus consuevit gubernari, et cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Marcii a. nono.

R. Lat. 59 fol. 26a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO. — [1]) ‚Frater Johannes natus Peczoldi de Curia‘ 1397 Maii 30 auctoritate ordinaria ad ecclesiam in Trebešov institutus est; cf. Libr. confirm. sub praefata data.

***1255**. Jacobo dicto Antiquo iudici de Netolicz[a]) et Dorotheae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut liceat eis habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Marcii a. nono.“*

Romae, 1398 Februarii 20.

R. Lat. 58 fol. 171a — a) ‚Netolycz‘ — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1256. *Nobili viro Johanni de Michlsberg*[a]) *baroni baroniae de Michlsberg*[a]) *Pragensis dioc. et Magdalenae eius uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Marcii a. nono.“*

Romae, 1398 Februari 25.

R. Lat. 58 fol. 216b — a) ‚Mychlsperk‘ — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1257. *Nobili viro Johanni de Michlsberg*[a]) *baroni baroniae de Michlsberg*[b]) *Pragensis dioc. et Magdalenae eius uxori indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo totiens, quotiens eis placuerit et fuerit oportunum, plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Marcii a. nono.“*

Romae, 1398 Februarii 25.

R. Lat. 58 fol. 129a — a) ‚Mychlsperk‘ b) ‚Michlsperk‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1258. *Nobili mulieri Elisabeth de Michlsberg*[a]) *viduae Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius semel tantum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Marcii a. nono.“*

Romae, 1398 Februarii 25.

R. Lat. 58 fol. 129b — a) ‚Mychlsperg‘ In fine: N. XIIII DE BENEVENTO. — Eadem bulla fol. 129a eiusdem codicis est registrata, sed cancellata, hac nota adiuncta: „Stat inferius in alia forma, N. de B.“

1259. *Iudicibus mandatur, quatenus sententiam, quae in causa inter Andream de Javor et Haškonem de Lemberg exorta in palatio apostolico lata est, solemniter publicantes, dicto Andreae ab eodem Haškone quandam pecuniam ei debitam solvi faciant.*

Romae, 1398 Martii 1.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... s. Caroli Noue ciuitatis Pragensis ac Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Andree de Jawor clerici Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim .... nobilis vir Hassco de Lemberg miles Pragensis diocesis una cum nonnullis aliis suis in hac parte complicibus quondam Johannem dictum Breme de Gorlicz laicum contra iusticiam quingentis sexagenis et tredecim fertonibus grossorum monete Pragensis spoliasset eumque

captivasset et incarcerasset ac per nonnulla tempora incarceratum detinuisset, et diversas alias iniurias ei irrogasset et ad hoc auxilium, consilium et favorem prestitisset, et deinde ipse Johannes omni accioni sibi contra eundem Hassconem premissorum occasione quomodolibet competenti sponte et libere eidem Andree cessisset et tam sexagenas ac fertones grossorum huiusmodi quam omnes alias pecuniarum summas sibi nomine emende racione captivacionis, incarceracionis et iniuriarum huiusmodi debitas predicto Andree libere et sponte donasset, prefatus Andreas eundem Hassconem super hoc, petendo decerni et declarari dicto Hasconi spoliacionem, incarceracionem et iniurias huiusmodi per se vel alium seu alios facere seu perpetrare aut ad hoc auxilium, consilium vel favorem prestare non licuisse, ipsasque spoliacionem, incarceracionem et iniurias fuisse et esse temerarias, illicitas et iniustas et de facto presumptas, ac cessionem et donacionem predictas fuisse et esse canonicas et suum debitum debuisse et debere sortiri effectum, necnon ipsum Hassconem condemnari et compelli ad restituendum sibi sexagenas et fertones huiusmodi ac ad dandum et solvendum sibi certam aliam pecunie summam tunc expressam nomine emende et racione captivacionis, incarceracionis et iniuriarum huiusmodi, coram . . . . Blasio dicto Lupus decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi, conservatore magistris, doctoribus et scolaribus studii Pragensis contra inferentes eis iniurias vel iacturas in personis aut rebus eorum a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputato et habente cognoscendi de hiis, que iudicialem requirunt indaginem, specialem per easdem litteras potestatem, cum idem Andreas tunc scolaris dicti studii existeret,[1]) fecit ad iudicium evocari, idemque decanus in causa huiusmodi inter partes ipsas procedens, diffinitivam, per quam dictum Hassconem ad restituendum ipsi Andree dictas quingentas sexagenas et tredecim fertones racione spoliacionis huiusmodi et in expensis in causa ipsa legittime factis condemnavit et in aliis per ipsum Andream, ut prefertur, petitis eundem Hassconem ab impeticione ipsius Andree absolvit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte Andree in ea parte, qua contra ipsum, eciam pro parte Hassconis predictorum in ea parte, qua contra eum lata fuit, extitit ad sedem apostolicam appellatum; quam quidem appellacionem ipsius Hassconis dictus Andreas, quoad devolucionem duntaxat huiusmodi cause ad Romanam curiam, expresse approbavit, nosque causas appellacionum huiusmodi . . . . magistro Henrico de Westerholt capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Andree . . . . commisimus . . . . Qui ad instanciam . . . . magistri Rutgeri Balhorn procuratoris dicti Andree coram eo in iudicio comparentis prefatum Hassconem ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda necnon ad dandum et per eandem alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, in audiencia publica, ut moris est, successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus predictus Rudgerus coram eodem auditore in iudicio comparens, prefati Hassconis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius auditoris presencia prestitit iuramentum necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huiusmodi in dictis terminis ad hec statutis, idemque auditor ad dicti Rudgeri instanciam predictum Hassconem ad respondendum dictis posicionibus et dicendum

contra eosdem articulos quicquid vellet necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et instrumenta, quibus partes ipse uti vellent in causa huiusmodi, in dicta audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Rotgerus . . . . comparens, predicti Hassconis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit in dictis terminis ad hoc datis; prefatusque auditor ad dicti Rotgeri instanciam predictum Hassconem ad dicendum contra huiusmodi producta quicquid vellet necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, in prefata audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dicto Rotgero . . . . comparente et predicti Hassconis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa huiusmodi concludi petente, memoratus auditor, reputans eundem Hassconem . . . . contumacem, in eius contumaciam cum eodem Rotgero . . . . conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc prefixo, et ad eiusdem Rotgeri instanciam predictum Hassconem ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam in prefata audiencia citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Rotgero . . . . comparente et predicti Hassconis non comparentis contumaciam, accusante et in eius contumaciam sentenciam huiusmodi ferri petente, sepedictus auditor, reputans eundem Hassconem . . . . contumacem, in eius contumaciam, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis, actitatis, habitis et productis in causa huiusmodi ipsisque cum diligencia recensitis et examinatis, ac facta super hiis omnibus coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum coauditorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: [per] prefatum decanum in huiusmodi causa in ea parte, in qua dictum Hassconem in quingentis sexagenis et tredecim fertonibus grossorum dicte monete racione predicte spoliacionis et in expensis litis condempnavit, bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum ipsiusque sentenciam in ea parte confirmandam fore et confirmavit, ab ipsoque decano pro parte dicti Hassconis a dicta sentencia in ea parte male fuisse et esse appellatum; in ea vero parte, qua ab aliis per ipsum Andream petitis ipsum Hassconem ab impeticione eiusdem Andree absolvit, male fuisse et esse pronunciatum et diffinitum ipsiusque sentenciam in ea parte revocandam fore et revocavit, et pro parte dicti Andree ab eadem in ea parte bene et legitime fuisse et esse appellatum, ipsamque sentenciam ipsius decani supplendam fore, et ipsam sentenciam supplendo idem auditor per eandem suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: cessionem et donacionem in libello seu peticione sumaria coram dicto decano exhibitis contentas et omnia inde secuta fuisse et esse canonica suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, spoliacionem, capcionem, incarceracionem et alias iniurias in dicto libello descriptas fuisse et esse temerarias, illicitas et iniustas et de facto presumptas, dictoque Hassconi non licuisse neque licere huiusmodi spoliacionem, incarceracionem, capcionem et alias iniurias facere, committere, conferre seu perpetrare per se vel alium seu alios seu ad hoc dare consilium, auxilium vel favorem, ipsumque Hassconem racione iniuriarum supradictarum in centum et quinquaginta sexagenis grossorum

dicte monete et in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter prefatus auditor ad dicti Rotgeri instanciam predictum Hassconem ad videndum taxari expensas huiusmodi in predicta audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dicto Rotgero . . . comparente et predicti Hassconis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam predictas expensas taxari petente, prenominatus auditor, reputans eundem Hassconem . . . . contumacem, in eius contumaciam expensas ipsas in viginti sex florenis auri de camera boni et iusti ponderis provida moderacione taxavit, ipsius Rotgeri super expensis ipsis iuramento secuto, prout in instrumento publico inde confecto ipsius auditoris sigillo munito dicitur plenius contineri. Cum autem . . . . prefatus Andreas timeat, quod predictus Hassco processibus super hiis habendis parere contumaciter recusabit, pro parte ipsius Andree nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . ., que super hiis ab eodem auditore provide facta sunt, rata habentes et grata, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes dictamque sentenciam ipsius auditoris, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis eidem Andree vel procuratori suo eius nomine per dictum Hassconem quingentas sexagenas et tredecim fertones necnon centum et quinquaginta sexagenas grossorum huiusmodi dari et solvi cum effectu et de predicta florenorum summa pro dictis expensis iuxta prefati instrumenti earundem taxacionis et condemnacionis tenorem plenam et debitam satisfaccionem impendi. Et nichilominus legitimis super hiis habendis servatis processibus, eos, quociens expediens fuerit, aggravare curetis . . . Ceterum si per summariam informacionem super hiis per vos habendam vobis constiterit, quod prefati Hassconis et aliorum, quos huiusmodi processus concernent, presencia pro monicionibus vel citacionibus de ipsis faciendis secure vel commode nequeat haberi, nos vobis moniciones huiusmodi et citaciones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam dicti Hassconis et aliorum, quos concernent, valeant pervenire, faciendi plenam concedimus . . . . facultatem, ac volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod huiusmodi processus ac moniciones et citaciones eundem Hassconem et alios, quos concernent, perinde arctent, ac si eis intimate et insinuate personaliter et presencialiter extitisent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. nono.

R. Lat. 60 fol. 271b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine JAC. XL DE TERAMO — [1]) Fortasse ille „Andreas Petri de Jawyr pauper. notarius universitatis", qui a. 1384 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est; cf. Monum. univ. Prag. II. I. p. 96.

1260. *Praeposito ecclesiae Xantensis*[a]) *Coloniensis dioc. mandatur, quatenus consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis Vilhelmo Freseken praeposito ecclesiae ss. Apostolorum Coloniensis, „qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus ac baccallarius in legibus existit . . . ., et pro quo eciam . . . . Fredericus archiepiscopus Coloniensis, asserens ipsum Wilhelmum fore consili-*

arium suum. . . . supplicavit", de canonicatu sub exspectatione praebendae necnon dignitatis, personatus vel officii cum vel sine cura ecclesiae s. Cassii Bunnensis Coloniensis dioc. provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Marcii a. nono."

Romae, 1398 Martii 4.

R. Lat. 53 fol. 146b — a) ‚Xanten'. — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1261. *Nobili viro Johanni Slewicz laico Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Marcii a. nono".*

Romae, 1398 Martii 4.

R. Lat. 58 fol. 216b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1262. *Episcopo Monopolitano et abbati monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses ac praeposito ecclesiae s. Crucis Opoliensis Vratislaviensis dioc. mandatur motu proprio, quatenus Nicolao de Volavia canonico Vratislaviensi et familiari apostolico conferant canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, quorum fructus valorem annuum 16 marcarum argenti puri non excedunt, vacantes per obitum Henrici [de] Lubschicz[a]) extra Romanam curiam defuncti. „Grata devocionis" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Marcii a. nono.*

Romae, 1398 Martii 5.

R. Lat. 62 fol. 236b — a) ‚Lubeschicz' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1263. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Mathiae dicto Predika praepositatum s. Benedicti in Komárov conferat.*

Romae, 1398 Martii 7.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem, cum prepositatus s. Benedicti in Komarow ordinis eiusdem sancti Olomucensis diocesis, quem . . . . Henricus abbas monasterii s. Marie in Trzbicz ordinis et diocesis predictorum tempore promocionis per nos facte de ipso ad dictum monasterium tunc vacans obtinebat, per huiusmodi promocionem et quamprimum dictus Henricus abbas possessionem administracionis bonorum eiusdem monasterii foret pacifice adeptus, vacare speraretur, nos de ipso prepositatu, cum illum ut prefertur vel alias quovis modo preterquam per ipsius Henrici abbatis obitum vacare contingeret, bone memorie Bartholomeo tituli s. Potenciane pres-

bytero cardinali, dicte sedis legato, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . [1]) Cum itaque postmodum prefatus cardinalis, antequam sibi de huiusmodi prepositatu dictarum litterarum vigore provideretur, extra Romanam curiam fuerit vita functus [2]), dictusque prepositatus per huiusmodi promocionem et ex eo, quod idem Henricus abbas possessionem pacificam administracionis bonorum dicti monasterii fuit adeptus, vacaverit et vacet ad presens, nullusque de ipso prepositatu preter nos hac vice disponere potuerit sive possit pro eo, quod nos ante vacacionem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica secularia et regularia, que promovendi per nos ad quorumcunque monasteriorum vacancium regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, extunc inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari: nos volentes . . . . Mathiam dictum Predika monachum dicti monasterii . . . . pro quo eciam prefatus Henricus abbas nobis . . . . supplicavit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Mathiam ad hoc ydoneum esse reppereris . . . ., prepositatum ipsum, qui curatus vel dignitas aut personatus seu conventualis non est, et ad quem quis per eleccionem non assumitur, et qui ab eodem monasterio dependet et per monachos ipsius monasterii, cuius idem Mathias monachus eciam expresse professus existit, gubernari et a quo illum pro tempore obtinens pro solo nutu abbatis pro tempore existentis amoveri et ad claustrum eiusdem monasterii revocari consueverunt, cuiusque fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Mathie auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Mathias cantoriam dicti monasterii noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Mathias dictum prepositatum . . . . fuerit pacifice assecutus, predictam cantoriam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Marcii a. nono.

R. Lat. 59 fol. 59[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr 547. [2]) Bartholomaeus s. Pudentianae card. 1396 Apr. 16 obiit.

1264. *Johanni Mathiae clerico Poznaniensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, clericis saecularibus assignari consuetum, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Lubin ord. s. Benedicti Poznaniensis dioc. vel commendatoris et fratrum domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani extra muros Poznanienses pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Marcii pont. n. a. nono.“ — Simili modo episcopo Ferentinatensi et archidiacono ecclesiae Poznaniensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1398 Martii 8.

R. Lat. 56 fol. 252[b] — In fine: PRO DEO PRO MEDIETATE, N. DE BENEVENTO.

1265. *Nicolao Beringher clerico Maguntinensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Porta cisterciensis ord. Naumburgensis*[a]*) dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Marcii a. nono.*“ – *Simili modo praeposito s. Crucis Opoliensis Vratislaviensis dioc. et scholastico ac cantori Merseburgensis ecclesiarum.*

Romae, 1398 Martii 8.

R. Lat. 56 fol. 278[b] – [a]) ‚Nuenburgen‘. – In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1266. *Nobili viro Sigismundo dicto Huler armigero Pragensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto idus Marcii a. nono.*“

Romae, 1398 Martii 12.

R. Lat. 58 fol. 220[b] – In fine: N. X DE BENEVENTO.

1267. *Sulkoni*[a]*) praeposito monasterii Chotěšoviensis*[b]*) per praepositum soliti gubernari praemonstratensis ord. Pragensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto idus Marcii a. nono.*“

Romae, 1398 Martii 12.

R. Lat. 58 fol. 220[b] – [a]) ‚Sulconi‘ [b]) ‚Chocyeslauien‘. – In fine: N. X DE BENEVENTO.

1268. *Archiepiscopus Gneznensis et episcopi Cracoviensis ac Pomezaniensis conservatores abbatis et conventus monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses praemonstratensis ord. usque ad decennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Marcii a. nono.*“

Romae, 1398 Martii 14.

R. Lat. 58 fol. 78[a] – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in N. L DE BENEVENTO.

1269. *Monasterio in Porta Apostolorum parrochiales ecclesiae in Stupicz, Lenešicz, Vroutek, Podbořan et s. Stephani in muro civitatis Pragensis uniuntur.*

Romae, 1398 Martii 15.

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii in Porta Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod [vos et] dictum vestrum monasterium propter guerras et alias temporum malignitates, que in illis partibus hactenus viguerunt, hospitalitatem solitam et alia onera vobis et eidem monasterio incumbencia commode, prout velletis, supportare non potestis. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut in Stupicz, in Lenessicz, in Vorutek, in Podborzan et s. Stephani in muro civitatis Pragensis parrochiales ecclesias dicte diocesis, que de iure patronatus dicti vestri monasterii existunt, vobis et dicto vestro monasterio pro sustentacione vestra et huiusmodi oneribus supportandis unire, annectere et incorporare . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . easdem ecclesias, quarum centum, vobis et dicto vestro monasterio, cuius quingentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... auctoritate apostolica . . . . unimus, annectimus et incorporamus; ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus ipsarum ecclesiarum, qui nunc sunt, vel alias ipsas ecclesias quomodolibet dimittentibus, liceat vobis possessionem ecclesiarum ac iurium et pertinenciarum predictarum libere apprehendere et licite perpetuo retinere ipsasque ecclesias in usus vestros et dicti monasterii convertere, dyocesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licencia vel consensu minime requisitis, reservatis tamen de fructibus . . . . ipsarum ecclesiarum pro perpetuis vicariis inibi instituendis congruis porcionibus, de quibus iidem vicarii possint commode sustentari, episcopalia iura solvere et alia eis incumbencia onera supportare; non obstantibus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. nono.

R. Lat. 59 fol. 28ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1270. *Monasterio Chotěšoviensi* [a]) *per praepositum solito gubernari praemonstratensis ord. Pragensis dioc., cuius fructus 1000 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Sekyřan* [b]) *et in Stankov* [c]) *de iure patronatus eiusdem monasterii necnon parrochialis ecclesia in Liticz* [d]) *de iure patronatus laicorum, Pragensis dioc., quarum fructus 80 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservatis tamen de earum fructibus congruis portionibus pro perpetuis vicariis in eis instituendis.* „*Sacre vestre religionis*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. nono.*“

Romae, 1398 Martii 15.

R. Lat. 59 fol. 275ª – a) ‚Chociessouien‘ b) ‚Sekyrzan‘ c) ‚Stankow‘ d) ‚Lithicz‘. — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1271. *Monasterio s. Mariae in Doxano per praepositum solito gubernari praemonstratensis ord. Pragensis dioc., cuius fructus 400 marcarum argenti valorem*

annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Mur, in Kmetinaves[a]) *et in Srbicz dictae dioc., quae de iure patronatus dicti monasterii existunt, quarumque fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservatis tamen de earum fructibus congruis portionibus pro perpetuis vicariis inibi instituendis. „Sacre vestre religionis" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. nono."*

Romae, 1398 Martii 15.

R. Lat. 59 fol. 29[a] — [a]) ‚Knechinaves' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1272. *Monasterio Strahoviensi alias Montis Sion Pragensi praemonstratensis ord., cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Radonicz*[a]) *et in Řipo*[b]) *dictae dioc., quae de iure patronatus dicti monasterii existunt, quarumque fructus 25 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservatis tamen de earum fructibus congruis portionibus pro perpetuis vicariis inibi instituendis. „Sacre vestre religionis" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. nono."*

Romae, 1398 Martii 15.

R. Lat. 59 fol. 28[b] — [a]) ‚Radmucz' [b]) ‚Rzipo'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1273. *Iudicibus mandatur motu proprio, quatenus Nicolao de Volavia canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1398 Martii 20.

Bonifacius . . . . Monopolitano et Tudensi episcopis ac . . . . abbati monasterii s. Mariae extra muros Wratislauienses . . . . Grata devocionis et familiaritatis obsequia, que . . . . Nicolaus de Wolauia canonicus Wratislauiensis, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Henricus Lobschicz . . . . obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao, eciam si illos ut premittitur vacantes aliarum litterarum nostrarum auctoritate acceptaverit et sibi eos conferri fecerit, seu sibi mandaverimus aut concesserimus de eisdem provideri,[1]) auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, ... quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan hodie, cuiuscunque status,

gradus vel condicionis existant, de dictis canonicatu et prebenda ut prefertur vacantibus in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra est provisum aut mandatum seu concessum provideri . . ., prefatum Nicolaum . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Aprilis a. nono.

R. Lat. 54 fol. 69b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO — [1] Cf. nr. 1262.

1274. *Judicibus mandatur, quatenus Blasium de Tescowicz inducant in corporalem possesionem parrochialis ecclesiae in Rewnicz, quae ei in palatio apostolico adiudicata est.*

Romae, 1398 Martii 22.

Bonifacius . . . . episcopo Pennensi et . . . . scolastico ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam ac officiali Pragensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Blasii dicti Jastrambek de Tescowicz rectoris parrochialis ecclesie n Rzyewnicz Pragensis diocesis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . Wenceslaum Jacobi de Horzowicz clericum dicte diocesis et quondam Hirzkonem de Verona presbyterum super dicta ecclesia . . . . materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, ... Jacobo episcopo Plocensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Wenceslai . . . . commisimus . . . ., coram quo . . . . magistris Johanne Stunk Hirzkonis et Johanne Scriuani Wenceslai predictorum procuratoribus in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam pro parte sua dato libello et de calumnia et de veritate dicenda in ipsius episcopi, tunc auditoris, presencia prestito iuramento in causa huiusmodi in certis terminis ad hec statutis, predictus episcopus, tunc auditor, ad dicti Johannis Scriuani instanciam predictum Johannem Stunk ad dandum et per alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo dictus Johannes Scriuani . . . comparens, predicti Johannis Stunk non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quosdam posiciones et articulos pro parte sua in huiusmodi causa dedit, prefatusque episcopus, tunc auditor, ad dicti Johannis Scriuani instanciam predictum Johannem Stunk ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos, quidquid vellet, necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et instrumenta, quibus partes uti vellent in causa huiusmodi, per quosdam cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus predictus Johannes Scriuani . . . . comparens, predicti Johannis Stunk non comparentis contumacian accusavit, et in eius contumaciam nonnullas litteras apostolicas instrumenta publica aliaque iura et munimenta, quibus pro parte sua in huiusmodi causa uti voluit, produxit in dictis terminis ad hec datis, idemque episcopus, tunc auditor, ad dicti Johannis Scriuani instanciam predictum Johannem Stunk ad dicendum contra huiusmodi

producta, quidquid vellet, per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo dictus Johannes Scriuani . . . . comparens, predicti Johannis Stunk non comparentis contumaciam accusavit. Et subsequenter, cum prefatus Hirzko lite huiusmodi sic indecisa pendente extra predictam curiam fuisset vita functus, nos eidem episcopo, tunc auditori, per nostras litteras graciose mandavimus, ut predictum Blasium . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Hirzkoni in dicta ecclesia seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surrogaret . . . .[1]) Postmodum vero nos causam huiusmodi . . . . magistro Jacobo Steube cappellano nostro et causarum predicti palacii auditori . . . . commisimus . . . ., et licet ipse Blasius vigore gracie et mandati huiusmodi in iure et ad ius huiusmodi per dictum Jacobum Steube auditorem surrogatus et de illo sibi provisum fuisset canonice . . . ., tamen prefatus Wenceslaus, falso asserens eandem ecclesiam ad se spectare . . . ., impedivit, prout impedit . . . ., quominus gracia, mandatum, surrogacio . . . . predicta debitum sortita fuerint et sorciantur effectum, et alias eundem Blasium super dicta ecclesia multipliciter molestavit, deindeque vero . . . . magister Rotherus de Balhorn procurator dicti Blasii coram eodem Jacobo Steube auditore in iudicio comparens, nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit necnon quandam peticionem summariam pro parte sua in huiusmodi causa dedit, idemque Jacobus Steube auditor ad eiusdem Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad dicendum contra huiusmodi producta, quidquid vellet, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, per quosdam cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dicto Rotgero . . . . comparente et dicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa huiusmodi concludi petente, memoratus Jacobus Steube auditor, reputans eundem Johannem Scriuani . . . . merito contumacem, in eius contumaciam cum eodem Rotgero in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc prefixo; et deinde prefatis Rotgero et Johanne Scriuani . . . . in iudicio comparentibus ipsoque Rotgero diffinitivam in huiusmodi causa sentenciam ferri petente in certa die ad hoc prefixa, sepedictus Jacobus Steube auditor, visis et diligenter auditis omnibus et singulis actis, actitatis, habitis et productis in causa huiusmodi ipsisque cum diligencia recensitis et examinatis ac facto super hiis omnibus coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum coauditorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicta peticione sumaria petita fuerint: graciam et mandatum apostolica de surrogando necnon surrogacionem et provisionem predictas et omnia inde secuta fuisse et esse canonica suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, opposiciones, molestaciones et impedimenta predicta, per dictum Wenceslaum prefato Blasio prestita, fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta, dictamque ecclesiam ad prefatum Blasium spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere sibique eandem adiudicandum fore et adiudicavit, prefatoque Wenceslao in dicta ecclesia seu ad eam nullum ius competisse sive competere, predictumque Blasium in et ad corporalem possessionem

dicte ecclesie iuriumque et pertinenciarum eiusdem inducendum fore, et quantum potuit, induxit, ipsique Wenceslao de et super opposicionibus, molestacionibus et impedimentis necnon ecclesia predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit. A qua quidem sentencia pro parte dicti Wenceslai ad sedem fuit apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . Johanni electo Lubucensi, tunc capellano nostro et causarum dicti palacii auditori, ... commisimus . . . ., qui Rothero et Johanni Scriuani prefatis coram eodem in iudicio comparentibus ad dandum et recipiendum libellum in causa huiusmodi assignavit certum peremptorium terminum competentem; in quo dictus Rotgerus coram eodem electo, tunc auditore, in iudicio comparens, predicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in huiusmodi causa dedit libellum, idemque electus, tunc auditor, ad dicti Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda necnon ad dandum et per eandem alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, per quosdam cursores nostros succesive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Rotgerus . . . . comparens, predicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam predictum in ipsius electi, tunc auditoris, presencia prestitit iuramentum necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huiusmodi in dictis terminis ad hoc datis, prefatusque electus, tunc auditor, ad dicti Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos, quidquid vellet, necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse uti vellent in causa huiusmodi, per quosdam cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dictus Rotgerus . . . . comparens, predicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnullas litteras apostolicas, instrumenta publica, aliaque iura et munimenta . . . . produxit . . . .; idemque electus, tunc auditor, ad dicti Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad dicendum contra huiusmodi producta, quidquid vellet, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi . . . . citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dicto Rotgero . . . . comparente et predicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusante, memoratus electus, tunc auditor, reputans eundem Johannem Scriuani . . . . merito contumacem, in eius contumaciam cum prefato Rotgero in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc prefixo, et ad eiusdem Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem; in qua dicto Rotgero . . . . comparente et predicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusante . . . ., sepedictus electus, tunc auditor, reputans eundem Johannem Scriuani . . . . merito contumacem . . . ., per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Jacobum auditorem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, pronunciatum, sentenciatum et diffinitum ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et ab ipso Jacobo auditore et eius sentencia pro

parte dicti Wenceslai male fuisse et esse appellatum ipsumque Wenceslaum in expensis in huiusmodi causa legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi in posterum reservata. Et subsequenter prefatus electus, tunc auditor, ad dicti Rotgeri instanciam predictum Johannem Scriuani ad videndum taxari expensas huiusmodi coram ipso electo, tunc auditore, ... statim .... citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem; in quo dicto Rotgero .... comparente et predicti Johannis Scriuani non comparentis contumaciam accusante ...., prenominatus electus, tunc auditor, reputans eundem Johannem Scriuani .... contumacem, in eius contumaciam expensas huiusmodi in viginti florenis auri de camera boni et iusti ponderis provida moderacione taxavit, predicti Rotgeri super expensis ipsis iuramento secuto, prout in instrumentis publicis inde confectis, dictorum Jacobi et electi, tunc auditorum, sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat .... Nicolaus dictus Cacabus, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, lite huiusmodi indecisa pendente, in dicta ecclesia se intruserit, ipseque Blasius dubitet, ne eciam aliqui alii forsan in ipsa ecclesia hactenus se intruserint vel inposterum intrudant, pro parte ipsus Blasii nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque ...., que super hiis a predictis Jacobo et electo tunc auditoribus, provide facta sunt, rata habentes et grata dictasque sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... prefatum Blasium vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum, amoto exinde dicto Wenceslao, inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, facientes sibi de ipsius ecclesie fructibus .... integre responderi et de predicta florenorum summa pro dictis expensis iuxta prefati instrumenti earundem condempnacionis et taxacionis tenorem plenam et debitam satisfaccionem impendi; et insuper ad execucionem presencium eciam contra predictum Nicolaum et alios forsan intrusos et intrudendos huiusmodi perinde, quoad possessionem dumtaxat ipsius ecclesie eidem Blasio tradendam, eadem auctoritate procedatis, ac si sentencie ipse contra eos late forent; et nichilominus legitimis super hiis habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, auctoritate predicta aggravare curetis .... Datum Rome ap. S. Petrum XI. kal. Aprilis pont. n. a. nono.

R. Lat. 60 fol. 227a — In fine PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 984.

1275. *Johanni dicto Monch oppidano oppidi Opoliensis et Dorotheae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Aprilis a. nono.“*

Romae, 1398 Martii 26.

R. Lat. 58 fol. 216b — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

1276. *Iudicibus mandatur, quatenus Venceslao de Dubrawnik parrochialem ecclesiam in Drazov conferant.*

Romae, 1398 Martii 27.

Bonifacius .... patriarche Gradensi et .... Lucensis ac Gradicensis Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Wenceslaus dictus Wenczus de Dubrawnik presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Strassaw dicte diocesis, quam quondam Petrus de Melnik .... obtinebat, per eiusdem Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus Wenceslaus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem .... abbatisse et conventus monasterii in Czussnewicz cisterciensis ord. eiusdem diocesis .... pertinens, expectabat, eandem ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dictarum abbatisse et conventus communiter pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi obtinuit provideri, ipsamque ecclesiam vigore acceptacionis et provisionis huiusmodi extitit assecutus. Cum autem .... prefatus Wenceslaus dubitet acceptacionem et provisionem predictas .... viribus non subsistere ...., discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... sexdecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Wenceslao .... conferre et assignare curetis .... Volumus autem, quod, quamprimum dictus Wenceslaus .... prefatam ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas illam acceptavit et de ea sibi provideri fecit ...., et quecunque inde secuta sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. nono.

R. Lat. 60 fol. 176[b] — Supra in marg. sin. P. DE BOSCO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1277. *Iudicibus mandatur, quatenus Thomae de Telč parrochialem ecclesiam in Olší, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1398 Martii 27.

Bonifacius .... episcopo Perusino et .... Lucensis ac .... Gradicensis Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Thomas de Telcz presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Thome peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Olssye dicte diocesis, quam quondam Wenceslaus dictus Pyuota .... obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... nobilis vir Wilhelmus de Pernstayn domicellus dicte diocesis, verus patronus eiusdem ecclesie ...., prefatum Thomam ad eandem ecclesiam instituendum bone memorie Nicolao episcopo Olo-

mucensi infra tempus legitimum presentavit, idemque episcopus prefatum Thomam in ipsius ecclesie rectorem auctoritate ordinaria instituit, ac ipse Thomas vigore presentacionis et institucionis predictarum eandem ecclesiam assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . prefatus Thomas dubitet presentacionem et institucionem predictas . . . . viribus non subsistere . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., eidem Thome . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. nono.

R. Lat. 60 fol. 170ª — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

***1278**. Judicibus mandatur, quatenus Adae de Doubrawnik parrochialem ecclesiam in Rožná conferant.*

Romae, 1398 Martii 28.

Bonifacius . . . . Lucensis et Gradicensis ac Trebicensis Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Adam de Dubrawnik presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ade peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Rozna dicte diocesis tunc ex eo vacante, quod . . . Henricus rector parrochialis ecclesie in Lipnyk dicte diocesis, eandem ecclesiam in Rozna tunc obtinens, ecclesiam in Lipnyk predictam tunc certo modo vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterat assecutus, dicta ecclesia in Rozna per eum libere et omnino dimissa, prefatus Adam vigore quarundam litterarum fel. rec. Urbani pape VI. predecessoris nostri, per quas ipse predecessor eidem Ade de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii in Dubrawnik premonstratensis ord. dicte diocesis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, graciose mandaverat provideri, ecclesiam in Rozna predictam, sic vacantem et ad collacionem dictarum abbatisse et conventus communiter pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ipsamque . . . . assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem . . . . idem Adam dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam in Rozna predictam, cuius fructus . . . . sex marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Ade auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . Volumus autem, quod, quamprimum ipse Adam . . . . predictam ecclesiam in Rozna fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas illam acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. nono.

R. Lat. 60 fol. 171ᵇ — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1279. *Andreae rectori parrochialis ecclesiae in Domyslicz*[a]) *Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. nono."*

Romae, 1398 Martii 28

R. Lat 58 fol. 138[r] — [a]) ‚Sdomislicz' — In fine: JAC. XIIII DE TERAMO

1280. *Praeposito ecclesiae Seccoviensis mandatur, quatenus Johanni Schongurtel de Policz presbytero Litomyšlensis*[a]) *dioc. parrochialem ecclesiam in Wolfsberg Salzburgensis dioc., per Johannem episcopum Seccoviensem auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant; non obstante, quod dudum eidem Johanni Schongurtel de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, ad collationem abbatis et conventus monasterii Trebecensis ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. pertinente, vacante vel vacaturo, per alias litteras apostolicas a papa provideri mandatum est, quae litterae quoad curatum beneficium cassae esse debent, quamprimum ipse Johannes Schongurtel dictam parrochialem ecclesiam assecutus fuerit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a nono."*

Romae, 1398 Martii 29.

R. Lat. 60 fol. 182[b] — [a]) ‚Luthomuslen' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

1281 *Episcopo Ferentinatensi mandatur quatenus, si Johanem Kbel quondam Nicolaum de Jevíčko super canonicatu et praebenda ecclesiae Olomucensis sine canonico titulo impetiisse invenerit, surrogationem eius ad omne ius, quod dicto Nicolao in eisdem canonicatu et praebenda competebat, nullius esse roboris declaret, ipsosque canonicatum et praebendam Georgio de Jevíčko conferat.*

Romae, 1398 Martii 30.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus apud nos . . . . Georgius Bisunti de Gewiczka canonicus ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis, bacallarius in iure canonico, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem ad audienciam nostram deducto, quod orta dudum inter . . . . Johannem Kbel canonicum Pragensem, decretorum doctorem, et quondam Nicolaum de Gewiczka clericum super canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis, de quibus, tunc per obitum quondam Adalberti alias Woycechii ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantibus, Johannes sibi auctoritate apostolica provisum fuisse canonice, ipsosque vigore provisionis huiusmodi sibi deberi, dictumque Nicolaum se provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus provisio huiusmodi debitum sortita fuerit et sortiretur effectum et quominus idem

Johannes eosdem canonicatum et prebendam pacifice assequi posset, Nicolaus vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asseruerant, prout adhuc idem Johannes asserebat, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Nicolai ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . magistro Jacobo Steube capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Nicolai . . . . commiseramus . . . ., ipseque auditor in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem dicebatur processisse, quodque prefatus Nicolaus lite huiusmodi coram eodem auditore indecisa pendente in possessione dictorum canonicatus et prebende existens, extra prefatam curiam fuerat vita functus: nos videlicet VIII. kal. Decembris pont. n. anno nono[1]) proprio motu . . . . eidem auditori per nostras litteras mandavimus, quatinus predictum Johannem . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Nicolao tempore huiusmodi sui obitus in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate apostolica surrogaret . . . . dictumque Johannem ad huiusmodi ius . . . . necnon ad possessionem ipsorum canonicatus et prebende, in qua prefatus Nicolaus erat, ut prefertur, admitteret et admitti faceret, ut moris esset; et successive nos, videlicet V. kal. Decembris anni predicti[2]) ad humilem ipsius Georgii supplicacionem eidem auditori per alias nostras litteras mandavimus, ut eciam prefatum Georgium . . . . in iure et ad ius huiusmodi auctoritate predicta surrogaret . . . . Deinde vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Georgii peticio continebat, postquam idem Jacobus auditor ad nonnullos surrogacionis et collacionis et alios actus in causa huiusmodi processerat, nos causam huiusmodi tibi, qui adhuc locum unius ex auditoribus dicti palacii de mandato nostro tenebas, prout tenes, ad prefati Georgii instanciam . . . . commisimus . . . . Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predictus Nicolaus, dum ipse per prefatum Johannem super dictis canonicatu et prebenda impeteretur, senex et valitudinarius extiterit, ipseque Johannes, ut dicitur, nullum tunc canonicum titulum in ipsis canonicatu et prebenda, occasione cuius ipsum Nicolaum impetere posset, habuerit, sed sibi de eis nec de iure nec de facto vacantibus procuraverit, ut asseritur, auctoritate apostolica provideri, cuius provisionis pretextu predictum Nicolaum dicitur impediisse in finem, ut presumitur, qui secutus est, videlicet quod, quamprimum dictum Nicolaum decedere contingeret, ipse Johannes in preiudicium aliorum ibidem forsan prebendas aut alia beneficia auctoritate nostra expectancium, aut ad quos dictorum canonicatus et prebende disposicio de iure vel consuetudine pertineret, se in iure et ad ius huiusmodi auctoritate predicta surrogari et ad eorundem canonicatus et prebende possessionem admitti procuraret: nos . . . . volentes dicto Georgio, qui eciam magister in artibus existit, ... graciam facere specialem, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus super premissis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris pretatum Nicolaum, dum ipse per dictum Johannem super ipsis canonicatu et prebenda impetitus fuerat, senem et valitudinarium extitisse, aut ipsum Nicolaum canonicum titulum in eisdem canonicatu et prebenda tunc habuisse, ut prefertur, eidem Johanni peremptorium terminum competentem ad docendum se tempore impeticionis huiusmodi canonicum titulum in ipsis canonicatu et prebenda habuisse prefigas, et si infra ipsum

terminum de huiusmodi canonico titulo non docuerit, mandatum de surrogando ipsum Johannem ac surrogacionem et provisionem et alia quecunque inde secuta, colorato prefati Johannis titulo, si quem pretendit, non obstante, auctoritate nostra declares fuisse et esse nullius roboris vel momenti, et nichilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Georgio . . . . auctoritate predicta conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. nono.

R. Lat. 60 fol. 123a. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N XXX DE BENEVENTO. — [1]) 1397 Nov. 24. [2]) 1397 Nov. 27.

1282. *Nicolao de Volavia reservantur motu proprio aliquot beneficia ecclesiastica in diversis civitatibus et diocesibus vacantia vel vacatura.*

Romae, 1398 Martii 30.

Bonifacius . . . . Nicolao de Wolauia preposito ecclesie s. Egidii Wratislauiensis . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum vel duo seu tria aut quatuor vel plura et tot . . . . beneficia . . . . ecclesiastica . . . ., consueta clericis secularibus assignari, ... quorum fructus . . . usque ad summam centum marcharum argenti puri secundum taxacionem decime annuatim ascendant, eciam si beneficia ipsa in cathedralibus vel collegiatis aut in s. Petri Wissegradensi prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecta canonicatus et prebende eciam maiores, et aliquod ipsorum curatum aut dignitas vel personatus seu officium, et dignitas ipsa curata et in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad illa . . . . consueverit quis per eleccionem assumi, ad cuiuscunque seu quorumcunque collatorum vel collatricum collacionem . . . . pertinencia, si . . . . qua in Pragensibus, Wratislauiensibus, Cracouiensibus et Warmiensibus ecclesiis, civitatibus vel diocesibus . . . . vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint . . . ., conferenda tibi . . . ., eciam si fuerint disposicioni apostolice specialiter reservata, motu proprio . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus . . . . ipsarum ecclesiarum . . . ., et eciam si de minoribus ad maiores prebendas sit ascensus, ac statuto et ordinacione fel. rec. Urbani pp V. predecessoris nostri, quibus caveri dicitur, quod nullus in ipsa maiori Pragensi et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem plures canonicatus et prebendas simul obtinere possit . . . ., aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra vel alicuius facultatis, super conferendis canonicatibus et prebendis et dignitatibus, personatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis nominandis personis ydoneis ad eadem per nos concesse, eciam cum simili vel dissimili seu quavis alia antelacionis prerogativa in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum huiusmodi beneficia expectantibus, eciam illis, quibus per nos est concessum vel imposterum concedi

contigerit, quod gracie cum huiusmodi clausula antelacionis quibuscunque concesse vel concedende eis in assecucione canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum huiusmodi preiudicare non possent, familiaribus et aliis personis nominatis et nominandis vigore litterarum facultatis per sedem apostolicam de conferendis ipsis beneficiis concesse vel imposterum concedende, eciam si de eis facultatibus huiusmodi in presentibus de verbo ad verbum habenda foret mencio specialis, gracias expectativas in illis partibus habentibus, ac eciam illis, quibus forsan de huiusmodi beneficiis per te acceptandis, ut prefertur, sub eiusdem diei data, qua ea acceptaveris et de illis tibi presencium vigore provideri feceris, qualitercunque providerimus aut mandaverimus seu concesserimus provideri in futurum, cuiuscunque eciam status, gradus, ordinis, preeminencie vel condicionis extiterint, eciam si expectantes ipsi familiares nostri actu domestici et continui commensales fuerint, preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . cubiculariis nostris, quibuscunque constitucionibus ac declaracionibus ac ordinacionibus apostolicis atque nostris ac presertim declaracione per nos edita, quod gracie expectative cum clausula anteferri non preiudicent alicui similes gracias cum simili clausula primo habentibus et precedentibus eos in data, sed secundum ordinem, quoad ipsas [clausulas] gracias ipsas debuisse et debere sortiri effectum, ita quod prior in data in assecucione gracie ceteris preferatur,[1]) et aliis contrariis, que omnia presentibus ex certa sciencia haberi volumus pro expressis, nequaquam obstantibus, te . . . . volumus anteferri . . . . Ceterum ut presentes littere celerius sorciantur effectum, auctoritate apostolica motu simili decernimus tenore presencium et declaramus per aliquas gracias super canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis, per nos alicui vel aliquibus in genere vel in specie sub quavis facultate aut alia forma vel expressione verborum factis vel faciendas, quoad assecucionem canonicatuum et prebendarum ac dignitatis, personatus vel officii huiusmodi, quos vel quam seu que presencium vigore alias legitime acceptaveris et de quibus tibi provideri feceris, tibi non intendisse seu intendere in aliquo derogare, nisi in eis de presentibus de verbo ad verbum et de tuis nomine et cognomine propriis plena et expressa mencio habeatur. Et insuper tecum, ut beneficium seu officium curatum aut dignitatem, personatum vel officium huiusmodi, si tibi vigore presencium aut alias canonice conferantur, recipere et una cum prepositura ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, quam obtines et que curata ac dignitas est, et aliis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que obtines et expectas et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere . . . . valeas . . . ., motu simili auctoritate predicta . . . . dispensamus . . . . Volumus autem, quod littere, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende necnon dignitatis vel personatus seu officii aut beneficiorum aliorum in dictis ecclesia, civitate et diocesi Wratislauiensibus providimus,[2]) si que non sunt sortite effectum, ... exnunc sint casse et irrite . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. nono.

S i m i l i m o d o . . . . Tudensi et Lubucensi episcopis ac . . . abbati monasterii s. Marie extra muros Wratislauienses . . . .

R. Lat. 56 fol. 256a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS, in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. In marg. sin. praeterea haec nota legitur: „Cassetur alia, dum reperiatur, quia per istam corrigitur. Jac.“ Re vera alia copia non cancellata eiusdem bullae, sed cum clausulis aliqua ex parte differentibus in R. Lat. 57 fol. 51a reperitur, ubi etiam supra in marg. sin „Bertoldus“, in fine autem „De mandato, Jac. de Teramo“ adscriptum est. — [1]) Cf. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 69 (Reg. Bon. IX nr. 55). [2]) Cf. nros. 204, 205.

1283. *Iudicibus mandatur, quatenus Conrado de Grünberg canonicatum et praebendam ecclesiae Soldinensis necnon quoddam altare ecclesiae Vyšehradensis, quae adhuc illegitime detinebat, postquam ea dimiserit, de novo conferant.*

Romae, 1398 Aprilis 3.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi et . . . . preposito s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis ac decano s. Appollinaris Pragensis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Conradus Conradi de Grunenberg clericus Maguntinensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Hodie vero pro parte dicti Conradi nobis exposito, quod, cum olim damnate memorie Robertus olim basilice XII Apostolorum presbyter cardinalis, tunc antipapa, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumebat, eciam damnate memorie Guilelmum olim tituli s. Stephani in Celio monte presbyterum cardinalem dictum de Agrifolio tamquam legatum dicte sedis ad partes Almanie destinasset, idem Conradus Johanni de Wittenberg antiepiscopo Lubicensi, tunc in servicio prefati Guilelmi existenti, dum idem Johannes sub nomine dicti antipape maiores et minores ordines de facto celebraret, in pretensa celebracione ordinum huiusmodi serviendo astiterat ac huiusmodi ordinandos examinaverat necnon litteras testimoniales super pretensa celebracione ordinum huiusmodi scripserat et quamplura instrumenta publica et litteras sub nomine antipape et antiepiscopi predictorum et aliorum eis adherencium confecerat et alias eisdem antipape, Guilelmo necnon antiepiscopo eciam post et contra processus, per fel. rec Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra eundem Robertum ac eius fautores et sequaces et adherentes eidem factos et sollemniter publicatos, ... notorie et publice adheserat, et quod deinde canonicatu et prebenda ecclesie ss. Petri et Pauli apostolorum in Soldin Caminensis diocesis tunc per obitum quondam Danielis dicti Daniel ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantibus, quondam Johannes marchio Brandenburgensis, verus patronus eorundem canonicatus et prebende . . . ., prefatum Conradum . . . . Philippo de Helpten vicario in spiritualibus generali . . . . Johannis olim et tunc electi Caminensis ad ipsos canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum presentaverat quamvis de facto, idemque Philippus, habens ad hoc eciam, ut dicebat, ab eodem Johanne electo specialem potestatem, prefatum Conradum ad eandem prebendam sic vacantem in canonicatu ecclesie predicte vigore potestatis huiusmodi instituerat eciam de facto [1]); et subsequenter altari s. Nicolai

sito in ecclesia s. Petri Wissegradensi Pragensi per liberam resignacionem . . . . Mathie Resen olim ipsius altaris rectoris, per eum de illo . . . . in manibus . . . . magistri Bartholomei Francisci prepositi ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, tunc eciam officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regentis, apud sedem predictam sponte factam et per eundem Bartholomeum de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis apud eandem admissam, apud sedem ipsam vacante, dictus Conradus ipsum altare sic vacans, pretextu quarundam aliarum litterarum nostrarum sibi collatum, assecutus, illud extunc ac eciam dictos canonicatum et prebendam ecclesie ss. Petri et Pauli apostolorum pretextu presentacionis et institucionis predictarum similiter de facto assecutus detinuerat, prout detinebat, fructus percipiendo ex eisdem eciam de facto: nos eundem Conradum ab huiusmodi excommunicacionis ac aliis sentenciis atque penis, quas propter premissa incurrerat, auctoritate apostolica per alias nostras litteras absolvimus ac secum super irregularitate, si quam huiusmodi sentenciis ligatus celebrando divina . . . . contraxerat, dispensavimus ac omnem inhabilitatis maculam . . . . abolevimus ipsumque in statum pristinum per easdem litteras restituimus ac voluimus, quod ipse Conradus canonicatum et prebendam ecclesie ss. Petri et Pauli apostolorum necnon altare predicta extunc realiter et omnino dimitteret . . . . Cum itaque propterea canonicatus et prebenda ecclesie ss. Petri et Pauli ac altare predicta adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, nullusque de dicto altari preter nos hac vice disponere potuerit sive possit . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam ecclesie ss. Petri et Pauli ac altare predicta, quod quidem altare sine cura est, et cuius ac dictorum canonicatus et prebende fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Conrado, postquam illos, ut prefertur, dimiserit, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. nono.

R. Lat 62 fol. 185[b] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXVII DE BENEVENTO — [1]. Cf. nr. 832.

1284. *Venceslao patriarchae Anthioceno remittitur solutio servitiorum ratione commendatariae monasterii Cladrubensis camerae apostolicae et sacro collegio debitorum.*

Romae, 1398 Aprilis 5.

Bonifacius . . . . universis . . . . Universitati vestre notum facimus per presentes, quod nos attendentes grata et fidelia servicia . . . . Wenceslai patriarche Anthioceni, que nobis et Romane ecclesie et apostolice sedi hactenus impendit et adhuc sollicitis impendere studiis non desistit, ipsumque propterea volentes specialibus favoribus prosequi gratiosis, ipsius itaque in hac parte supplicationibus inclinati, omne et totum illud, quod pro communi et quinque minutis servitiis, pro quibus alias apostolice camere et sacro collegio . . . . s. Romane ecclesie cardinalium sub certis penis et sententiis ratione commendatarie mona-

sterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, sibi alias per nos in commendam dati.[1]) dictis camere et collegio se efficaciter obligavit,[2]) sibi gratiose remittimus et donamus et ipsum eiusque heredes et successores et dictum monasterium de dictis communi et quinque minutis servitiis, tam camere quam collegio predictis ac eciam familiaribus et officialibus camere et collegii predictorum debitis, et ipsorum nomine auctoritate apostolica tenore presentium quitamus, absolvimus et perpetuo liberamus. Datum Rome ap. S Petrum nonis Aprilis pont. n. a. nono.

Oblig. et sol. 55 fol. 57b — In fine: A. DE PORTUGRUARIO: DE CURIA. JO. DE TREMOSNICZ: FL. I GR. II — [1]) Vide nr. 1130. [2]) Cf. nr. 1167 et 1245.

1285. *Pragensi et Gneznensi archiepiscopis et episcopo Vratislaviensi mandatur, ne fratres ordinum minorum et predicatorum provinciae Bohemiae et Poloniae contra constitutionem Johannis papae XXII. 1321 Julii 25 editam, per quam erronei articuli magistri Johannis de Polliaco sacramentum poenitentiae tangentes damnati fuerunt, a praelatis et rectoribus parrochialium ecclesiarum molestari permittant.*

Romae, 1398 Aprilis 10.

Bonifacius . . . . Pragensi et Gneznensi archiepiscopis ac episcopo Wratislauiensi . . . . Super egenum intendentes et pauperem et dantes operam saluti animarum, quandam inter prelatos, rectores parrochialium ecclesiarum et clerum secularem ex una parte et fratres minorum et predicatorum ordinum ex altera provincie Bohemie et Polonie contencionem exortam audivimus super confessionibus audiendis et absolucionibus peccatorum eis volencium confiteri, super qua specialem constitucionem et litis decisionem imperpetuum valituram fel. rec. Johannes papa XXII. predecessor noster de fratrum suorum consilio et assensu specialiter edidit, que est talis: Johannes episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Vas eleccionis &c. [sequitur tenor constitutionis Johannis papae XXII., quae inter Extravagantes communes lib. V tit. III cap. 2 habetur]. Datum Auinione octavo kal. Augusti pont. n. a. quinto.[1]) — Sed quia parum esset iura condere, nisi qui ea tueatur existeret, nos volentes constitucionem et litis decisionem predictas semper irrefragabiliter de cetero observari, fraternitati vestre per apostolica scripta districte mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios fratribus dictorum ordinum provincie predicte et confessis, ut premittitur, eisdem efficacis defensionis presidio assistentes ac facientes constitucionem eandem quoad omnia eius capitula plenarie, prout iacet, firmiter et inviolabiliter observari, non permittatis contra tenorem ipsius memoratos fratres et confessos eisdem a predictis prelatis, rectoribus et clero sive aliis molestari et sacramenta eisdem confessis tam in vita quam in extremis seu mortis articulo aut quociens alias oportunum fuerit quoquo modo denegari vel eis gravamina aut iniurias quomodolibet irrogari, facturi predictis et cuilibet

predictorum de illatis vexacionibus, molestacionibus, iniuriis et gravaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum; ita quod officium, potestas et iurisdiccio vestra exnunc perpetua censeatur, molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores et rebelles, quandocunque et quociescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; non obstantibus tam de duabus dietis in concilio generali quam fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quarum prima cavetur, ne quis nisi in certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero, ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus eiusdem diocesis ad iudicium evocetur, et aliis quibuscunque constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdiccioni ac potestati eiusdemque libero exercicio quomodolibet obviare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Aprilis a. nono.

R. Lat 59 fol. 36b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N XXX DE BENEVENTO. – [1]) Articuli Johannis de Polliaco per constitutionem supramemoratam condemnati isti fuerunt: 1. „quod confessi fratribus habentibus licenciam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, que confessi fuerint, iterum confiteri suo proprio sacerdoti"; 2. „quod stante statuto ‚Omnes utriusque sexus' edito in concilio generali Romanus pontifex non potest facere, quod parrochiani non teneantur confiteri semel in anno suo proprio sacerdoti, quem dicet esse parrochialem curatum, ymo deus non potest hoc facere, quia hoc implicat contradictionem"; 3. „quod papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, ymo nec deus, quin confessus habenti licenciam generalem teneatur confiteri eadem peccata suo proprio sacerdoti, quem dicet esse parrochialem curatum" Cf. bullam Clementis VI. super eadem constitutione observanda ddto. 1351 Julii 31 in Cod. dipl. Mor. VIII nr. 100 (= Kliemann, Mon. Boh. Vatic. I nr. 1377).

***1286**. Ludovico de Ballionibus nuntio apostolico datur facultas exigendi ab omnibus collectoribus, succollectoribus, depositariis et debitoribus camerae apostolicae quascunque pecunias et res eidem camerae debitas.*

Romae, 1398 Aprilis 17.

Bonifacius . . . . nobili viro Ludouico de Ballionibus mercatori Perusino . . . . Fidei puritas et circumspeccionis industria, quibus personam tuam novimus insignitam, ac eciam specialis devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, spem nobis indubiam pollicentur, quod ea, que tibi duxerimus committenda, prudenter et fideliter exequeris. Tibi itaque, quem ad partes Alamanie, necnon Boemie, Dacie, Swecie et Norwegie regna pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinamus, petendi et recipiendi per te vel alium seu alios nostro et apostolice camere nomine a quibuscunque collectoribus et succollectoribus fructuum et proventuum dicte camere in predictis partibus et regnis debitorum, apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus deputatis vel imposterum deputandis, ac eciam a quibuscunque depositariis et debitoribus pecuniarum et rerum quarumcunque predicte camere quibuscunque occasione vel

causa ac eciam commissariis et locatenentibus eorundem et cuiuslibet ipsorum, quibuscunque nominibus et cognominibus nuncupentur, omnes et singulas earundem pecuniarum quantitates et summas ac huiusmodi res et alia bona mobilia quecunque, nobis et Romane ecclesie ac eidem camere sive eciam fabricis basilicarum et ecclesiarum Urbis racione generalis indulgencie in quibuscunque ecclesiis aut locis per nos concesse, illius presertim, que ‚annus iubileus' vulgariter nuncupatur, in dictis partibus debitas et debita, et singulariter in predicto regno Swecie censum sive redditum ‚denarium s. Petri' communiter nuncupatum, necnon de receptis dumtaxat eos . . . . quitandi, absolvendi et perpetuo liberandi ac eorum computa dumtaxat videndi eaque postmodum ad predictam cameram transmittendi plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod solventes huiusmodi super hiis, que tibi assignabunt, duo confici faciant consimilia publica instrumenta, quorum uno penes se solventes pro eorum cautela retento, reliquum ad dictam cameram quantocius destinare procurent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Maii a. IX.

R. Vat. 315 fol. 330ª — In fine: ad sin. A. DE PORTUGRUARIO: (ad dext.) DE CURIA, JO. DE TREMOSNICZ.

1287. *Universis praelatis et clero mandatur, ut Ludovico de Ballionibus mercatori Perusino, apostolicae sedis nuntio ad partes Mamanniae, necnon Bohemiae, Daniae, Sveciae, Norvegiae et Poloniae regna et nonnullas alias mundi partes pro nonnullis Romanae ecclesiae negotiis peragendis destinato, de securo conductu prouideant. „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Maii a. nono[a].*

Romae, 1398 Aprilis 17.

R. Vat. 315 fol. 331ª — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE TREMOSNICZ.

1288. *Anno 1398 die 26. Aprilis Johannes episcopus Culmensis per Maternum Wygandi[a]) [de Hilbersdorf] clericum Vratislaviensis duc., procuratorem suum, promisit camerae apostolicae et sacro collegio pro suo communi servitio 700 florenos auri de camera et quinque servitia consueta.*

Romae, 1398 Aprilis 26.

Oblig. et sol. 52 fol. 103ª. — [a]) ‚Vygardi'.

1289. *Bočko de Zvířeticz in capellanum apostolicum recipitur.*

Romae, 1398 Aprilis 29.

Bonifacius . . . . Boczkoni de Zwerzetycz monacho monasterii in Gredis Monachorum cisterciensis ord. Pragensis diocesis, capellano nostro . . . . Virtu-

tibus clarens . . . . [Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et dicte sedis capellanum graciose recipimus ac nostrum et ipsius sedis capellanorum consorcio favorabiliter aggregamus], intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sorciaris, tibi nichilominus concedentes, quod omnibus indulgenciis, immunitatibus, exempcionibus, libertatibus et privilegiis, per fel. rec. Johannem XXII. et Clementem VI. Romanos pontifices, predecessores nostros, capellanis dicte sedis concessis, uti et gaudere libere et licite valeas, pie memorie Innocencii VI., Urbani V., Gregorii XI. et Urbani VI. eciam Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, restriccionibus, revocacionibus, declaracionibus, ordinacionibus, constitucionibus, voluntatibus et decretis atque nostris et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Sic igitur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. nono.

R. Lat. 58 fol. 105[b] — Clausulae hic omissae cum illis nri. 42 concordant. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1290. *Gallus Přibko de Klenová[a]) ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii pont. a. nono".*

Romae, 1398 Aprilis 29.

R. Vat. 315 fol. 283[a] cum his notis in fine: (sin.) X, A. DE BARONIBUS; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) PRO FELICE, GERLACUS; et iterum in R. Lat. 58 fol. 105[a], ubi in fine adscriptum est: N. X DE BENEVENTO. — [a]) ‚Prybko de Clenow' Vat. Lat.

1291. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Venceslao de Olomucz archidiaconatum Bechynensem conferant.*

Romae, 1398 Maii 6.

Bonifacius . . . episcopo Monopolitano et . . . . preposito et cantori ecclesie s. Crucis Wratislauiensis . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Wenceslaus Nicolai de Olomucz canonicus ecclesie Pragensis, bacallarius in decretis, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . archidiaconatus Bechinensis in eadem ecclesia, quem quondam Borscho ultimus archidiaconus Bechinensis in eadem ecclesia . . . . obtinebat, per ipsius Borschonis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .;[1]) non obstantibus . . . ., quod idem Wenceslaus, ut asseritur, parrochialem ecclesiam in Freuspicz Olomucensis diocesis, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum

non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim cum eodem Wenceslao, ut dictum archidiaconatum . . . . recipere et una cum prefata parrochiali ecclesia usque ad quinquennium retinere libere et licite valeat . . . ., dispensamus, ita tamen, quod dictus Wenceslaus parrochialem ecclesiam vel archidiaconatum huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra dictum quinquennium permutare, alioquin eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Maii a. nono.

R. Lat. 62 fol. 29ᶜ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1293.

1292. *Judicibus mandatur, quatenus quemcunque in archidiaconatu Bechynensi intrusum moneant, ut realem possessionem eiusdem archidiaconatus Venceslao de Olomucz dimittat.*

Romae, 1398 Maii 6.

Bonifacius . . . . episcopo Monopolitano et . . . . preposito ac cantori ecclesie s. Crucis Wratislaviensis . . . . Hodie per nos accepto, quod archidiaconatus Bechinensis in ecclesia Pragensi, quem quondam Borscho ultimus archidiaconus Bechinensis in eadem ecclesia . . . . obtinebat, per ipsius Borschonis obitum . . . . vacaverat et vacabat tunc, nos vobis per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut . . . . archidiaconatum predictum . . . . Wenceslao Nicolai de Olomucz canonico eiusdem ecclesie, bacallario in decretis, auctoritate nostra conferre et assignare curaretis . . . .[1]) Nos igitur, ne predictarum litterarum execucionem per litis anfractus aut alias nimium procelari contingat, dicto Wenceslao super hoc favorabiliter providere volentes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus, si predictum archidiaconatum per vos eidem Wenceslao dictarum litterarum vigore conferri contingat, vos vel duo aut unus vestrum quemcunque tunc forsan intrusum in eodem archidiaconatu seu illum qualitercunque alias illicite occupantem auctoritate prefata moneatis, ut infra certum peremptorium terminum competentem, de quo vobis videbitur, et quem sibi ad hoc duxeritis prefigendum, corporalem sive realem possessionem archidiaconatus et iurium predictorum Wenceslao prefato seu eius legitimo procuratori ad hoc per eum deputato, iure tamen proprietatis cuilibet semper salvo, efficaciter et omnino dimittat sub pena privacionis beneficiorum suorum ecclesiasticorum, que tunc obtinebit, necnon inhabilitatis ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda, quam quidem penam, si eidem monicioni effectualiter non pareat, incurrere debeat eo ipso . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Maii a. nono.

R. Lat. 61 fol. 123ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1291.

***1293**. Episcopo Tadensi et praeposito ecclesiae Olomucensis ac officiali Pragensi mandatur motu proprio, quatenus Nicolao de Všerub[a]) canonico Pragensi archidiaconatum Bechynensem[b]) in ecclesia Pragensi, cuius fructus 60 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per mortem Boršonis[c]) ultimi archidiaconi Bechynensis extra Romanam curiam defuncti vacantem, conferant.*[1])

„Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Maii a. nono“.

Romae, 1398 Maii 6.

R. Lat. 57 fol. 6[1] — [a]) ‚Wserob'. [b]) ‚Bechinen'. [c]) ‚Barsso'. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1291, 1292 et 1748.

***1294**. Patriarchae Anthioceno mandatur, quatenus Nicolao [de] Předbořicz praeposituram ecclesiae s. Aegidii Pragensis mox vacaturam reservet.*

Romae, 1398 Maii 11.

Bonifacius .... patriarche Anthioceno .... Dignum arbitramur ... Dudum .... Witkoni de Czrnicicz preposito s. Egidii Pragensis de decanatu s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte ecclesiarum, qui tunc certo modo vacare sperabatur, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod ipse Witko, quamprimum .... dictum decanatum, qui dignitas est, foret pacifice assecutus, preposituram ecclesie s. Egidii predicte, que curata et eciam dignitas existit, et quam tunc temporis obtinebat, prout obtinet, ... omnino dimittere teneretur ....[1]) Cum itaque propterea dicta prepositura vacare speretur, nos volentes .... Nicolaum Przedborzicz clericum Pragensis diocesis .... consideracione .... Wenczeslai Romanorum et Bohemie regis illustris, pro eodem Nicolao, dilecto familiari suo, nobis ..., supplicantis, favore prosequi gracioso, fraternitati tue .... mandamus, quatenus, si ... dictum Nicolaum .... ydoneum ad dictam preposituram obtinendum esse reppereris, ... preposituram predictam, cuius fructus .... sexaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ..., conferendam eidem Nicolao .... donacioni tue auctoritate nostra reserves ....: non obstantibus ..., quod dudum dicto Nicolao, ut asseritur, de duobus beneficiis ecclesiasticis simul vel successive vacantibus vel vacaturis, eciam si unum ipsorum curatum aut dignitas, personatus vel officium foret, ad predicti archiepiscopi [Pragensis] et .... prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici et capituli maioris Pragensis, necnon prepositi, decani, scolastici et capituli dicte s. Petri ecclesiarum collacionem .... pertinentibus, quorum beneficiorum fructus .... quadraginta marcharum argenti .... valorem annuum non excederent, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, ipsumque eciam omnibus auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus preterquam .... cardinalibus et .... familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus in huiusmodi beneficiorum assecucione voluimus anteferri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Nicolaus .... eandem preposituram fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas dicto Nicolao de huiusmodi beneficiis provideri mandavimus ..., et quecunque inde

secuta, quoad curatum beneficium vel officium aut dignitatem vel personatum dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Maii pont. n. a. nono.

R. Lat. 62 fol. 15. — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 1070.

***1295**. Declaratur motu proprio provisionem de praepositura s. Aegidii Pragensi Nicolao de Předbořicz hodie factam effectum sortiri debere et omnes gratias super eadem praepositura aliis forsan factas invalidas esse.*

Romae, 1398 Maii 11.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Hodie siquidem . . . . Nicolao Przibiconis de Przedborzicz clerico Pragensis diocesis de prepositura s. Egidii Pragensi, que tunc certo modo vacare sperabatur, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . .[1]) Verum quia forsan motu proprio seu ad alicuius vel aliquorum importunam instanciam sub quacunque forma vel expressione verborum de ipsa prepositura alii vel aliis persone seu personis quam ipsi Nicolao sub presentis diei data vel eciam per antea providimus seu mandavimus aut concessimus provideri, nos, ne propterea ipsum Nicolaum super dicta prepositura ab huiusmodi persona seu personis molestari contingat, super hoc providere et licium anfractibus, que exinde emergere possint, obviare volentes, motu simili . . . . auctoritate apostolica . . . . declaramus: nostre intencionis fuisse et esse de prepositura predicta eidem Nicolao duntaxat effectualiter providere ac provisionem seu mandatum de providendo huiusmodi ipsius Nicolai debuisse et debere sortiri effectum, ac graciam seu gracias de ipsa prepositura huiusmodi alteri persone vel personis aliis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis eciam si familiaris vel capellanus noster domesticus continuus commensalis existat, sub cuiuscunque diei data forsan per nos quovis modo factam vel factas et quecunque inde secuta eodem motu volumus et . . . . decernimus fuisse et esse inefficacia et invalida ac nullius penitus roboris vel momenti, ipsisque personis super dicta prepositura perpetuum silencium harum serie nichilominus motu simili imponentes. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Maii a. nono.

R. Lat. 69 fol. 130a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1294.

***1296**. Nicolao Stille [de Vansov] clerico non coniugato nec in sacris ordinibus constituto Vratislaviensis dioc. conceditur tabellionatus officium, ad quod per magistrum Bartholomaeum Francisci praepositum ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notarium apostolicum officium cancellariae s. Romanae ecclesiae*

regendum, idoneus repertus est. „Ne contractuum memoria“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Junii a. nono“.

Romae, 1398 Maii 18.

R. Lat. 58 fol. 57[a] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO

1297. *Nobili viro Pročkoni[a]) baroni baroniae de Kunstadt[b]) Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis interdictis missam celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. nono“.*

Romae, 1398 Maii 19.

R. Lat. 58 fol. 217[b] — [a]) ‚Proczkoni' [b]) ‚Vnzar' (sic) — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1298. *Theoderico Copes providetur de parrochiali ecclesia in Altdorf[a]) Coloniensis dioc. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. nono.“ — Simili modo episcopo Concordiensi et praeposito Opoliensis Vratislaviensis dioc. ac decano Vormatiensis ecclesiarum.*

Romae, 1398 Maii 19.

R. Lat. 55 fol. 23[b] — [a]) ‚Alstorp' — In marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

1299. *Ottiko Adae de Týn Horšoviensi[a]) ord. fratrum heremitarum s. Augustini professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. nono.“*

Romae, 1398 Maii 21.

R. Lat. 58 fol. 114[a] — [a]) ‚Tynhorssouien' — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1300. *Judicibus mandatur, quatenus Bartholomaeo de Hořovicz quoddam altare in ecclesia Pragensi conferant.*

Romae, 1398 Maii 24.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Stragouiensis Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . Bartholomeus Petri de Horziewicz presbyter Pragensis . . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Bartholomei peticio continebat, quod olim altari s. Catherine in cancellis sito in ecclesia Pragensi, quod quondam Henzilinus

dictus Skydlacz . . . . obtinebat, per ipsius Henzilini obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dictus Bartholomeus vigore quarundam litterarum nostrarum per nos sibi graciose concessarum, per quas de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante . . . . ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici et capituli ecclesie Pragensis expectabat, altare ipsum, sic vacans et ad collacionem dicti archiepiscopi pertinens, infra tempus legitimum acceptavit. Cum autem . . . . dictus Bartholomeus dubitet acceptacionem huiusmodi et provisionem de eo forsan sibi faciendam . . . . viribus non subsistere . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . decem marcharum argenti . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Bartholomeo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Volumus autem, quod, quamprimum dictus Bartholomeus . . . . predictum altare fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas illud acceptavit, ... et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Junii pont. n. a. nono.

R. Lat. 56 fol. 4ᵇ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1301. *Praeposito Vratislaviensis et decano ac thesaurario b. Mariae Halberstadensis ecclesiarum mandatur, quatenus Johanni Rike presbytero Magdeburgensis dioc. altare ss. Erasmi et Elizabeth situm in parrochiali ecclesia b. Mariae virginis Hallensi dictae dioc. conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Junii a. nono“.*

Romae, 1398 Maii 27.

R. Lat. 55 fol. 212ᵇ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1302 *Venceslao Thiem reservantur canonicatus et praebenda in ecclesia Vratislaviensi vacaturi.*

Romae, 1398 Maii 29.

Bonifacius . . . . Wenzeslao Thiem canonico Ratisponensi . . . . Vite ac morum . . . . Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Hainricus de Lobschicz . . . . obtinebat, et quos, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, per dicti Hainrici obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacantes, ... Marquardus electus Mindensis, antequam ad ecclesiam Mindensem promoveretur, vigore quarundam litterarum apostolicarum . . . ., prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit,[1]) per huiusmodi promocionem, de persona dicti Marquardi, possessione dictorum canonicatus et prebende per eum non habita, per nos ad ecclesiam Mindensem tunc pastore carentem factam, et munus consecra-

cionis eidem electo impendendum vacare sperentur in brevi, nos . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illos ut prefertur vel per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti vel alias quovis modo preterquam per ipsius electi obitum vac re contigerit, conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, capellam s. Anne sitam in cimiterio parrochialis ecclesie in Lincz et quandam perpetuam porcionem in monasterio s. Floriani de S. Floriano ord. s. Augustini Patauiensis diocesis in titulum ecclesiastici beneficii assignari consuetam obtines, et super canonicatu et prebenda ecclesie Ratisponensis in palacio apostolico contra quendam adversarium tuum litigando unam pro te et contra eundem adversarium, que nulla provocacione suspensa in rem transivit indicatam, diffinitivam sentenciam reportasti, et super parrochiali ecclesia in Reab in eodem palacio litigas, et dudum tibi de capella ss. Marie Magdalene et Bartholomei sita in cimiterio parrochialis ecclesie in Newburga Claustrali [2]) predicte diocesis, quorum omnium fructus . . . . centum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, tunc certo modo vacante, apostolica auctoritate fuit provisum, et nos nuper tibi de uno vel duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, ad collacionem . . . . episcopi Patauiensis ac . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie Patauiensis . . . . pertinentibus, graciose concessimus provideri,[3]) et dudum eciam tecum, ut duo beneficia ecclesiastica incompatibilia ad certum tempus tunc expressum obtinere posses, per alias nostras litteras graciose duximus dispensandum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. nono.

Simili modo . . . . archiepiscopo Barensi et . . . . Patauiensis ac Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis ecclesiarum decanis . . . .

R. Lat. 57 fol. 22[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. autem nr. 1262. [2]) Cf. nr. 991. [3]) Cf. nr. 864.

1303. *Episcopo Tudensi et archidiacono ecclesiae Cracoviensis ac officiali Vratislaviensi mandatur motu proprio, quatenus Johanni Albrici de Niewiesche [a]) canonico Cracoviensi scholastriam ecclesiae b Mariae Lanciciensis Gneznensis dioc. conferant. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii pont. n. a. nono".*

Romae, 1398 Maii 29.

R. Lat. 62 fol. 107[a] — [a]) Newesch — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1304. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao Stille de Vansov perpetuam vicariam in ecclesia Vratislaviensi, de qua ei iam pridem concessum fuit provideri,*

conferant, cum ipse Nicolaus litteras apostolicas super huiusmodi concessione in ea tempus legitimum expediri non fecerit.

Romae 1398 Maii 31.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... decano ecclesie Pragensis ac officiali Wratislauiensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Nicolaus Stille de Wansaw clericus Wratislauiensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod olim perpetua vicaria in ecclesia Wratislauiensi, quam quondam Johannes Gumberti .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacare noscebatur, nos videlicet quarto nonas Decembris pont. n. anno octavo [1]) de dicta vicaria .... dicto Nicolao concessimus provideri, eandem vicariam collacioni et disposicioni nostre ea vice specialiter reservando .... Cum autem, sicut exhibita nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, ipse Nicolaus litteras apostolicas super huiusmodi concessionis gracia infra certum tempus per nos ad hoc statutum, prout iuxta quandam ordinacionem nostram super hoc editam tenebatur, expediri vel saltem in cancellaria nostra poni minime fecerit ...., nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... vicariam predictam, que sine cura [est], cuiusque fructus .... quadraginta florenorum auri valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod nos dudum eidem Nicolao, ut asserit, de uno vel duobus seu tribus aut pluribus .... beneficiis .... ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium vel plurium aliquod cum cura foret, ad collacionem .... dicti episcopi [Vratislaviensis] et .... prepositi, decani, archidiaconi, custodis, scolastici, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum predicte ecclesie pertinentibus ...., vacantibus vel .... vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus, [2]) et nuper eidem Nicolao de uno in s. Marie Glogouiensi et alio beneficiis ecclesiasticis sine cura in s. Crucis Opoliensi dicte diocesis ecclesiis eciam vacantibus vel vacaturis graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Junii a. nono.

R. Lat. 55 fol. 253[a] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) 1396 Dec. 2. [2]) Vide nr. 1078.

1305. *Johannes abbas et conventus monasterii Strahoviensis necnon Nicolaus eiusdem monasterii monachus ac nonnulli laici incolae terrarum in Pohořelecz ab excommunicationis et aliis sententiis, quas occasione causae inter ipsos et Johannem plebanum in Hradčan exortae incurrerunt, absolvuntur.*

Romae, 1398 Junii 1.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Johannis abbatis et conventus monasterii Strahouiensis alias Montis Syon Pragensis ord. premonstratensis, Nicolai monachi professi eiusdem monasterii, Wenceslai Pessiconis dicti Coquus, Mathie dicti Syeral, Blasii dicti

Blaha, Johannis dicti Berka, Wenceslai dicti Procziez, Wenceslai Hlussek, Bechonis dicti Bessta, Slathichonis et Marsonis dicti Sedlak laicorum in colarum terrarum nuncupatarum in Popizeleczy (*sic*)[1] Pragensium prope dictum monasterium peticio continebat, quod, cum olim . . . . Hana alias Johannes plebanus ecclesie s. Benedicti in Hradizano eiusdem diocesis abbatem et conventum, Nicolaum et alios laicos supradictos coram . . . . Nicolao scolastico ecclesie s. Petri Wisegradensis prope Pragam, pretenso subconservatore iurium et privilegiorum . . . . magistrorum, doctorum et scolarium universitatis studii Pragensis, videlicet abbatem et conventum ac Nicolaum super certis verbis iniuriosis seu iniuriis, ac dictos laicos super pretensis limitibus dicte ecclesie s. Benedicti ac aliis in dictis causis deductis et eorum occasione traxisset in causam, et cum pro parte dictorum abbatis et conventus ac Nicolai et laicorum iurisdiccio dicti pretensi subconservatoris fuisset declinata, idem subconservator partes ipsas post nonnullas altercaciones ad . . . . Franciscum decanum Wratislauiensem, pretensum conservatorem principalem privilegiorum predictorum, remisit, coram quo pro parte abbatis et conventus, Nicolai ac laicorum predictorum fuerunt date excepciones seu cause racionabiles suspicionis, et quia idem decanus conservator dictas excepciones admittere non curavit, pro parte abbatis et conventus, Nicolai et laicorum predictorum seu nonnullorum ex eisdem a dicta recusacione seu a certis aliis gravaminibus per eum eisdem abbati et conventui, Nicolao et laicis illatis extitit ad sedem apostolicam appellatum, quodque postmodum idem decanus conservator huiusmodi appellacione non obstante eosdem abbatem et conventum, Nicolaum et laicos seu nonnullos ex eisdem ex eo, quod certis monicionibus dicti decani conservatoris non paruerunt, ac eciam, ut creditur, certis libellis contra eos, ut dicitur, oblatis non responderunt, ut asseritur, excommunicavit ipsosque excommunicatos fecit publice nunciari. A quibus et nonnullis aliis gravaminibus eisdem abbati et conventui, Nicolao et laicis illatis pro parte eorundem abbatis et conventus, Nicolai et laicorum denuo extitit ad sedem appellatum eandem. Nos causam et causas appellacionis et appellacionum huiusmodi . . . . Johanni episcopo Lubicensi, tunc sacri palacii apostolici causarum auditori, audiendas commisimus et fine debito terminandas cum omnibus et singulis emergentibus, incidentibus, dependentibus et connexis, cum potestate citandi Hana, subconservatorem et conservatorem predictos in Romana curia et ad partes, quociens opus esset, non obstante, quod causa et cause huiusmodi non erant de sui natura ad dictam curiam legitime devolute neque in ea de iuris necessitate tractande seu eciam finiende. Tandem vero, cum per eundem episcopum, tunc auditorem, ad instanciam abbatis et conventus, Nicolai et laicorum predictorum citacio contra et adversus dictos Hana, subconservatorem et conservatorem extra Romanam curiam et ad partes legitime decreta fuisset, prefate partes hinc inde sub certis modo et forma amicabilem composicionem inierunt, et se super premissis omnibus et singulis amicabiliter composuerunt. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus, Nicolai et laicorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem super hoc de oportuno remedio providere . . . . dignaremur. Nos itaque . . . . eosdem abbatem et conventum, Nicolaum et laicos ab omnibus et singulis excommunicacionis, suspensionis et aliis sentenciis et penis, quas forsan premissorum occasione incurrerunt, auctoritate apostolica . . . . absolvimus ac cum eisdem super

irregularitate, quam forsan celebrando divina vel inmiscendo se illis incurrerunt, dispensamus, et omnem infamie maculam sive notam, quam propterea forsan incurrerunt, penitus abolemus .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Junii a. nono.

R. Lat. 82 fol. 222[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [b]) Pohorelec.

1306. *Nicolao Storch rectori parrochialis ecclesiae s. Petri in Legnicz Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. nono[a]".*

Romae, 1398 Junii 5.

R. Lat. 58 fol. 147[a] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1307. *Ratisbonensis et Omnium Sanctorum in Vienna Pataviensis dioc. ecclesiarum decani ac officialis Pragensis conservatores praepositi, decani et capituli ecclesiae Pataviensis usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum septimo idus Junii a. nono".*

Romae, 1398 Junii 7.

R. Lat. 58 fol. 84[b] — In fine: N. L DE BENEVENTO.

1308. *Parrochialem ecclesiam s. Nicolai in Budweis[a]) Pragensis dioc., quae non modica reparatione indigere noscitur, certis diebus anni (prout in nr. 366 huius libri nominantur) visitantibus et ad eius reparationem seu conservationem manus adiutrices porrigentibus trium annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris post decennium minime valituris. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Junii a. nono".*

Romae, 1398 Junii 9.

R. Lat. 52 fol. 89[a] — [a]) ‚Budweys' — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO: in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1309. *Materno Wygandi[a]) de Hilbersdorf[b]) clerico Vratislaviensis dioc. non coniugato nec in sacris ordinibus constituto tabellionatus officium, ad quod per Petrum episcopum Aquensem idoneus repertus est, conceditur. „Ne contractuum" „Rome ap. S. Petrum idibus Junii a. nono".*

Romae, 1398 Junii 13.

R. Lat. 58 fol. 58a — a) ‚Wygandi, Wigandi b) ‚Hilbrandisdorff' — Supra in marg sin: P. DE BOSCO, in fine. N. XVI DE BENEVENTO

1310. *Johanni de Ghulen conceditur, ut provisio de decanatu ecclesiae Magdeburgensis ei facta valeat, etiam si decanatus ipse alias quam per resignationem Henrici Gothals vacaverit*

Romae, 1398 Junii 13.

Bonifacius . . . . Johanni de Ghulen decano ecclesie Magdeburgensis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem, cum tu prepositurам s. Marie in Wolframkirchin Olomucensis diocesis et . . . . Henricus Gothals decanatum Magdeburgensis ecclesiarum, quos tunc temporis obtinebatis, desideraretis illos . . . . invicem permutare: nos tunc . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regenti, nostris dedimus litteris in mandatis, ut a te prepositure et a predicto Henrico vel procuratoribus vestris ad hoc a vobis specialiter constitutis decanatus predictorum resignaciones . . . . auctoritate nostra ea vice reciperet et admitteret, ac huiusmodi resignacionibus per ipsum Bartholomeum receptis et admissis, Henrico preposituram et tibi decanatum predictos, cum illos per huiusmodi resignaciones vacare contingeret, eciam si decanatus ipse curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta Magdeburgensi ecclesia foret, et ad illum consuevisset quis per eleccionem assumi, auctoritate predicta conferret et de illis eciam provideret . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, decanatu predicto per liberam resignacionem dicti Henrici, per eum de illo ex huiusmodi permutacionis causa tecum pro eadem prepositura in manibus dicti Bartholomei apud sedem apostolicam sponte factam et per ipsum Bartholomeum . . . . admissam, vacante, prefatus Bartholomeus decanatum ipsum . . . . tibi contulit et de illo eciam providit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnulis asseratur decanatum predictum alias quam ut premittitur vacavisse seu vacare, tuque propterea dubites super ipso decanatu posse imposterum molestari, nos . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod collacio et provisio predicte de huiusmodi decanatu tibi, ut prefertur, facte et quecunque inde secuta a data presencium valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, eciam si decanatus ipse, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta Magdeburgensi ecclesia existit, et ad quem quis consuevit per eleccionem assumi, cuiusque fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, alias quam ut prefertur vel ex alterius cuiuscunque persona aut per assecucionem alterius beneficii ecclesiastici apostolica auctoritate collati vel per liberam resignacionem alicuius per eum de illo apud sedem predictam vel extra Romanam curiam eciam coram notario publico et testibus sponte factam aut per munus consecracionis alicui eundem decanatum tunc obtinenti, ad aliquam cathedralem ecclesiam tunc vacantem per sedem eandem promoto, impensum seu per lapsum temporis de consecrandis epi-

scopis a canonibus diffiniti vel per constitucionem tel rec Johannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit ‚Execrabilis', vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, vel decanatus ipse ex eo generaliter, quod illum obtinens ipsum in quemcunque eventum ex voluntate sedis prefate dimittere tenebatur, vel alias disposicioni apostolice specialiter reservatus existant, et super ipso inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, dictusque Henricus vel persona huiusmodi sedis predicte capellanus, nuncius, legatus vel alias officialis aut fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector seu litterarum apostolicarum scriptor vel abbreviator aut dicte sedis vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, seu damnate memorie Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, tunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, adheserit; non obstantibus tam pie memorie Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri quam aliis quibuscumque constitucionibus apostolicis necnon omnibus illis, que in dictis litteris eidem Bartholomeo, ut prefertur, directis voluimus non obstare. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Junii a. nono.

R. Lat. 61 fol. 190 — Supra in marg. sin.: P. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1311. *Episcopo Ferentinatensi et praeposito ecclesiae Vladislaviensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus ad executionem sententiae in palatio apostolico latae, per quam parrochialis ecclesia in Liszkow Gneznensis dioc. Petro Bartholomaei de Misliborz adiudicata fuit, contra omnes in dicta ecclesia intrusos vel intrudendos procedant.* „*Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Julii a. nono*".

Romae, 1398 Junii 14.

R. Lat. 72 fol. 80 — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1312. *Abbati monasterii s. Mariae Clarae Tumbae prope muros Cracovienses et praeposito ecclesiae s. Michaelis in castro Cracoviensi ac officiali Pragensi mandatur, quatenus sententiam in causa super canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis in palatio apostolico latam executioni demandantes, Petrum Stanislai in corporalem possessionem eorundem canonicatus et praebendae inducant.* „*Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Julii a. nono.*"

Romae, 1398 Junii 14.

R. Lat. 52 fol. 111b — In fine: N. L. DE BENEVENTO

1313. *Francisco Floszer [de Brega] providetur de altaribus in Vratislaviensi et in s. Sepulchri dominici Legnicensi ecclesiis vacantibus.*

Romae, 1398 Junii 17.

Bonifacius . . . . Francisco Floszer rectori altaris s. Bartholomei siti in ecclesia Wratislauiensi . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum s. Bartholomei in Wratislauiensi et s. Andree in Sepulcri dominici Legniczensi Wratislauiensis diocesis ecclesiis sita altaria, que quondam Johannes Doringi de Legnicz . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens, ... nos . . . . altaria predicta, que sine cura sunt, et quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .;[1]) non obstantibus . . . ., si forsan in fundacione eorundem altarium ordinatum existat, quod nullus illa obtinere valeat, nisi actu perpetuus vicarius in dictis ecclesiis fuerit . . . ., seu quod, ut asseris, altare s. Wenceslai situm in Misnensi, cuius sex, obtines, et dudum tibi de altari s. Michaelis sito in parrochiali s. Jacobi in Nissa predicte diocesis ecclesiis, cuius eciam sex marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, et cuius possessionem nondum habes, apostolica auctoritate fuit provisum . . . .[2]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Julii a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Monopolitano et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac decano ecclesie Wratislauiensis . . . .

R. Lat. 55 fol. 118a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1318. [2]) Cf. nr. 1045.

1314. *Johanni Namslaw reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura vacantia vel vacatura.*

Romae, 1398 Junii 20.

Bonifacius . . . . Johanni Namslaw canonico Warmiensi, baccallario in decretis . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes itaque tibi, qui dudum, ut asseris, rector scolarium ultramontanorum universitatis studii Bononiensis extitisti necnon litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... graciam facere specialem, unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum aliquod curatum fuerit, ... quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit seu fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . . episcoporum et . . . . capitulorum Warmiensium et

Pomezaniensium . . . . pertinencia, eciam si beneficium seu beneficia huiusmodi in ecclesiis ipsis fuerit seu fuerint, ... si qua . . . . vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint . . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . ; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius . . . . litteras impetrarint, ... quibus omnibus, eciam auctoritate nostra beneficia huiusmodi eciam cum simili vel alia quavis prerogativa antelacionis expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, in Warmiensi maiorem . . . . et Wratislauiensi canonicatus et prebendas necnon in s. Crucis Wratislauiensi ecclesiis scolastriam obtines, et nos dudum tibi de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis tunc certo modo vacantibus per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri.[1]) Nos enim tecum, ut curatum beneficium huiusmodi, si illud tibi vigore presencium conferri contigerit, recipere et una cum dicta scolastria, que dignitas est, quoad vixeris, retinere . . . . valeas . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii pont. n. a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Perusino et . . . . Warmiensi ac . . . . Pomezaniensi officialibus . . . .

R. Lat. 56 fol. 282. — In fine: N. XXX. XXXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros 307 et 340.

1315. *Venceslai Romanorum et Bohemiae regis litterae monasterio in Bildhausen ord. cisterciensis Herbipolensis dioc. 1397 Octobris 18 concessae et praesentibus de verbo ad verbum insertae confirmantur. „Sedis apostolice providencia" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. nono".*

Romae, 1398 Junii 20.

R. Lat. 59 fol. 130[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — Ed. Schulte, Historische Schriften und Sammlung. II. Abth., 1801, p. 379 nr. 52.

1316. *„Ad perpetuam rei memoriam. Statuit, quod canonici monasterii s. Vincentii extra muros Wratislauienses praemonstratensis ord. perpetuis futuris temporibus tam in dicto monasterio quam extra illud, ac etiam cum in mensa fuerint, illum habitum portare possint et debeant, quem canonici ecclesiae Luthomuslensis eiusdem ordinis in dicta ecclesia et extra illam, et cum in mensa fuerint, portabant et portare consueverunt, eisque indulget, ut sarrochiis, almutiis et birretis prout alii canonici eiusdem ordinis uti libere et licite possint et valeant, quibuscunque non obstantibus etc. Datum Romae ap. S. Petrum XI. calendas Julii a. nono."*

Romae, 1398 Junii 21.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de regularibus, de fructibus percipiendis, de provisionibus a. nono fol. 13" in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 194[b] continetur.

1317. *Abbati monasterii b. Mariae in Sagano Vratislaviensis dioc. et decano Vratislaviensis ac custodi Cracoviensis ecclesiarum mandatur, quatenus Johannem electum Lubucensem ad corporalem possessionem omnium bonorum ab ecclesia Lubucensi per eius praedecessores minus canonice alienatorum restituant. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Julii a. nono".*

Romae, 1398 Junii 21.

R. Lat. 52 fol. 255ª. Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1318. *Simoni de Würben providetur de perpetua vicaria ac altari s. Andreae in ecclesia s. Sepulchri dominici Legnicensi.*

Romae, 1398 Junii 22.

Bonifacius . . . Symoni de Wirbin perpetuo vicario in ecclesia s. Sepulchri dominici in Legnicz Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica tunc apud sedem apostolicam vacancia vel inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum perpetua vicaria in ecclesia s. Sepulchri dominici predicta ac altare s. Andree situm in eadem ecclesia, que quondam Johannes Thuringi alias Linificis . . . . canonice obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui apud dictam sedem decessit, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens, ... nos . . . . vicariam et altare predicta, que sine cura sunt, et quorum fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . .;[1]) non obstantibus . . . ., quod in fundacione dicti altaris dicitur fore ordinatum, quod nullus altare ipsum obtinere valeat, nisi actu vicarius in dicta ecclesia et in sacerdocio constitutus existat, ... seu quod nos nuper tibi, ut asseris, de altari ss. Philippi et Jacobi apostolorum sito in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, cuius fructus . . . . sexdecim florenorum auri. . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, concessimus, necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatis pro tempore existentis et conventus monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ord. s. Augustini . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Julii a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Monopolitano et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 56 fol. 131ª. — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1313.

1319. *Abbatissae et conventui monasterii in Pustimèr conceditur, ut sacerdotes ad audiendum confessiones Christi fidelium ad ecclesiam dicti monasterii assequendae indulgentiae causa confluentium deputare possint.*

Romae, 1398 Junii 29.

Bonifacius . . . . abbatisse et conventui monasterii in Pustmir ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis . . . . Sacre religionis, sub qua devotum et sedulum exhibetis domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis presertim, per que utilitas vestri monasterii et animarum salus procuratur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam dicti monasterii in festo dedicacionis ipsius a primis vesperis usque ad secundos vesperos eiusdem festi inclusive devote visitarent annuatim et ad ipsam ecclesiam ac conservacionem dicti monasterii manus porrigerent adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in die ascensionis domini nostri Jesu Christi anno quolibet auctoritate apostolica consequuntur, eadem auctoritate duximus concedendum. Nos igitur cupientes, ut Christi fideles ad eandem ecclesiam visitandum et ad huiusmodi conservacionem manus adiutrices, ut premittitur, porrigendum eo libencius animentur, quo ex hoc ibidem maius animarum commodum se speraverint adipisci, vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, vobis et [successoribus] vestris, qui pro tempore fuerint, quatuor sacerdotes ydoneos et plures, sive seculares sive religiosos, prout vobis visum fuerit expediri, qui confessiones quarumcunque personarum, a dictis primis vesperis et eciam ante duos dies continuos et per totam diem dedicacionis predictam ad eandem ecclesiam confluencium et ipsis confiteri volencium, in dicta ecclesia audiant ac personas easdem ab omnibus eorum peccatis, nisi talia sint, propter que merito sit sedes apostolica consulenda, absolvant ipsisque penitenciam salutarem iniungant et alia, que circa premissa fuerint facienda, singulis annis in ipsa ecclesia deputandi ac huiusmodi sacerdotes amovendi et alios de novo eligendi, quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore presencium auctoritate predicta facultatem. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a nono.

R. Lat. 59 fol. 178c — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1320. *Monasterio s. Vincentii prope Vratislaviam praemonstratensis ord., cuius fructus 500 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, unitur parrochialis ecclesia b. Gotthardi confessoris in Kostenblut*[a]) *Vratislaviensis dioc., per clericos saeculares regi consueta, quae de iure patronatus eiusdem monasterii existit, et cuius fructus 26 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservata tamen de eiusdem fructibus congrua portione pro perpetuo vicario inibi instituendo. „Sincere devocionis affectus“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a. nono.“*

Romae, 1398 Junii 29.

R. Lat. 59 fol. 230b — [a]) ‚Cossinplocz‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO

1321. *Pragensis et Vratislaviensis ac Poznaniensis officiales conservatores abbatis et conventus monasterii in Lubens cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Julii a. nono“.*

Romae, 1398 Julii 11.

R. Lat. 58 fol. 87ª. Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1322. *Pileo episcopo Tusculano motu proprio monasterium in Třebíč gubernandum commendatur.*

Romae, 1398 Julii 11.

Bonifacius . . . . Pileo episcopo Tusculano . . . . Romani pontificis providencia circumspecta ecclesiis et monasteriis, que vacacionis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit et s. Romane ecclesie cardinalibus, ut expensarum onera, que ipsos opportet assidue de necessitate subire, supportare valeant, libenter, prout est decens et congruum, de subvencionis auxilio providet oportuno. Dudum siquidem quondam Henrico abbate monasterii Trebicensis ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, nos . . . . provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandum . . . . Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Henrici abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, nos . . . . attendentes, quod, licet tu premineas cardinalatus honore, tamen ad supportandum expensarum onera, que te iugiter subire oportet, decenti non affluis abundancia facultatum, et propterea tibi, ut statum tuum decencius tenere valeas, predictoque monasterio, ne in spiritualibus vel temporalibus detrimenta sustineat, salubriter providere . . . . volentes, prefatum monasterium sic vacans tibi usque ad beneplacitum nostrum per te tenendum, regendum et gubernandum motu proprio . . . . auctoritate apostolica commendamus, curam et administracionem bonorum et iurium ipsius plenam et liberam in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie [tibi] committendo . . . ., ut dictum monasterium tue gubernacioni commissum huiusmodi durante beneplacito spiritualiter et temporaliter iuxta datam tibi a deo prudenciam regas, dirigas et augmentes ac fructus, redditus et proventus ac emolumenta universa ad mensam abbacialem dicti monasterii pertinencia, que deductis oneribus abbati dicti monasterii pro tempore existenti incumbentibus supererunt, in subsidium dictorum onerum tibi, ut premittitur, incumbencium libere convertere valeas, sicut abbates dicti monasterii, qui ei pro tempore prefuerunt, illa in usus convertere potuerunt seu eciam debuerunt, alienacione bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta, non obstantibus apostolicis et aliis constitucionibus contrariis quibuscunque, proviso, quod in eodem monasterio deserviatur laudabiliter in divinis ac omnia et singula in eo consueta onera supportentur, et edificia ipsius, que reparacione indigent, congrue repa-

rentur, et solitus monachorum et ministrorum numerus in eodem nullatenus minuatur. Tu igitur circa eiusdem monasterii regimen et gubernacionem huiusmodi sollicite et fideliter exercenda te sic exhibeas studiosum, quod dictum monasterium divina tibi favente clemencia sub gubernacione tua provida et salubri votivis in eisdem spiritualibus et temporalibus commodis amplietur et salubribus proficiat incrementis, nosque tue circumspeccionis et diligencie studium in hac parte dignis possimus laudibus in domino merito commendare . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Julii a. nono.

Simili modo .... conventui monasterii Trebicensis ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis ....

Simili modo .... universis vasallis monasterii Trebicensis ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis ....

Simili modo .... episcopo Olomucensi ....

Simili modo .... Wenczeslao Romanorum et Boemie regi illustri ....

R. Lat. 58 fol. 39 — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO.

1323. *Ecclesiam monasterii Doxanensis visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1398 Julii 11.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii Doxanensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam reparetur ...., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo b. Materni confessoris et per eius octavam ecclesiam predictam devote visitaverint annuatim et ad reparacionem ipsius manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem suorum peccatorum auctoritate apostolica tenore presencium concedimus, quam visitantes ecclesiam b. Marie de Porciuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinatenses prima die mensis Augusti quomodolibet consequuntur; et nichilominus, ut fideles ipsi indulgenciam huiusmodi uberius consequi possint, priori dicti monasterii, qui est et erit pro tempore, et sex aliis presbyteris ydoneis, tam secularibus quam religiosis, per eundem priorem annuatim eligendis, vel pluribus, prout expediens fuerit et sibi videbitur expedire, ut ipsi confessiones omnium et singulorum Christi fidelium causa huiusmodi indulgencie assequende confluencium in huiusmodi festo et eius octava auctoritate apostolica audire et ipsorum confessionibus diligenter auditis pro commissis eis debitam absolucionem impendere valeant ac iniungere pro modo culpe penitenciam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, predicta auctoritate de uberioris dono gracie per presentes indulgemus perpetuis temporibus duraturas. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Julii a. nono.

R. Lat. 61 fol. 7v — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1324. Ecclesiam monasterii in Porta Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis dioc. in festo assumptionis b. Mariae virginis et per eius octavam visitantibus annuatim et ad reparationem ipsius manus porrigentibus adiutrices illa indulgentia concedatur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini quomodolibet consequuntur; abbati autem dicti monasterii et sex vel pluribus aliis presbyteris per dictum abbatem eligendis, tam saecularibus quam religiosis, indulgetur, ut confessiones Christi fidelium causa huiusmodi indulgentiae assequendae ad praefatam ecclesiam confluentium auctoritate apostolica audire possint, praesentibus litteris perpetuis temporibus duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Julii a. nono.“

Romae, 1398 Julii 11.

R. Lat. 61 fol. 7[v]. Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1325. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Alberto Johannis canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi vacantes conferat.

Romae, 1398 Julii 16.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque, per assecucionem pacificam canonicatuum et prebendarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod . . . . Nicolaus de Wolauia, cui de eisdem canonicatu et prebenda tunc certo modo vacantibus auctoritate apostolica provisum fuerat, ipsorum possessione per eum non habita, alios canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie eciam tunc certo modo vacantes, auctoritate litterarum nostrarum sibi collatos, extitit pacifice assecutus . . .,[1]) nos volentes . . . . Albertum Johannis clericum Wratislauiensis diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Albertum ad hoc ydoneum esse reppereris . . ., priores canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Alberto auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod dudum, videlicet sub data idibus Novembris pont. n. anno primo[2]), eidem Alberto, ut asserit, de canonicatu sub expectacione prebende necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi et capituli prefatorum [Vratislaviensium] ac . . . . prepositi, decani et archidiaconi singulorumque canonicorum et personarum ecclesie predicte . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Albertus vigore presencium eosdem priores canonicatum et prebendam fuerit pacifice asse-

cutus, huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap S. Petrum decimo septimo kal. Augusti a. nono.

R. Lat. 57 fol. 32[1] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1262. [2]) 1389 Nov. 13.

1326. *Nobili viro Heyneka de Bieberstein [a]) et Annae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut liceat eis habere altare portatile. „Sincere" „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Augusti a. nono."*

Romae, 1398 Julii 20.

R. Lat. 58 fol. 179[a] — [a]) ‚Bibersten' — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1327. *Nicolao abbati monasterii in Ruda ord. cisterciensis Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut, cum eum aliquotiens ad curias principum vel magnatum declinare et extra dictum monasterium in factis eiusdem residere contingat, una cum tribus monachis dicti monasterii, quos ad hoc elegerit, in locis huiusmodi cum confessoris sui dispensatione diebus, quibus alias esus carnium non est interdictus, carnibus vesci valeat. „Exigit magne" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Augusti a. nono."*

Romae, 1398 Julii 21.

R. Lat. 59 fol. 171[a] — [a]) ‚Rudda' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1328. *Johanni olim archiepiscopo Pragensi conceditur, ut executores testamenti eius castrum Helfenburg post eius obitum tam diu loco pignoris retinere possint, donec eis de omnibus per Volframum archiepiscopum Pragensem praefato Johanni debitis plenarie satisfactum fuerit.*

Romae, 1398 Julii 26.

Bonifacius .... Johanni episcopo, olim archiepiscopo Pragensi .... Exigit tue devocionis et sinceritatis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, ut peticionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem, cum tu omni regimini et administracioni ecclesie Pragensis, cui tunc preeras, ex certis racionabilibus causis in manibus .... Cosmati tituli s. Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis apud sedem apostolicam sponte et libere cessisses, ac idem cardinalis de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis cessionem ipsam apud sedem admisisset eandem, nosque eidem ecclesie de persona .... Wolframi archiepiscopi Pragensis auctoritate apostolica duxissemus providendum preficiendo ipsum eidem ecclesie in

archiepiscopum et pastorem,[1]) ac tunc tibi de alicuius subvencionis auxilio providere volentes, castrum seu fortalicium dictum Helfinburg Pragensis diocesis ad mensam archiepiscopalem Pragensem pleno iure pertinens cum omnibus iuribus et pertinenciis suis per te tenendum, regendum et eciam gubernandum auctoritate predicta tibi concessimus, et nichilominus annuam pensionem duorum milium florenorum auri de camera necnon siliginis et avene ac ordei certarum quantitatum tunc expressarum de fructibus, redditibus et proventibus ad mensam predictam spectantibus, tibi per dictum Wolframum archiepiscopum et eius successores, archiepiscopos Pragenses, qui essent pro tempore, persolvendam, tibi, quoad viveres, auctoritate predicta per nostras litteras duximus assignandum, certis tibi super hiis executoribus deputatis, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, prefatus Wolframus archiepiscopus tibi pensionem huiusmodi pro tempore preterito et nonnullas pecuniarum summas ac res alias, in quibus tibi racione ecclesie prefate ex certis causis legitimis obligatur, solvere de facto recuset, tuque dubites, quod Wolframus ac sui successores, archiepiscopi predicti, pensionis et aliorum debitorum huiusmodi solucionem tibi in toto vel in parte facere pro futuro tempore similiter de facto differant aut maliciose recusent, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut executores testamenti, quod auctoritate apostolica seu alias legitime facere te continget, per te deputandi, postquam ab hac luce migraveris, huiusmodi castrum cum eius fructibus, redditibus et proventibus universis et eisdem iuribus et pertinenciis tandiu tenere valeant, donec eis de pensione et aliis debitis huiusmodi, tibi non solutis, antequam sic migraveris, per Wolframum aut successores, archiepiscopos predictos, fuerit plenarie satisfactum, loco pignoris tenere possint et debeant, concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, ut executores predicti castrum prefatum cum huiusmodi suis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et pertinenciis post obitum tuum pro huiusmodi retentis pensione et aliis debitis, ante huiusmodi obitum tibi forsitan non solutis, loco pignoris, ut prefertur, tandiu retinere valeant, donec eis de retenta pensione et aliis debitis non solutis eisdem per eundem Wolframum vel eius tunc successorem, archiepiscopum Pragensem, qui erit pro tempore, fuerit plenarie satisfactum, quodque predicti executores interim ad restitucionem ipsius castri cum huiusmodi eius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et pertinenciis Wolframo vel successoribus, archiepiscopis prefatis, faciendam a quoquam nequeant coarctari, devocioni tue auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus, constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque; proviso tamen, quod pro custodia dicti castri pro tempore debitis supportatis oneribus, si de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem castri aliquid post huiusmodi obitum superesse contigerit, in restauracionem edificiorum et conservacionem dicti castri pro tempore fideliter convertatur, alienacione eciam dicti castri cum huiusmodi eius iuribus et pertinenciis tibi et eisdem executoribus penitus interdicta. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum VII. kalendas Augusti pont. n. a. nono.

[Simili modo.] Bonifacius . . . . episcopo Luthomuslensi et . . . . abbati monasterii Admontensis Salzeburgensis diocesis ac . . . . preposito ecclesie Leodiensis . . . . Justis et honestis supplicum votis libenter annuimus illaque

favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem, cum . . . . Johannes episcopus, tunc archiepiscopus Pragensis omni regimini et administracioni ecclesie Pragensis . . . . cessisset . . . ., nosque eidem ecclesie de persona . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis . . . . duxissemus providendum . . . ., nos tunc eidem Johanni episcopo, ut statum suum posset tenere decenter, de alicuius subvencionis auxilio providere volentes, castrum dictum Helfinburg Pragensis diocesis . . . . per eum, quoad viveret, tenendum et gubernandum concessimus necnon annuam pensionem duorum milium florenorum auri de camera et certarum siliginis, avene et ordei quantitatum . . . ., per dictum Wolframum archiepiscopum ac eius successores . . . . prefato episcopo persolvendam, eidem episcopo per nostras litteras duximus assignandum, certis sibi super hoc executoribus deputatis . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti episcopi peticio continebat, prefatus Wolframus archiepiscopus, super hoc pro parte eiusdem episcopi sepius requisitus, pensionem ipsam eidem episcopo solvere de facto recusaverit et recuset, predictique executores eciam in execucione predictarum litterarum per eos super premissis contra dictum Wolframum archiepiscopum facienda fuerint hactenus et sint plurimum negligentes in eiusdem episcopi preiudicium ac damnum non modicum et gravamen, pro parte ipsius episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut, ne ipse in obprobrium pontificalis dignitatis mendicare cogatur, providere sibi et statui suo in premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictum Wolframum archiepiscopum auctoritate nostra moneatis, ut infra unius mensis spacium, postquam sibi de ipsa monicione constiterit, totum illud, in quo eidem episcopo racione assignacionis predicte pro tempore preterito adhuc tenetur, efficaciter solvat, alioquin extunc sibi ingressum ecclesie eadem auctoritate interdicatis, et si illud per octo dies, tunc ipsum suspendatis a divinis, quodque si forte suspensionem huiusmodi per alios octo dies extunc immediate sequentes animo indurato sustinuerit, ipsum excommunicetis et interdictum, suspensum et excommunicatum auctoritate predicta publice nuncietis et ab aliis, ubi et quando expedire videritis, nunciari et ab omnibus arcius evitari faciatis; et si forte huiusmodi censuras contempserit, ipsum eadem auctoritate citetis, ut infra duos menses post huiusmodi citacionem de se factam immediate sequentes se personaliter conspectui apostolico representet pro meritis iusticiam recepturus; et si forte infra huiusmodi duos menses ad comparendum in Romana curia coram nobis iter non arripuerit, extunc elapsis huiusmodi duobus mensibus, legitimis tamen super hiis per vos habitis servatis processibus, eos, quociens expedierit, legitime aggravare curetis, statuendo nichilominus auctoritate prefata, quod huiusmodi pensio pro futuro tempore in duobus terminis, videlicet una in s. Georgii et alia medietates pensionis eiusdem in s. Galli festivitatibus annuatim eidem episcopo integre solvi debea[n]t per Wolframum et successores, archiepiscopos antedictos, quodque, si forte ipse Wolframus aut aliquis ex successoribus ipsis medietatem pensionis eiusdem pro futuro tempore in aliquo ipsorum festorum dicto episcopo non solverit cum effectu, quod extunc ipse Wolframus seu ille ex successoribus ipsis, qui in hoc defecerit, archiepiscopus Pragensis, huiusmodi interdicti, suspensionis, excommunicacionis sentencias sive penas easdem incurrat ipso

facto, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; non obstantibus, si prefato Wolframo archiepiscopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Augusti pont. n. a. nono.

Originalia utriusque bullae in archivio Treboniensi sub Historica No. 70[a], 70[b] exstant. Gratiosae bulla plumbea in filo serico, executoriae in filo canapis appendet. Gratiosa has notas cancellariae apostolicae habet: (sub plica) DECEMBRIS, XVIIII, N. DE PIPERNO, SARANDUS; (in plica) JO. DE TREMOSNICZ; (a tergo) R[EGISTRATA], N. [DE BENEVENTO]. In executoria hae notae leguntur: (sub plica) DECEMBRIS, XXI. N. DE PIPERNO, SARANDUS; (in plica) JO. DE TREMOSNICZ; (a tergo) R[EGISTRATA], N. [DE BENEVENTO]. In tergo utriusque bullae infra etiam haec subscriptio est: „Jo. Reinstein Cardinalis". — Registratae sunt istae bullae in R. Lat. 61 fol. 61[b] sq., ubi in fine adscriptum est: N. XVIIII. XXI DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 968.

1329. *Paulo Vladimiri reservatur scholastria in ecclesia Poznaniensi vacatura.*

Romae, 1398 Julii 26.

Bonifacius . . . . Paulo Wladimiri clerico Plocensis diocesis, bacallario in decretis . . . . Nobilitas generis, litterarum sciencia, vite . . . . Cum itaque . . . . Petrus de Sczytnyky scolasticus ecclesie Poznaniensis monasterium s. Marie in Aula Regia cisterciensis ord. Pragensis diocesis sit ingressus, et propterea scolastria dicte ecclesie, quam idem Petrus tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, quamprimum ipse dictum ordinem expresse professus, vel annus probacionis ipsius lapsus fuerit, aut constiterit evidenter ipsum vitam absolute voluisse mutare, aut scienter habitum assumpserit et per triduum gestaverit professorum, vacare speretur, nos volentes tibi, qui eciam, ut asseris, magister in artibus et ex utroque parente de militari genere procreatus existis, ... graciam facere specialem, scolastriam predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod nos tibi nuper, ut asseris, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wladislauiensis per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . Wladislauiensis ac Crusuiciensis Wladislauiensis diocesis ecclesiarum prepositis . . . .

R. Lat. 62 fol. 99[a] — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII . XV DE BENEVENTO.

1330. *Episcopus Misnensis et praepositus Gneznensis ac archidiaconus Lubucensis ecclesiarum conservatores praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et beneficiatorum ac ministrorum ecclesiae b. Mariae Maioris-Glogoviensis Vrati-*

slariensis dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Augusti a. nono.“

Romae, 1398 Julii 29.

R. Lat. 58 fol. 88a — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO

***1331**. Universis collectoribus et succollectoribus mandatur, ne Franciscum s. Susannae cardinalem in perceptione proventuum domorum, praeceptoriarum et parrochialium ecclesiarum a monasterio s. Antonii Viennensi ord. s. Augustini dependentium impediant.*

Romae, 1398 Julii 30.

Bonifacius . . . . universis . . . . fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectoribus et succollectoribus ac aliis gentibus eiusdem camere tam in Romana curia quam alias ubilibet constitutis . . . . Sane nuper per nos accepto, quod in Maguntinensibus, Olomucensibus, Eystetensibus, Merseburgensibus, Bambergensibus, Herbipolensibus, Padeburnensibus, Verdensibus, Hildesemensibus, Halberstadensibus, Salczburgensibus, Patauiensibus, Ratisponensibus, Gurcensibus, Constanciensibus, Argentinensibus, Augustensibus, Curiensibus, Brixinensibus, Spirensibus, Frisingensibus et Wormaciensibus civitatibus et diocesibus nonnulle domus, preceptorie et parrochiales ecclesie ‚bayolie‘ nuncupate a monasterio s. Antonii Viennensis ord. s. Augustini dependentes consisterent, et abbas monasterii ac preceptores domorum et preceptoriarum necnon rectores ecclesiarum predictarum . . . . per questuarios ipsorum . . . . verbum dei in dictis civitatibus et diocesibus Christi fidelibus proponere et elemosinas a fidelibus ipsis petere . . . . consueverant, quodque ipsi canonici et persone . . . . antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, notorie adherere presumpserant, nos tunc . . . . de circumspeccione . . . . Francisci tit. s. Susanne presbyteri cardinalis fiduciam gerentes in domino singularem, eundem cardinalem rectorem, gubernatorem et administratorem domorum, preceptoriarum, ecclesiarum et baylivarum predictarum et personarum in eisdem degencium ac huiusmodi proventuum et emolumentorum auctoritate apostolica, quamdiu vitam duceret in humanis, per nostras litteras fecimus . . . .[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti cardinalis peticio continebat, vos asserentes a nobis seu de mandato nostro habere colligendi et recipiendi in usum camere predicte proventus et emolumenta predicta specialem potestatem, prefatum cardinalem, quominus dictam facultatem per se vel procuratores suos . . . . exercere ac proventus et emolumenta huiusmodi percipere valeat, impediveritis et impediatis, pro parte ipsius cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . quecunque mandata seu commissiones de colligendo proventus et emolumenta huiusmodi in civitatibus et diocesibus predictis vobis per nos seu de mandato nostro sub quacunque forma verborum forsan facta . . . . auctoritate apostolica . . . . penitus revocantes . . . ., vobis et cuilibet vestrum in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena . . . . mandamus, ne

per vos aut per alium seu alios prefatum cardinalem aut eius procuratores in exercicio dicte facultatis aliquatenus impediatis aut de proventibus et emolumentis huiusmodi in dictis civitatibus et diocesibus vos quovis quesito colore intromittatis, permittentes eundem cardinalem ipsorum proventuum et emolumentorum iuxta prefatarum litterarum et facultatis tenorem plena et libera percepcione gaudere. Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Augusti a. nono.

R. Vat. 316 fol. 17[b] — In fine: (ad sin. JO. DE BONONIA: ad dext.) GRATIS PRO DOMINO CARDINALI, A. DE MONTEMONACHO. — [1] Vide nr. 695.

1332. *Mathiae Smit conceditur, ut vigore apostolicae gratiae exspectativae alias ei factae quamcunque praebendam ecclesiae s. Petri Budissinensis acceptare possit, quadam contraria consuetudine ipsius ecclesiae non obstante.*

Romae, 1398 Augusti 13.

Bonifacius . . . . Mathie Smit rectori parrochialis ecclesie in Baruth Misnensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de uno vel duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium alterum curatum seu dignitas vel personatus aut officium cum cura, et dignitas ipsa curata et maior post pontificalem in Missinensi vel Lubicensi aut principalis in s. Petri in Budissin Missinensis diocesis ecclesiis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, ad . . . . Misinensis et Lubicensis episcoporum et . . . . Misinensis et Lubicensis ac s. Petri ecclesiarum predictarum capitulorum collacionem . . . . pertinentibus, eciam si in Misinensi et s. Petri, in quibus maiores et minores prebende existunt, maiores ac in Lubicensi ecclesiis predictis prebende et canonicatus forent, ... vacantibus aut . . . . vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac voluimus inter cetera te omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris in assecucione beneficii seu beneficiorum huiusmodi anteferri . . . . Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, in predicta ecclesia s. Petri talis consuetudo inolevisse dicatur, quod antiquiores canonici ipsius ecclesie eorum prebendas, quas in eadem ecclesia s. Petri obtinuerint, dimittere et pinguiores prebendas ipsius ecclesie, cum vacaverint, gradatim et per opcionem recipere valeant, nos . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod tu dictarum litterarum vigore quamcunque prebendam dicte ecclesie s. Petri vacantem vel vacaturam, alias tibi debitam iuxta tenorem ipsarum litterarum, acceptare et de illa tibi provideri facere illamque recipere et retinere libere et licite valeas, predicta consuetudine ac . . . . omnibus aliis non obstantibus, que in predictis litteris voluimus non obstare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Augusti a. nono.

R. Lat. 52 fol. 185[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1333 *Sigismundo Czalta parrochialis ecclesia in Prestycz vacatura reservatur*

Romae, 1398 Augusti 14.

Bonifacius . . . . Sigismundo Czalta monacho monasterii in Cladrona ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Cum itaque parrochialis ecclesia in Przyestycz ‚prepositura' nuncupata Pragensis diocesis, quam . . . . Wernerus abbas monasterii in Cladron ord. s. Benedicti eiusdem diocesis tempore promocionis per nos facte de ipso ad dictum monasterium tunc vacans obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem, quamprimum possessionem administracionis bonorum dicti monasterii fuerit pacifice assecutus, vacare speretur in brevi, nos . . . . ecclesiam predictam, que a dicto monasterio dependet ac per monachos eiusdem monasterii, cuius monachus eciam expresse professus existis, gubernari consuevit, cuiusque fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illam ut prefertur sive alias quovis modo preterquam per ipsius abbatis obitum vacare contigerit, eciam si ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Septembris a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Monopolitano et . . . . preposito ecclesie s. Crucis in Opul Wratislauiensis diocesis ac officiali Pragensi . . . .

R Lat. 59 fol. 173ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO.

—

1334. *Vernerio nuper monasterio Cladrubensi*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. auctoritate apostolica in abbatem praefecto conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus benedictionis suscipere valeat, ita tamen, ut per hoc archiepiscopo Pragensi, cui praedictum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur.* „*Cum nos nuper*" „*Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Septembris a. nono.*"

Romae, 1398 Augusti 15.

R Lat. 52 fol. 58ᵇ — a) ‚Cladruuen' — In fine: N. X DE BENEVENTO

— —

1335. *Ecclesiam monasterii Roudnicensis*[a]) *ord. s. Augustini Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nr. 366 huius libri sunt nominati, ac in festivitate s. Marthae) visitantibus et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus sex annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum, illis autem, qui singulis diebus, dum missa b. Mariae de mane in eadem ecclesia celebratur, ei interfuerint, unius anni et unius quadragenae indulgentiae conceduntur.* „*Licet is*" „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Septembris a nono.*"

Romae, 1398 Augusti 16.

R. Lat. 61 fol. 107ª — a) ‚Rudnicen'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1336. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Johanni episcopo Olomucensi terminum faciendae solutionis residui suorum communis et quatuor minutorum servitiorum camerae apostolicae debitorum usque ad festum nativitatis domini proxime futurum prorogat. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, indiccione sexta, die vicesima tercia mensis Augusti, pont. . . . . a. nono."*

Romae, 1398 Augusti 23.

Oblig. et sol. 55 fol. 36ᵇ — In fine: VISUM MATZEUS; FL. III GR. III.

1337. *Universis praelatis mandatur, ut negotium monasterii Strahoviensis, quod ex concessione apostolica elemosinas et subsidia a Christi fidelibus petit, diligenter promoveant.*

Romae, 1398 Augusti 27.

Bonifacius . . . . archiepiscopis et episcopis ac . . . . electis, abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos presentes littere pervenerint . . . . Dudum per nos accepto, quod monasterium Strahouiense alias Montis Syon Pragense premonstratensis ord. propter guerrarum turbines, que illis partibus viguerunt, reparacione indigebat non modicum sumptuosa, que quidem reparacio de proventibus eiusdem monasterii commode fieri nequibat, nisi de Christi fidelium elemosinis subveniretur eidem, nos eosdem Christi fideles per nostras litteras rogavimus, monuimus et ortati sumus, ut de bonis eis a deo collatis dicto monasterio ad reparacionem huiusmodi pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogarent, ut per ipsorum subvencionem huiusmodi monasterium predictum reparari valeret, ac eisdem Christi fidelibus, qui ad reparacionem huiusmodi manus porrigerent adiutrices, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxavimus, quas quidem litteras per civitates et dioceses ac provincias Pragenses, Gneznenses et Salzeburgenses per questuarios causa elemosinas et subsidia huiusmodi petendi mitti posse concessimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte . . . . abbatis et conventus eiusdem monasterii peticio continebat, dictum monasterium usque modo predictarum litterarum vigore ex eo nullum commodum est consecutum, quod per questuarios aliquorum malicia procurante predicte littere portate non fuerunt, nec ab aliquibus portari permittitur, et, sicut accepimus, dicte littere dicto monasterio sunt quasi inutiles, nisi de aliquali remedio provideatur eidem: nos igitur volentes super hoc salubriter providere, universitatem vestram requirimus et hortamur in domino in remissionem vestrorum peccatorum vobis iniungentes, quatinus negocium predicti monasterii in vestris ecclesiis omni, qua potestis, diligencia promoveatis ac parrochianos

vestros ad diem, locum et horam, quos nuncii et factores ipsius negocii ad ho· deputati vobis assignaverint, convocetis in unum, ipsaque die et hora usque ad horam terciarum tantummodo festivetur, et cum nuncii et factores predicti sancto rum reliquias portantes vestris ecclesiis appropinquaverint, vos cum parrochialibus processione et vexillis solemniter occurratis eisdem, nuncios eciam et factores predictos, cum ad vos venerint, honorifice suscipiatis et caritative tractetis eosdem, nec ipsos permittatis ab aliquibus molestari seu aliqualiter impediri, inhibentes vobis et cuilibet vestrum, ut de elemosinis et subvencionibus huiusmodi nichil penitus recipere debeatis, sed ipsas per eosdem nuncios et factores recolligi et recipi liberaliter et cum integritate permittatis, et alias in premissis taliter vos habituri, quod exinde mereamini uberius divine graciam maiestatis, nosque devocionem vestram dignis possimus in domino laudibus commendare, et ut ad premissa forcius animemini, volumus, quod vos et omnes alii, qui negocium huiusmodi promovebunt, sitis et sint participes indulgencie memorate. Et insuper ut vos et fideles ipsi huiusmodi indulgenciam uberius consequi possitis et possint, abbati predicto quatuor duntaxat presbyteros ydoneos, seculares vel regulares, ad huiusmodi negocium promovendum eligendi et deputandi, ut ipsi presbyteri durante huiusmodi concessione confessionem omnium et singulorum Christi fidelium, qui causa huiusmodi indulgencie assequende manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, auctoritate apostolica audire . . . . valeant . . . ., eadem auctoritate tenore presencium concedimus facultatem. Datum Rome ap S. Petrum sexto kal. Septembris a. nono.

R. Lat. 61 fol. 107a — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1338. *Vernerius abbas Cladrubensis quitatur de solutione suorum servitiorum camerae apostolicae.*

Romae, 1398 Augusti 30.

Universis [et singulis presentes litteras inspecturis] Conradus [miseracione divina archiepiscopus Nicosiensis, dom. pape camerarius] salutem [in domino]. Universitati [vestre notum facimus per presentes], quod venerabilis pater frater Wernerus abbas monasterii Cladruuensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis pro parte partis sui communis servicii, [in quo camere apostolice sub certis penis et sentenciis racione dicti sui monasterii extitit efficaciter obligatus], triginta sex florenos auri de camera et solidos quadraginta quinque monete Romane nobis, et pro parte partis quatuor minutorum serviciorum [consuetorum debitorum pro familiaribus et officialibus domini nostri pape, in quibus similiter extitit obligatus,] decem et novem similes florenos et solidos duos dicte monete clericis camere [apostolice proprio eorum et aliorum familiarium et officialium dicti domini nostri pape nomine recipientibus] per manus venerabilis viri dom. Nicolai de Volauia prepositi ecclesie s. Egidii Wratislauiensis die date presencium tempore debito solvi fecit realiter [et cum effectu. De quibus sic datis et solutis dictum fratrem Wernerum eiusque heredes et successores et dictum suum

monasterium tenore presencium quitamus, absolvimus et eciam liberamus. In quorum testimonium presentes litteras fieri et sigilli nostri camerariatus officii iussimus appensione muniri]. Datum Rome ap. S. Petrum sub. a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, indiccione sexta, die trecesima mensis Augusti pont. . . . . a. nono.

Oblig. et sol. 55 fol. 36ᵇ. Uncinis [ ] inclusa ad instar aliarum quitationum eiusdem codicis suppleta sunt. — In fine: VIST M SABBAS; FL. I GR. II. — Ad eandem solutionem alia quitatio in Oblig. et sol. 59 fol. 92ᵃ contenta se refert, ubi sub eadem data Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, dictum abbatem quitat de 36 florenis auri de camera, solidis 45, quos pro parte partis sui communis servitii, et de 4 flor., sol. 38, quos pro parte partis unius minuti servitii per manus Nicolai de ‚Vulauia' camerae sacri collegii solvi fecit. — De eadem solutione porro in libro „divisionum a. 1389—1399" Oblig. et sol. 51 mentio fit in haec verba (fol. 141ᵇ): „Die tricesima mensis Augusti [a 1398] venerabilis pater dom. frater Warnerus abbas monasterii Cladruuensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. solvit pro parte partis sui communis servicii . . . . 36 flor. auri de camera et sol. quatraginta quinque, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . 4 similes flor. et sol. 38 dicte monete; summa summarum: flor. 41 et sol. 33. Fuit promotus anno nono dom. Bonifacii pp. noni (i. e. $1397^{9}/_{11}$—$1398^{9}/_{11}$) . . . ."

***1339** Abbatissae et conventui monasterii in Oslavia motu proprio indulgetur, ut post cessum vel decessum Johannis rectoris ecclesiae s. Jacobi in Brunna possessionem eiusdem ecclesiae apprehendere possint.*

Romae, 1398 Septembris 1.

Bonifacius . . . . abbatisse et conventui monasterii Vallis sancte Marie in Oslauia cisterciensis ord. Olomucensis diocesis . . . . Dudum siquidem pro parte vestra fel. rec. Alexandro pape IIII. predecessori nostro exposito, quod, cum clare memorie Primislaus rex Boemie ius patronatus, quod in ecclesia s. Jacobi de Burgo Brunnensi Olomucensis diocesis obtinebat, de assensu . . . . Olomucensis episcopi regia vobis liberalitate donasset intuitu pietatis, tandem dictus episcopus circa vos dirigens paterne benignitatis affectum, diligenti deliberacione prehabita vobis ordinaria auctoritate concesserat, ut dictam ecclesiam tunc vacantem, cuius collacio ad eum spectaverat, cum iuribus et pertinenciis suis in vestros usus proprios retinere possetis, deputata de proventibus ipsius ecclesie vicario ibidem perpetuo servituro pro sustentacione sua et episcopalibus iuribus persolvendis et supportandis eius consuetis oneribus congrua porcione, prefatus predecessor quod ab eisdem rege et episcopo super premissis pie ac provide factum erat ratum et firmum habens, non obstante, quod ad hoc assensus Olomucensis capituli minime intervenerat, auctoritate apostolica per suas certi tenoris litteras confirmavit et eciam communivit, prout in ipsis litteris plenius continetur.[1]) Verum, sicut nuper accepimus, vos deinde predictam ecclesiam huiusmodi donacionis, concessionis, confirmacionis et communionis vigore assecuti, eam per multos annos tenuistis et possedistis pacifice et quiete, quodque postmodum, cum . . . . Johannes dictus Hanko prefatam ecclesiam nunc regens assereret se in partibus illis beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura vacans aut vacaturum auctoritate litterarum apostolicarum sibi graciose concessarum ex-

pectare, dictamque ecclesiam tunc vacavisse et sub gracia sua comprehendi posse, et eam huiusmodi litterarum et gracie vigore acceptasse et de illa sibi provisum extitisse, vos ex certis causis consensistis, ut ipse Johannes eandem ecclesiam ad suam vitam in titulum reciperet et teneret et vobis ex ea certam pensionem singulis annis ministraret, prout eciam idem Johannes ipsam ecclesiam assecutus, eam per quamplures annos in titulum tenuit et possedit ac tenet et possidet, vobis ex ea singulis annis huiusmodi pensionem annuam ministrando,[2] et super hoc a sede apostolica quasdam confirmacionis sive nove provisionis litteras dicitur impetrasse. Cum autem, sicut eciam accepimus, a nonnullis asseratur tam propter premissa quam eciam pro eo, quod idem Johannes noster ac sedis apostolice capellanus existit, super dicta ecclesia post cessum vel decessum ipsius Johannis vos molestari seu impediri posse, nos . . . . motu proprio . . . . auctoritate apostolica vobis indulgemus, ut cedente vel decedente dicto Johanne vel alias quomodolibet dictam ecclesiam dimittente liceat vobis eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, et eius possessionem auctoritate propria alicuius super [hoc] licencia minime requisita apprehendere et in usus vestros perpetuos retinere ac fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesie in supportacionem onerum vobis et eidem vestro monasterio incumbencium deputare ac curam parrochianorum ipsius per ydoneos sacerdotes, per abbatissam eiusdem monasterii pro tempore existentem dumtaxat ac ad eius nutum ponendos et amovendos, regi facere, super hoc diocesani loci pro tempore existentis seu cuiuslibet alterius licencia vel consensu minime requisitis, ita tamen, quod in dicta ecclesia deserviatur laudabiliter in divinis et huiusmodi pro tempore cura diligenter exerceatur, quodque vos episcopalia iura solvere et alia eidem ecclesie incumbencia onera consueta teneamini integre supportare[a]) . . . . Ceterum volumus et predicta apostolica auctoritate decernimus, quod, si per nos vel auctoritate nostra eandem ecclesiam s. Jacobi alicui mense vel alteri ecclesie seu monasterio vel loco regulari imposterum forsan uniri, annecti vel incorporari seu presentem concessionem revocari contigerit, quod per huiusmodi unionem, annexionem et incorporacionem presenti indulto seu concessioni nullatenus derogetur, nisi in litteris super huiusmodi incorporacione seu revocacione faciendis de presentibus de verbo ad verbum ac ipsarum toto tenore specialis et expressa mencio habeatur, et alias in eis clare appareat per nos presentibus velle ex certa sciencia derogare[b]) . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Septembris a. nono.

R. Lat. 57 fol. 68[1] — [a]) ‚In usus vestros — supportare' in margine superiore adscriptum cum nota: „Correctum de mandato. N." [b]) ‚Ceterum — derogare' in margine inferiore posterius adscriptum adiunctis verbis: „Correctum de mandato. N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine scriptum erat: „De mandato, Jac. de Teramo", sed cancellatum est et loco cancellati positum: N. XXX DE BENEVENTO; in margine autem adscriptum est: „Prius fuit de mandato, antequam corrigeretur". — [1]) Litterae Alexandri pp. IV. ddto. 1261 Jan. 28 in Cod. dipl. Moraviae III. p. 296 nr. 305 editae sunt. [2]) Cf. autem nr. 1250.

***1340**. Facultas deputandi confessores in ecclesia monasterii s. Vincentii Vratislaviensis abbati et conventui eiusdem monasterii alias concessa revocatur.*

Romae, 1398 Septembris 1.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Romani pontificis providencia circumspecta sic indulgencias et privilegia ac alia indulta per sedem apostolicam concessa libenter moderat, quod ex eis populo cristiano confusio nullatenus oriatur, eaque quandoque revocat et immutat, prout circumstanciis universis diligenter attentis id conspicit salubriter et utiliter expedire. Nuper siquidem omnibus vere penitentibus et confessis, qui tercia dominica post festum pasche sequenti, in qua ‚Jubilate deo omnis terra' in ecclesia dei decantatur, a primis vesperis ipsius diei dominice et per totam diem eiusdem ecclesiam monasterii s. Vincencii ordinis premonstratensis Wratislauiensis diocesis devote visitarent annuatim et ad ipsam ecclesiam manus porrigerent adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in die ascensionis domini nostri Jesu Christi et ad conservacionem ipsius manus porrigentes adiutrices anno quolibet auctoritate apostolica quomodolibet consequuntur, eadem auctoritate duximus concedendum, et deinde nos cupientes, ut fideles ipsi ad eandem ecclesiam ipsius monasterii visitandum et ad huiusmodi conservacionem manus, ut premittitur, porrigendum eo libencius animarentur, quo ex hoc ibidem maius animarum commodum se sperarent adipisci, abbati et conventui dicti monasterii et successoribus eorum, qui pro tempore forent, quatuor sacerdotes ydoneos et plures, sive seculares sive religiosos, prout eisdem abbati et conventui visum foret expedire, qui confessiones quarumcunque personarum a dictis primis vesperis et eciam ante per duos dies continuos et per totam dictam dominicam diem ad eandem ecclesiam dicti monasterii confluencium et ipsis confiteri volencium in dicta ecclesia audirent et personas easdem ab omnibus eorum peccatis in forma ecclesie consueta absolverent ipsisque penitenciam salutarem iniungerent et alia, que circa premissa forent facienda, singulis annis in ipsa ecclesia deputandi ac huiusmodi sacerdotes amovendi et alios de novo eligendi, quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam concessimus auctoritate predicta per nostras litteras facultatem, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut nobis fidedigna relacione displicenter innotuit, prefati abbas et conventus huiusmodi facultatis pretextu multo plures sacerdotes ad huiusmodi confessiones audiendum, quam ex beneficio litterarum predictarum poterant, deputaverint ipsaque facultate adeo abusi fuerint, quod tam occasione indulgencie et facultatis quam deputacionis predictarum magna et plurima in civitate Wratislauiensi et dicta diocesi scandala ac murmuraciones obbrobriose inter Christi fideles actu exorte sunt et maiora timentur, nisi super hoc oportune provideatur, verisimiliter exoriri: nos igitur volentes in premissis, prout ex pastoralis officii debito tenemur, salubriter providere, confessorum facultatem predictam exnunc auctoritate apostolica tenore presencium revocamus, cassamus, irritamus et omnino viribus vacuamus eamque nullius esse decernimus roboris vel momenti, decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Septembris pont. n. a. nono.

R. Lat. 57 fol. 115ᵛ. – Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE CURIA JAC. E TERAMO

1341. *Sigismundus rex Ungariae rogatur, ut Venceslaum Romanorum et Bohemiae regem, germanum suum, ad veniendum in Italiam pro coronatione excitet et cum eo illuc descendere non gravetur, si autem Venceslaus rex venire recuset, ut ipse cum principum et nobilium comitiva in Italiam proficiscatur cum papa de negotiis ecclesiae acturus; notificatur etiam regi Sigismundo papam ad regem Venceslaum ambasiatam solemnem destinari decrevisse, quae eum exhortetur, ut aut ipse in Italiam veniat aut regem Sigismundum venire permittat eumque adiuvet. „Ab olim licet" „Rome ap. S. Petrum 2. nonas Septembris a. nono."*

Romae, 1398 Septembris 4.

Ed. Pelzel, Wenzel IV., Th. II, Urkundenb. p. 46. nr. 152; item Deutsche Reichstagsakten III. p. 60 nr. 26.

1342. *Erectio parrochialis ecclesiae in Jaroměř in monasterium canonicorum regularium ord. s. Augustini olim per Arnestum archiepiscopum Pragensem facta confirmatur.*

Romae, 1398 Septembris 6.

Bonifacius . . . ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolice providencia . . . . Sane peticio pro parte . . . . prepositi et conventus monasterii Jaromirensis per prepositum soliti gubernari ord. s. Augustini Pragensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod olim bone memorie Arnostus archiepiscopus Pragensis cupiens divinum cultum ac dicti ordinis propagacionem suis temporibus feliciter adaugeri, ad laudem et honorem omnipotentis dei ac gloriose virginis Marie parrochialem ecclesiam in opido Jaromir dicte diocesis, tunc per clericos seculares consuetam gubernari, que antea per bone memorie Johannem episcopum Pragensem, dicti Arnesti immediatum predecessorem, prepositure ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi auctoritate ordinaria unita extitit et incorporata, de consilio et assensu prepositi et capituli eiusdem ecclesie Omnium Sanctorum, qui omne ius, [quod] sibi in predicta parrochiali ecclesia ac membris seu capellis et subiectis quomodolibet competebat, in prefatum Arnestum archiepiscopum unanimiter transtulerunt, ad id eciam clare memorie Karoli quarti Romanorum imperatoris et Boemie regis necnon capituli maioris ecclesie Pragensis expresso accedente consensu, in monasterium et locum conventualem canonicorum regularium predicti ordinis auctoritate ordinaria creavit, erexit et ordinavit eandem parrochialem ecclesiam ab omni iure, subieccione et iurisdiccione, quibus prepositio et capitulo ecclesie Omnium Sanctorum predictis fuerat obnoxia, penitus eximendo, ipsam cum membris seu capellis predictis ac suis redditibus et proventibus universis, in quibuscunque rebus consisterent, in ipsorum canonicorum regularium ius et proprietatem plenarie transferendo, ita quod deinceps perpetuis futuris temporibus eadem parrochialis ecclesia monasterium nuncuparetur et

per prepositum gubernaretur, quodque conventus eiusdem monasterii aut maior et sanior pars eorundem, quocienscunque monasterium ipsum prepositi regimine destitui continget, personam ydoneam in prepositum eiusdem monasterii eligere possent et deberent iuxta predicti ordinis instituta, et quod nichilominus taliter in prepositum canonice electus confirmacionem eleccionis sue ab archiepiscopo Pragensi pro tempore existente recipere teneretur, quas quidem creacionem, ereccionem et ordinacionem eciam prefatus Karolus imperator ad humilem ipsius Arnesti archiepiscopi peticionis instanciam regia auctoritate confirmavit, prout in litteris autenticis inde confectis Karoli imperatoris et Arnesti archiepiscopi ac capitulorum predictorum sigillis munitis, quarum tenores presentibus haberi volumus pro expressis, dicitur plenius contineri.[1]) Quare pro parte prepositi et conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut creacioni, ereccioni et ordinacioni predictis ac omnibus et singulis in prefatis litteris contentis robur apostolice confirmacionis adiicere ipsisque, quod omnibus exempcionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis gaudere valeant, quibus alii canonici dicti ordinis in aliis ipsorum monasteriis et locis commorantes pociuntur, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui predicti cultus augmentum et ipsius ordinis propagacionem intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, creacionem, ereccionem et ordinacionem predictas et quecunque inde secuta ac omnia et singula in prefatis litteris contenta et ordinata rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes eadem auctoritate omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis. Et insuper volumus et eadem auctoritate concedimus, quod tam presentes quam posteri prepositus et canonici dicti ordinis, qui in huiusmodi monasterio sicut prefertur erecto pro tempore morabuntur, omnibus exempcionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis gaudeant et utantur, quibus alii canonici dicti ordinis in aliis eorum monasteriis et locis commorantes gaudent et quomodolibet pociuntur, constitucionibus apostolicis necnon prescripcionibus ac statutis et consuetudinibus ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Septembris a. nono.

R. Lat. 57 fol. 63ᵃ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1]. Litteras archiepiscopi Arnesti (sine dato ex libro formularum eiusdem edidit Tadra, Cancellaria Arnesti, (Arch. für öst. Gesch. LXI) 1880, p. 168.

***1343**. Johanni Nicolai dicti Czevil de ‚Swetauia'[1]) clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Vratislaviensis, necnon abbatis et conventus monasterii in Kamenz*[a]) *cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Octobris a. nono. — Simili*

modo episcopo Perusino et abbati monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Vratislavienses ac decano ecclesiae Olomucensis.

Romae, 1398 Septembris 15.

R. Lat. 56 fol. 235 — [a] ‚Camenez' — In marg. sin.: CANCELLARIA; in fine PRO DEO.N. DE BENEVENTO. — Altera copia in R. Lat. 56 fol. 285[v] invenitur, ubi autem in fine nota registratoris deest. — [1] Zwethau in Saxonia?

1343[a]. *Monasterio Roudnicensi ord. s. Augustini canonicorum regularium Pragensis dioc. parrochiales ecclesiae s. Mariae in Brloh et ss. Simonis et Judae apostolorum in Dolina eiusdem dioc. incorporantur reservatis de fructibus dictarum ecclesiarum congruis portionibus pro perpetuis vicariis ad nutum praepositi dicti monasterii ibidem instituendis et destituendis. „Sacre vestre religionis" „Rome ap. S. Petrum XVII. kal. Octobris pont. n. a. nono."*

Romae, 1398 Septembris 15.

Ed. Emler, Diplomatář kláštera řádu sv. Augustina v Roudnici. (Věstník kr. č. spol. nauk — Sitzb. der kön. böhm. Ges. der Wiss. 1893 nr. XVII. p. 40 nr. 27.

1344. *Volframus archiepiscopus Pragensis quitatur de solutione suorum servitiorum camerae apostolicae.*

Romae, 1398 Septembris 17.

Universis . . . . Conradus [. . . archiepiscopus Nicosiensis, dom. pape camerarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Wolframus dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte partis sui communis servicii . . . . centum nonaginta unum florenos auri de camera, solidos decem monete Romane nobis, non facta divisione de minutis serviciis, nec aliquid soluto sacro collegio dominorum cardinalium, per manus dom. Johannis de Tremosnicz plebani s. Egidii Pragensis die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum [faciende solucionis residui . . . .] usque ad festum apostolorum beatorum Petri et Pauli proxime futurum prorogamus. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub. a. dom. MCCCLXXXXVIII., indiccione VI., die decima septima mensis Septembris, pont. . . . . anno nono.

Oblig. et sol. 55 fol. 37[a] — In fine: (eadem manu) VISUM MACZEUS; FL. V. GR. V.; (alia manu) „Asignatio Nicolai de Imola".

1345. *Episcopo Concordiensi et abbati monasterii s. Stephani de Hradiště*[a]) *extra muros Olomucenses ac officiali Olomucensi mandatur, quatenus Michaeli de Klenovicz*[b]) *presbytero Olomucensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in*

Vherčicz (Auerschitz)[c] *dictae dioc., cuius fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Petri dicti Odslon extra Romanam curiam defuncti.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo tercio kal. Octobris a. nono.*“

Romae, 1398 Septembris 19.

R. Lat. 55 fol. 39[a] — [a]) ‚Radis‘ [b]) ‚Clynowycz‘ [c]) ‚Auryczicz‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1346. *Patriarchae Gradensi et decano ac scholastico ecclesiae s. Petri Vyšehradensis*[a]) *Pragensis mandatur, quatenus Petro dicto Masopust*[b]) *presbytero Pragensis dioc. parrochialem ecclesiam s. Michaelis Minoris civitatis Pragensis, cuius fructus 8 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per mortem Duchkonis extra Romanam curiam defuncti vacantem, conferant; non obstante, quod praefatus Petrus super altari s. Crucis et Corporis Christi sito in parrochiali ecclesia s. Michaelis Antiquae civitatis Pragensis, quod sine cura est, et cuius fructus etiam 8 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, in palatio apostolico noscitur litigare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris a. nono.*“

Romae, 1398 Septembris 20.

R. Lat. 56 fol. 81[b] — [a]) ‚Wissegraden.‘ [b]) ‚Massopust‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1347. *Episcopus Misnensis et abbates Strahoviensis alias Montis Sion Pragensis et Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. monasteriorum conservatores praepositi et conventus monasterii Roudnicensis*[a]) *per praepositum soliti gubernari ord. s. Augustini Pragensis dioc. usque ad decennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. nono*“

Romae, 1398 Septembris 22.

R. Lat. 61 fol. 98[b] — [a]) ‚Rudnicen‘. — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1348. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus cum Petro Hildebrandi et Catherina eius uxore super matrimonio contracto dispenset.*

Romae, 1398 Septembris 22.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Oblata nobis pro parte dilecti filii Nicolai Petri Hildebrandi laici et dilecte in Chr. filie Catherine [. . . .][a]) tue diocesis peticio continebat, quod olim ipsi non ignorantes, quod dicta Catherina quendam puerum, quem prefatus Nicolaus ex quondam Elizabeth antea uxore

sua procreaverat, in mortis articulo constitutum in nomine patris et filii et spiritus sancti baptizaverat ac demum predicta Catherina eundem puerum secundum ritum ecclesie baptizari procuraverat, matrimonium per verba legitima de presenti in facie ecclesie solemniter invicem contraxerunt, carnali inter eos copula subsecuta, et deinde insimul ut coniuges habitarunt et prolem exinde susceperunt. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipsi in matrimonio sic contracto nequeant licite remanere, dispensacione super hoc apostolica non obtenta, quodque, si divorcium fieret inter eos, possent exinde gravia scandala exoriri: pro parte ipsorum Nicolai et Catherine nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis de absolucionis beneficio ab excommunicacionis sentencia, quam propterea incurrerunt, et de oportune dispensacionis gracia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et inter Christi fideles libenter pacis et quietis commoda procuramus, prefatis scandalis et periculis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare cupientes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatinus, si est ita, dictaque Catherina propter hoc rapta non fuerit, et tibi expediens videatur, quod huiusmodi dispensacio sit concedenda, super quo tuam conscienciam oneramus, prefatos Nicolaum et Catherinam, ipsis tamen prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, ab excommunicacionis sentencia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, auctoritate nostra hac vice duntaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inter alia, quod similia de cetero non committant, nec ea facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, ac penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et demum, si tibi expediens videatur, cum eisdem Nicolao et Catherina, ut impedimento, quod ex premissis provenit, non obstante matrimonium invicem de novo libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. nono.

R. Lat. 61 fol. 138[a] — [a]) Lacuna in codice. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. Nota registratoris in fine deest.

1349. *Magistro Bartholomaeo Francisci praeposito ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notario apostolico officium cancellariae s. Romanae ecclesiae regenti, mandatur, quatenus a Nicolao dicto Micca rectore parrochialis ecclesiae in Tuchomyśl*[a]) *dictae dioc. resignationem eiusdem ecclesiae, cuius fructus 3 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, recipiat eamque Procopio Stephani de Kozlan*[b]) *conferat.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto nonas Octobris a. nono.*“

Romae, 1398 Octobris 2.

R. Lat. 56 fol. 80[b] — [a]) ‚Tuchomissl‘ [b]) ‚de Coslano‘ -- In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1350. *Decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis mandatur, quatenus Jaroslao dicto Jacheo de Radnicz presbytero Pragensis dioc. conferat altare s. Mariae Magdalenae situm in ecclesia s. Petri Vyšehradensi*[a]) *Pragensi, quod sine cura est, cuiusque fructus 7 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacans per mortem Galli dicti Haško*[b]) *extra Romanam curiam defuncti. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Octobris a. nono.“*

Romae, 1398 Octobris 5.

R. Lat. 56 fol. 9[c] — a) Wissegraden[s] b) Hasco[n] Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO NEPOTE SCRIPTORIS, N. DE BENEVENTO.

1351. *Decani Pragensis et Ratisbonensis ac Olomucensis ecclesiarum conservatores Georgii episcopi Pataviensis usque ad septennium instituuntur. „Ac hoc nos deus“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Octobris a. nono.“*

Romae, 1398 Octobris 6.

R. Lat. 58 fol. 90[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1352. *Visitantibus ecclesiam s. Jacobi in Nissa indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1398 Octobris 7.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia s. Jacobi in oppido Nisa nuncupato Wratislauiensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in die dominica, qua cantatur in ecclesia dei ‚Judica me deus‘, a primis vesperis usque ad secundos vesperos inclusive predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in die ascensionis domini nostri Jesu Christi annuatim quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . rectori dicte ecclesie, qui fuerit pro tempore, ut quolibet anno [. . . .][a]) presbyteros ydoneos religiosos vel seculares, de quibus sibi videbitur, deputare valeat, qui in predicta die dominica et per totam septimanam diem dominicam ipsam precedentem Christi fidelium ipsorum eis confiteri volencium confessiones diligenter audire et eis pro commissis debitam absolucionem impendere possint et valeant . . . ., auctoritate apostolica . . . . indulgemus. Volumus autem, quod omnes oblaciones, que racione visitacionis huiusmodi ad ecclesiam ipsam s. Jacobi pervenerint, in fabricam et reparacionem et alias in utilitatem ipsius ecclesie penitus convertantur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Octobris a. nono.

R. Lat. 61 fol. 232[a] — a) Lacuna in registro. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1353. *Visitantibus ecclesiam monasterii in Trebnicz indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1398 Octobris 7.

Bonifacius . . : . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii in Trebnicz cisterciensis ordinis Wratislauiensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam ecclesia ipsa et monasterium conserventur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in die sabbati proxime et immediate precedente diem dominicam palmarum, in qua in ecclesia dei ‚Domine, ne longe' decantatur, in quo die ob reverenciam s. Hedwigis, que ibi corporaliter requiescit, annuatim non modica Christi fidelium multitudo confluere consuevit, a primis vesperis, scilicet que fiunt die veneris immediate precedente missa et aliis horis canonicis completis, usque ad horam completorii eiusdem diei sabbati inclusive predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam concedimus indulgenciam et remissionem peccatorum, quam ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis ascensionis domini nostri Jesu Christi visitantes et ad conservacionem huiusmodi ecclesie manus porrigentes adiutrices annuatim quomodolibet consequuntur. Volumus autem, quod omnes oblaciones et alia emolumenta quecunque, que exinde racione visitacionis et porreccionis huiusmodi provenerint, in utilitatem et commodum dictorum ecclesie et monasterii integre convertantur. Datum Rome apud S. Petrum nonis Octobris a. nono.

R. Lat. 52 fol. 119b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1354. *‚Abbatissae et conventui monasterii in Trebnitz[a]) cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis indultum deputandi confessores ad audiendum confessiones visitantium ecclesiam dicti monasterii pro consequenda indulgentia concessa. Datum Romae ap. S. Petrum nonis Octobris a. nono.'*

Romae, 1398 Octobris 7.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de regularibus, de fructibus percipiendis, de provisionibus a. nono fol. 87" in codice Vatic. 6952 fol. 196a continetur. — a) ‚Trebintz' cod.

1355. *‚Ad perpetuam rei memoriam. Abbatissae et conventui monasterii in Trebnitz[a]) cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis super celebrandis divinis officiis tempore generalis interdicti etc. Datum Romae ap. S. Petrum nonis Octobris a. nono.'*

Romae, 1398 Octobris 7.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de regularibus, de fructibus percipiendis, de provisionibus a. nono fol. 92" in codice Vatic. 6952 fol. 196a continetur. — a) ‚Trebintz' cod.

1356. *Nicolao Bartnik [de Trebnicz], qui baccalarius in artibus existit, reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, etiam si dignitas vel personatus seu officium cum cura vel sine cura in Vratislaviensi vel in aliqua ex collegiatis ecclesiis civitatis et diacesis Vratislaviensium fuerit et ad eam consueverit quis per electionem assumi, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis, necnon abbatissae et conventus monasterii in Trebnicz ord. cisterciensis Vratislaviensis dioc. etiam ratione dignitatum, personatuum vel officiorum, quae in eadem ecclesia vel extra eam obtinent, pertinens, etiam si canonicatus et praebenda in dicta Vratislaviensi ecclesia existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; in cuius beneficii assecutione dictus Nicolaus omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferri debet; non obstante, quod, ut asserit, altare s. Trinitatis situm in monasterio in Trebnicz praedictae dioc., quod sine cura est, obtinet, et super quadam perpetua vicaria in ecclesia s. Crucis Vratislaviensi noscitur litigare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum nonis Octobris a. nono." — Simili modo episcopo Perusino et cantori ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1398 Octobris 7.

R. Lat. 56 fol. 204 b — Supra in marg. sin.: JO: DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1357. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus causam inter Jacobum rectorem parrochialis ecclesiae in Smolice[a]) et nobilem virum Johannem Sockelum militem Poznaniensis dioc., eiusdem ecclesiae patronum, ac inter Stanislaum rectorem parrochialis ecclesiae in Kobylin[b]) dictae dioc. super dicta ecclesia in Smolice, quam dictus Stanislaus, de iure et proprietate ecclesiae in Kobylin sive ipsius filialem ecclesiam eam existere praetendens, ab archidiacono Poznaniensi sibi obtinuit adiudicari, auctoritate apostolica decidat, praefatis Jacobo et Johanne primum ad cautelam ab excommunicationis sententia per dictum archidiaconum contra eos lata absolutis. „Exhibita nobis" „Rome ap. S. Petrum nonis Octobris a. nono."*

Romae, 1398 Octobris 7.

R. Lat. 61 fol. 18[a] — [a]) ‚Smolicze' [b]) ‚Cobelino' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO (et inferius alia manu) „Cancelletur alia, si reperiatur, quia per istam corrigitur. N. de Benevento"; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1358. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Pileo episcopo Tusculano canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis ac parrochialem ecclesiam in Frankenstein conferant.*

Romae, 1398 Octobris 8.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . cantori ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Dum exquisitam . . . . Pilei episcopi Tusculani circumspeccionis industriam diligenter attendimus et paterna meditacione pensamus, quod ipse Pileus episcopus Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existit, suorum honorat magnitudine meritorum, dignum reputamus et debitum, ut eam sibi reperiat in exhibicione graciarum munificam et in suis oportunitatibus liberalem. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochialis ecclesia in Frankinstein ‚plebes' nuncupata, quos quondam Petrus Cunczindorff[a]) Wratislauiensis canonicus et parrochialis ecclesiarum predictarum rector . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos, quorum fructus . . . . octuaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eidem Pileo episcopo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .[1]) Nos enim cum eodem Pileo episcopo, ut dictam parrochialem ecclesiam . . . . recipere et una cum ecclesia Tusculana ac aliis . . . . beneficiis ecclesiasticis . . . . retinere . . . . valeat . . . ., motu simili auctoritate predicta . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Octobris a. nono.

R. Lat. 57 fol. 109[a] — [a]) Correctum in marg. ex ‚Trebnicz' cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1359–1361.

1359. *Judicibus mandatur, quatenus Emindio Vannis canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis et parrochialem ecclesiam in Frankenstein conferant.*

Romae, 1398 Octobris 8.

Bonifacius . . . . Tudensi et Concordiensi episcopis ac . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Emindius Vannis canonicus ecclesie s. Martini ad Gangalandi Florentine diocesis . . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Emindii peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis et parrochiali ecclesia in Frankensteyn ‚plebe' nuncupata Wratislauiensis [diocesis], quos quondam Petrus in Trebnicz (*sic*) Wratislauiensis canonicus et parrochialis ecclesiarum predictarum rector . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Emindius vigore quarundam litterarum apostolicarum per nos sibi graciose concessarum, per quas nos dudum sibi de uno, duobus tribus, quatuor et pluribus ac tot beneficiis ecclesiasticis, quod eorum fructus . . . . sexaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excederent, eciam si canonicatus et prebende metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum vel aliquod eorum cum cura seu dignitas vel personatus aut officium cum cura vel sine cura [forent], ad quorumcunque collacionem . . . . pertinentibus, in civitatibus aut diocesibus Gneznensibus, Wratislauiensibus et Cracouiensibus ac Plocensibus simul

vel successive vacantibus vel vacaturis, per nostras litteras mandavimus provideri, ac voluimus inter cetera ipsum Emindium in predictorum beneficiorum assecucione ceteris aliis, eciam similia beneficia auctoritate apostolica expectantibus et similem vel dissimilem graciam habentibus, preterquam cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis et continuis commensalibus anteferri, eosdem canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam infra tempus legitimum acceptavit et de eisdem sibi provideri fecit. Cum autem . . . . dictus Emindius dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos volentes dicto Emindio, qui, ut asserit, ideoma, quod parrochiani dicte ecclesie parrochialis locuntur, penitus ignorat, ... graciam facere specialem, [discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . .] canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos, quorum omnium fructus . . . . octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, . . . eidem Emindio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . .;[1]) non obstantibus . . . . , quod dictus Emindius canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie s. Martini, quorum fructus . . . . triginta florenorum auri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . dictus Emindius eosdem canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis et parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas ipsos acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta quoad illam summam, ad quam dicti canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis et parrochialis ecclesia . . . . fuerint taxati, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Octobris a. nono.

R. Lat. 76 fol. 7ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1358, 1360, 1361.

1360. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Johanni Pes canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi vacantes conferant.*

Romae, 1398 Octobris 8.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . Wratislauiensi ac Warmiensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Pes canonicus Warmiensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Petrus de Cuniczendorff . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre mandamus quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan hodie de dictis canonicatu et prebenda sub quacunque verborum forma vel expressione providimus aut concessimus seu mandavimus provideri,[1]) prefa-

tum Johannem . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Octobris a. nono.[a])

R. Lat. 54 fol. 56 — [a]) octavo—nono in cod. alia manu adscriptum — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1358, 1359, 1361.

1361. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Pileo episcopo Tusculano canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis et quoddam altare situm in eadem ecclesia ac parrochialem ecclesiam in Frankenstein conferant.*

Romae, 1398 Octobris 10.

Bonifacius . . . episcopo Tudensi et . . . . cantori ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Dum exquisitam . . . . Pillei episcopi Tusculani circumspeccionis industriam diligenter attendimus et paterna meditacione pensamus, quod ipse Romanam ecclesiam . . . . suorum honorat magnitudine meritorum, dignum reputamus . . . ., ut eam sibi reperiat . . . . liberalem. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis et altare situm in eadem ecclesia, consuetum per canonicum prebendatum eiusdem ecclesie gubernari[a]), ac parrochialis ecclesia in Franckenstein[b]) Wratislauiensis diocesis[c]), quos quondam Petrus Conczendorf[d]) . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam ac altare[e]) et parrochialem ecclesiam predicta, quorum omnium fructus . . . . octuaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Pilleo episcopo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illis quibus forsan hodie, cuiuscunque status, gradus vel condicionis existant, de dictis canonicatu et prebenda ac altari et parrochiali ecclesia ut prefertur vacantibus in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra est provisum aut concessimus provideri[f]), prefatum Pileum episcopum . . . . volumus anteferri . . . .[1]) Nos enim cum eodem Pileo episcopo, ut dictam parrochialem ecclesiam . . . . recipere et una cum ecclesia Tusculana ac aliis . . . . beneficiis ecclesiasticis . . . . retinere . . . . valeat . . . ., motu simili auctoritate predicta . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Octobris a. nono.

R. Lat. 58 fol. 17[b] — [a]) ‚et altare — gubernari' in margine posterius adscriptum cum nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento" [b]) sequitur cancellatum ‚plebes nuncupata' [c]) ‚Wratislauiensis dioc.' adscriptum in margine, [d]) adscriptum in margine loco cancellati ‚Trebnicz' adiuncta nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento", [e]) ‚ac altare' adscriptum in margine, [f]) ‚eciam illis — provideri' in margine adscriptum cum nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1358—1360.

1362. *Johanni Clunscuoet providetur de canonicatu et maiore praebenda maioris ecclesiae Osnaburgensis ac de archidiaconatu Frisiae in eadem ecclesia. „Apostolice sedis circumspecta" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Octobris a. nono." — Simili modo decanis s. Johannis Osnaburgensis et s. Martini Monasteriensis ac Jacobo Steube canonico Vratislaviensis ecclesiarum.*

Romae, 1398 Octobris 10.

R. Lat. 62 fol. 132[b] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine N. XX. XXII DE BENEVENTO.

1363. *Theophilo de Opol licentia eligendi confessorem conceditur.*

Romae, 1398 Octobris 12.

Bonifacius . . . . Theophilo quondam Petri Armknecht de Opol clerico Wratislauiensis diocesis . . . . Benigno . . . . Hinc est, quod nos . . . . tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem idoneum et discretum presbyterum in tuum possis eligere confessorem, qui tociens, quociens tibi fuerit oportunum, confessionibus tuis diligenter auditis pro commissis debitam tibi absolucionem impendat et iniungat penitenciam salutarem, teque nichilominus semel et hac vice dumtaxat ab omnibus excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentenciis iuris et hominis, si quas ex quacunque causa incurristi, in forma ecclesie absolvat, et tecum super irregularitate, si quam dictis sentenciis ligatus celebrando divina aut immiscendo te illis, non tamen in contemptum clavium, aut alias quoquo modo contraxisti, dispenset, omnesque et singulas inhabilitatis et infamie et alias quascunque maculas sive notas per te quovis modo contractas aboleat et abstergat, teque habilitet et ad successiones, bona, iura, dignitates, privilegia, honores et status ecclesiasticos et mundanos et alias in integrum et in pristinum statum restituat, eciam si absolucio, dispensacio, abolecio, abstersio, habilitacio et restitucio huiusmodi fuerint sedi apostolice specialiter reservate; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfaccio impendenda, eam tibi faciendam iniungat, quam tu, quamprimum poteris, facere tenearis; et ne, quod absit, propter huiusmodi graciam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod, si ex confidencia concessionis huiusmodi aliqua forte committeres, quoad illa huiusmodi concessio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Octobris a. nono.

R. Lat. 58 fol. 201[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1364. *Angelo tituli s. Laurentii in Damaso cardinali providetur de quibusdam beneficiis ecclesiasticis in diversis ecclesiis vacantibus.*

Romae, 1398 Octobris 24.

Bonifacius . . . . Angelo tituli. s. Laurencii in Damaso presbytero cardinali . . . . Dum exquisitam . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et pre-

bendas ac dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcunque capellanorum sedis apostolice tunc vacancia et imposterum vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum prepositura s. Andree Frisingensis ac maioris Frisingensis cum thesauraria et Brixinensis cum duabus capellis sitis in eadem Brixinensi ac Patauiensis et Wratislauiensis necnon Misnensis cum scolastria et certis obedienciis ac Bilueldensis ecclesiarum eciam cum scolastria canonicatus et prebende necnon parrochialis ecclesia in Polen Padeburnensis et Salzeburgensis diocesis et capella s. Johannis Baptiste sita in castro Misnensi, quos quondam Hermannus de Biluelt . . . . obtinebat, per ipsius Hermanni obitum, qui capellanus dicte sedis et causarum palacii apostolici auditor existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos . . . . preposituram necnon canonicatus et prebendas cum obedienciis ac thesauriariam et scolastrias ac parrochialem ecclesiam et capellas predictas, quorum omnium fructus . . . . centum et octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Novembris a. nono.

Simili modo . . . . episcopo Perusino et . . . . preposito Salzeburgensis ac decano Padeburnensis ecclesiarum . . . .

R. Lat. 58 fol. 13[a] — Supra in marg. sin : JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO.

1365. *Patriarchae Gradensi et Vratislaviensi et Varmiensi officialibus mandatur motu proprio, quatenus Jeronymo de Thomasdorf[a]) canonico Vratislaviensi conferant canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae Varmiensis, quorum fructus 30 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantes per obitum Gotfriedi Bedeke extra Romanam curiam defuncti.[1]) „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum nono kal. Novembris a. nono."*

Romae, 1398 Octobris 24.

R. Lat. 54 fol. 54[a] — [a]) Thesmesdorff — In marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. n. 1366.

1366. *Episcopo Tudensi et decano ecclesiae s. Salvatoris in Gutstadt[a]) Varmiensis dioc. ac officiali Pragensi mandatur motu proprio, quatenus Johanni Vinkeleri rectori parrochialis ecclesiae in Haland[1]) Pomezaniensis dioc., magistro in artibus et sacrae theologiae professori[2]), canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae Varmiensis, quorum fructus 25 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per obitum Gotfriedi Bedeke, qui hodie extra Romanam curiam diem clausit extremum[3]), vacantes, conferant. „Litterarum sciencia" „Datum Rome ap. S. Petrum septimo[a]) kal. Novembris a. nono."*

Romae, 1398 Octobris 26.

R. Lat. 54 fol. 63ᵃ — a) ‚Gutenstat' b) Correctum in margine loco cancellati ‚nono', hac nota adiuncta: „Correctum de mandato Jac." — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]. A. DE PORTUGUARIO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — 1) Preussisch Holland in reg. Konigsberg? — 2) Johannes ‚Winkleri' a. 1377 in universitate Pragensi ad licentiatum et magisterium in artibus admissus, a. 1383 in decanum facultatis artium electus est. Monum. univ. Prag. I. 1. p. 174, 176, 216 et al. — 3) Cf. nr. 1365.

1367. *Vratislaviensis*[a]) *et Plocensis ac Culmensis episcopi conservatores Henrici episcopi Vladislaviensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a. nono"*

Romae, 1398 Octobris 28.

R. Lat. 58 fol. 90ᵇ — a) ‚Wradislanien' — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1368. *Archiepiscopo Maguntinensi mandatur, quatenus, si oppidum Erfordense a Venceslao rege Romanorum absque rationabili causa imperiali banno suppositum fuisse invenerit, huiusmodi bannum revocet.*

Romae, 1398 Novembris 1.

Bonifacius .... archiepiscopo Maguntinensi .... Exhibita nobis nuper pro parte .... universitatis oppidi Erffordensis Maguntinensis diocesis peticio continebat, quod dudum .... Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex illustris predictum oppidum eiusque incolas et habitatores cum eorum rebus et bonis, ipsis universitate ad hoc legitime non vocatis, sed absentibus, non per contumaciam nec convictis de aliquo crimine vel confessis seu alias absque racionabili causa, sed de facto ad instanciam, ut asseritur, ... nobilis viri Wilhelmi marchionis Misnensis proscribi fecit et supposuit banno imperiali, ipsosque universitatem huiusmodi banno proscriptos mandavit et fecit similiter de facto publice nunciari in grave ipsorum universitatis preiudicium et gravamen. Quare pro parte dictorum universitatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... fraternitati tue .... mandamus, quatinus de premissis auctoritate nostra summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii te informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris ita esse, bannum et proscripcionem huiusmodi et quecunque inde secuta tanquam invalida et de facto presumpta revoces et annulles, ipsosque universitatem aut aliquam singularem personam ex eisdem propterea penas, muletas, sentencias seu infamias aliquas minime incurrisse, ubi, quando et quocciens expedierit, auctoritate predicta pronuncies, decernas et declares, ac nichilominus bannum et proscripcionem huiusmodi eadem auctoritate relaxes et eosdem universitatem, incolas et habitatores a sentenciis et penis, si quas propter premissa incurrisse noscantur, eadem auctoritate absolvas ac in integrum et statum pristinum restituas, non permittens eosdem ab aliquibus huiusmodi banni seu proscripcionis pretextu quomodolibet molestari aut eis damna

vel molestias irrogari . . .: non obstantibus legibus et constitucionibus imperi alibus ac statutis municipalibus et aliis contrariis quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Novembris a. nono

R. Lat. 52 fol. 282ᵇ — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; A DE PORTUGRI ARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1369. *Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac praeposito ecclesiae s. Jacobi Gluszynensis Poznaniensis dioc. ac archidiacono Poznaniensi mandatur, quatenus Henrico Gregorii de Poznania rectori parrochialis ecclesiae s. Margaretae in suburbiis Poznaniensibus canonicatum et praebendam in ecclesia Poznaniensi vacantes, quos ipse vigore apostolicae gratiae expectativae acceptavit, auctoritate apostolica conferant.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum kal. Novembris a. nono.*"

Romae, 1398 Novembris 1.

R. Lat. 63 fol. 308ᵇ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; ibidem in ferius: „Alibi eciam registrata de anno nono"; in fine: N. XX DE BENEVENTO

1370. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Georgium Parcardi Strnadonis [de Janovicz] ad dimissionem praeposituraе Vyšehradensis Venceslao patriarchae Anthiocheno moneat.*

Romae, 1398 Novembris 7.

Bonifacius . . . .officiali Wratislauiensi . . . . Dudum Wenceslao patriarche . . . . Antiocheno preposituram ecclesie Wissegradensis extra muros Pragenses tunc certo modo vacantem, per eum, quoad viveret, tenendam, regendam et eciam gubernandam, per nostras litteras duximus commendandum, certis sibi super hoc executoribus deputatis . . . .[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti patriarche peticio continebat, ... Georgius Borchardi Sternadonis, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, dictam preposituram detineat indebite occupatam, et impediat et faciat, quominus idem patriarcha preposituram ipsam assequi possit, in apostolice sedis contemptum ac eiusdem patriarche non modicum preiudicium et gravamen, pro parte ipsius patriarche nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus eundem Georgium, ut infra certum peremptorium terminum per te ad hoc prefigendum prepositure predicte iuriumque et pertinenciarum omnium eiusdem corporalem possessionem eidem patriarche libere et omnino dimittat et ab impedimentis huiusmodi omnino desistat, necnon de fructibus ex dicta prepositura a tempore, quo eidem patriarche commendata fuit, ut prefertur, perceptis integre satisfaciat, ac eciam . . . . capitulum dicte ecclesie [sub] excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentenciis atque penis, quas ipso facto incurrant, auctoritate nostra

moneas et mandes eisdem, ut eundem patriarcham ad corporalem possessionem dicte prepositure iuriumque et pertinenciarum omnium eiusdem, amoto exinde predicto Georgio et quolibet alio detentore, admittant sibique et nulli alteri de ipsius prepositure fructibus . . . . studeant respondere, et nichilominus legitimis super predictis litteris habitis et habendis servatis processibus, eosdem processus eciam contra dictum Georgium et quoscunque alios sibi in hac parte adherentes et foventes, quociens expedierit, aggravare procures . . . Et insuper si dictus Georgius infra huiusmodi terminum per te sibi ad hoc prefigendum monicioni et mandato tuis huiusmodi non paruerit cum effectu, nos tibi eundem Georgium omnibus beneficiis ecclesiasticis, que obtinet, privandi et ad illa et quecunque alia imposterum obtinenda inhabilitandi auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. nono.

R. Lat. 52 fol. 142b — Supra in marg. sin.: JO DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1069.

***1371**. Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Vitkonem [de Černčicz] clericum ad dimissionem decanatus Vyšehradensis Venceslao patriarchae Anthiocheno moneat.*

Romae, 1398 Novembris 7.

Bonifacius . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dudum . . . . Wenceslao patriarche Antiocheno preposituram ecclesie Wissegradensis extra muros Pragenses tunc certo modo vacantem, per eum, quoad viveret, tenendam, regendam et eciam gubernandam per nostras litteras, commendavimus, ac voluimus inter cetera, quod ipse patriarcha, quamprimum preposituram ipsam foret pacifice assecutus, decanatum eiusdem ecclesie, quem extunc ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinebat, omnino dimittere teneretur . . . .[1] Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti patriarche peticio continebat, ... Vitko, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, cui dudum de dicto decanatu, cum illum per assecucionem dicte prepositure vacare contingeret, fuit, ut asserit, auctoritate apostolica mandatum provideri,[2] eundem patriarcham, antequam ipse preposituram ipsam ut prefertur assequeretur, predicto decanatu ac nonnullis bonis aliis una cum quibusdam suis in hac parte complicibus et fautoribus contra iusticiam spoliaverit, seque in eodem decanatu intruserit, illumque occupaverit ac detinuerit, prout detinet, indebite occupatum in predicti patriarche non modicum preiudicium et gravamen, pro parte ipsius patriarche nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus prefatum Vitkonem, ut infra certum peremptorium terminum per te ad hoc prefigendum decanatus predicti iuriumque et pertinenciarum eiusdem corporalem possessionem libere et omnino dimittat eidem patriarche, sibique de fructibus per eum ex decanatu predicto perceptis ac ipse et complices [ac] fautores predicti de aliis bonis supradictis integre satisfaciant, ac eciam . . . . capitulum dicte ecclesie

sub excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentenciis atque penis, quas ipso facto incurrant, auctoritate nostra moneas et mandes eisdem, ut eundem patriarcham ad corporalem possessionem dicti decanatus iuriumque et pertinenciarum eiusdem amoto exinde dicto Vitkone admittant, sibique et nulli alteri de ipsius decanatus fructibus . . . ., donec preposituram predictam fuerit pacifice assecutus, respondere procurent . . . . Et insuper si dictus Vitko infra huiusmodi terminum per te sibi, ut prefertur, prefigendum monicioni et mandato tuis huiusmodi non paruerit cum effectu, nos tibi eundem Vitkonem omnibus beneficiis ecclesiasticis, que obtinet, privandi et ad illa et quecunque alia imposterum obtinenda inhabilitandi auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. nono.

R. Lat. 52 fol. 145[1] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1069. [2]) Cf. nr. 1070.

1372 *Episcopus Olomucensis et Vratislaviensis ac Misnensis officiales conservatores Venceslai patriarchae Anthioceni instituuntur. „Ad hoc nos deus“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. nono“.*

Romae, 1398 Novembris 7.

R. Lat. 58 fol. 91[3] — In marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1373. *Venceslao patriarchae Anthiocheno datur facultas omnibus familiaribus suis indulgendi, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Personam tuam“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. nono.*

Romae, 1398 Novembris 7.

R. Lat. 61 fol. 160[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1374. *Omnes provisiones de certis canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis ac de parrochiali ecclesia in Frankenstein aliis quam Pileo episcopo Tusculano factae motu proprio revocantur.*

Romae, 1398 Novembris 8.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Dudum per nos accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochialis ecclesia in Franckenstein ‚plebes‘ nuncupata, quos quondam Petrus Cunczindorff[a]) . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverant et vacabant tunc, nos videlicet octavo idus Octobris proximo

preteriti de eisdem canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia ut premittitur vel alias quovis modo vacantibus per nostras litteras . . . . Pileo episcopo Tusculano graciose mandavimus provideri . . . .[1] Cum itaque postmodum, sicut accepimus, nonnulli, quibus de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum eiusdem ecclesie Wratislauiensis ac aliis beneficiis in civitate Wratislauiensi et diocesi predicta vacantibus vel vacaturis per nostras litteras providimus seu mandavimus provideri, canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos sic vacantes infra tempus debitum acceptarunt sibique de eisdem provideri fecerunt, aut illos a nobis sub diversis clausulis impetrarunt seu de eis sibi provideri obtinuerunt et fecerunt eadem die vel expost,[2] et propterea a nonnullis vertatur in dubium, an dictus cardinalis vel illi tales, qui acceptarunt et sibi provideri fecerunt ac impetrarunt et provideri fecerunt, in eorum canonicatus et prebende ac parrochialis [ecclesie] assecucione debeant preferri, nos ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium motu proprio . . . . et ex certa sciencia decernimus et declaramus: nostre mentis fuisse et esse de ipsis canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia sic ut premittitur vacantibus nulli alteri quam dicto cardinali ea vice voluisse providere, ac eciam illis, qui taliter eosdem canonicatum et prebendam ac ecclesiam parrochialem acceptarunt et de illis sibi provideri fecerunt seu illos a nobis impetrarunt aut sibi provideri fecerunt, ut prefertur, et cuilibet ipsorum sciencia et motu similibus super eisdem canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia perpetuum silencium imponimus eciam per presentes, ac statuimus et decernimus ipsos canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam solum et duntaxat ad ipsum episcopum et nullum alium seu alios pertinuisse et pertinere, per hoc tamen eis, qui eosdem canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam acceptarunt et de eisdem sibi provideri fecerunt, ut prefertur, quoad assecucionem aliorum canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum nolumus aliquod preiudicium generari. Volumus eciam et . . . . episcopo et capitulo Wratislauiensibus . . . . mandamus, quatenus eundem episcopum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac parrochialis ecclesie iuriumque et pertinenciarum ipsorum inducant et defendant inductum amotis exinde quibuslibet detentoribus ab eisdem, quos nos eciam tenore presencium amovemus et amotos esse decernimus et declaramus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Novembris a. nono.

R. Lat. 57 fol. 105[a] — [a]) Correctum in margine ex ‚Trebnicz' cum nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 1358. [2]) Cf. nros. 1359—1361.

1375. *Judicibus mandatur, quatenus Petro de Nemoticz iuxta concessionem Urbani VI. canonicatum et praebendam ecclesiae s. Petri in Brunna conferant.*

Romae, 1398 Novembris 9.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . preposito ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis ac officiali Olomucensi . . . . Racioni congruit . . . . Dudum siquidem ad audienciam fel. rec. Urbani pape VI. predecessoris

nostri deducto quod, cum olim . . Lucas Aduocati rector plebanus nuncupatus parrochialis et collegiate ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis super dicta ecclesia contra quosdam in palacio apostolico litigando, pro se tres diffinitivas sentencias in eodem palacio reportasset et super execucione sentenciarum huiusmodi ad . . . . Pennensem episcopum et duos alios ipsius episcopi in hac parte collegas apostolicas litteras impetrasset, ... Augustinus Perusinus, tunc Pennensis episcopus solus in huiusmodi execucionis procedens negocio . ., nonnullos processus fecerat in talibus fieri consuetos, monens inter cetera . . . . capitulum et Henricum Cobticz canonicum predicte ecclesie, ut prefatum Lucam infra certum terminum competentem, tunc expressum, in rectorem dicte ecclesie reciperent ipsumque circa hoc non impedirent, alioquin in singulares personas dictorum capituli et ipsum Henricum excommunicacionis sentenciam promulgabat: et licet predicti capitulum mandatis huiusmodi paruissent, tamen prefatus Henricus monicioni huiusmodi infra dictum terminum non paruerat nec eciam post parere curaverat, ipsumque Lucam alias super dicta rectoria et eius occasione multipliciter impediverat huiusmodi excommunicacionis sentenciam incurrendo, ipsamque sentenciam per duos annos et ultra sustinuerat et sustinebat animo indurato, seque divinis immiscuerat officiis et in illis ministraverat et ministrabat: prefatus predecessor attendens, quod veris existentibus supradictis ipse Henricus canonicatu et prebenda, quas in dicta ecclesia tunc temporis obtinebat, reddiderat se indignum, ... archidiacono ecclesie Olomucensis, eius proprio nomine non expresso, per quasdam, ut . . . . super premissis inquireret auctoritate apostolica diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi reperiret premissa fore vera, prefatum Henricum canonicatu et prebenda predictis eadem auctoritate sencialiter privaret eumque amoveret realiter ab eisdem . . ., ac per quasdam alias suas litteras dedit in mandatis, ut, si prefatum Henricum eisdem canonicatu et prebenda per ipsum archidiaconum sencialiter privari et ab illis amoveri contingeret ut prefertur, eosdem canonicatum et prebendam . . . . Petro Blasii de Nemoticz rectori parrochialis ecclesie in Durnholcz dicte diocesis eadem auctoritate conferret et de illis eciam provideret . . . . Deinde vero eidem predecessori pro parte dicti Petri exposito, quod prefatus Henricus postmodum, antequam idem archidiaconus ad execucionem predictarum litterarum processisset, extra Romanam curiam decesserat, ac per eundem predecessorem accepto, quod propterea canonicatus et prebenda predicti per huiusmodi obitum ipsius Henrici vacaverant et vacabant tunc, idem predecessor volens prefato Petro . . . . graciam facere specialem, voluit et concessit, videlicet II. idus Julii pontificatus sui anno undecimo,[1]) canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri valorem annuum . . . . non excedebant . . ., auctoritate prefata [ei] conferri et eciam assignari, non obstantibus . . ., quod idem Petrus parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . viginti sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedebant, noscebatur obtinere . . . . Ne autem pro eo, quod dicti predecessoris superveniente obitu littere apostolice super voluntate et concessione huiusmodi confecte non fuerunt, prefatus Petrus voluntatis et concessionis earundem frustretur effectu, volentes et auctoritate predicta decernentes, quod voluntas et concessio prefate perinde a dicta die, videlicet II. idus Julii, suum consequantur effectum, ac si

super eis ipsius predecessoris littere sub eiusdem diei data confecte fuissent . . . ., discrecioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, si tunc ut premittitur vacabant et non erat in eis alicui specialiter ius quesitum, ... eidem Petro iuxta voluntatem et concessionem huiusmodi auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .[2]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 139[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO. — [1]) 1388 Jul. 14. [2]) Cf. nros. 371 et 683.

1376. *Praepositus Omnium Sanctorum in Vienna Pataviensis dioc. et Pragensis et Pataviensis ecclesiarum decani conservatores abbatis et conventus monasterii Admontensis ord. s Benedicti Salzburgensis*[a]) *dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. decimo.“*

Romae, 1398 Novembris 13.

R. Lat. 68 fol. 24[a] — [a]) ‚Salczeburgen'. — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1377. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Glivicz quoddam altare in ecclesia Vratislaviensi vacans conferant.*

Romae, 1398 Novembris 15.

Bonifacius . . . . [episcopo] Tudensi et . . . . Pragensis ac Wratislauiensis ecclesiarum prepositis . . . . Grata . . . . . magistri Nicolai de Gliwicz canonici Wratislauiensis, scriptoris et familiaris nostri, devocionis et familiaritatis obsequia . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim altari s. Michaelis sito in ecclesia Wratislauiensi, per canonicos prebendatos eiusdem ecclesie duntaxat regi consueto, quod quondam Petrus de Cuntzendorf . . . . obtinebat, per eiusdem Petri obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, prefatus Nicolaus auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis[a]) . . . . pertinencia expectabat,[1]) prefatum altare ut prefertur vacans et ad collacionem dicti episcopi[b]) pertinens infra tempus legitimum acceptavit et de illo sibi provideri fecit.[2]) Cum autem . . . . prefatus Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi, ... viribus non subsistere . . ., nos volentes eidem Nicolao, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . prefatum altare, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Nicolaus in Pragensi cum archidiaconatu Belinensi, qui curatus et digni-

tas, non tamen maior, in eadem ecclesia existit, ac in dicta Wratislauiensi et in s. Marie Glogouiensi ecclesiis canonicatus et prebendas necnon capellam ‚advocatorum' nuncupatam sitam in opido Nisensi Wratislauiensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . centum marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere.[3]) Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Nicolaus dictum altare . . . . fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas ipsum acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta, quoad unum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 65ª — [a]) Sequebatur: ‚et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis communiter vel divisim', sed cancellatum est adiuncta in margine nota: „Cancellatum de mandato, N. de Benevento", [b]) Correctum ex ‚dictorum capituli' cum nota „N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], EADEM QUOAD CORRECTIONEM; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1079. [2]) Cf. nr. 1361. [3]) Cf. nros. 222, 524, 916, 982, 983.

1378. *Ecclesiae s. Petri in Brunna uniuntur parrochialis ecclesia s. Jacobi ibidem et plebanatus in eadem ecclesia s. Petri.*

Romae, 1398 Novembris 16.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sincere devocionis affectus, quem . . . . prepositus et capitulum ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis ad nos ac Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum in hiis presertim, per que ipsorum et dicte ecclesie utilitas procuratur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos eorundem prepositi et capituli supplicacionibus inclinati parrochialem ecclesiam s. Jacobi in Brunna, que de iure patronatus . . . . abbatisse et conventus monasterii Vallis s. Marie in Osslauia cisterciensis ord. dicte Olomucensis diocesis [existit], ac perpetuum beneficium curatum ‚plebanatum'[a]) nuncupatum in dicta ecclesia s. Petri, in quo idem prepositus ius obtinet patronatus, cuiusque et dicte parrochialis ecclesie sexaginta quinque, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis mense prepositi et capituli eiusdem ecclesie s. Petri, cuius ducentarum et quinquaginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in relevamen onerum ipsis preposito et capitulo ac ecclesie s. Petri pro tempore incumbencium auctoritate apostolica tenore presencium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus;[1]) ita quod cedentibus vel decedentibus dilectis filiis ipsius parrochialis ecclesie rectore ac perpetuo beneficiato ‚plebano' nuncupato in ecclesia s. Petri predicta vel alias parrochialem ecclesiam ac beneficium huiusmodi quomodolibet dimittentibus, liceat eisdem preposito et capitulo corporalem possessionem parrochialis ecclesie et beneficii ac iurium et pertinenciarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo licite retinere, illaque per canonicos dicte ecclesie s. Petri vel alios ydoneos presbyteros ad nutum eorundem prepositi et capituli ecclesie s. Petri ponendos et amovendos regi facere, omnesque fructus, redditus et proventus parrochialis ecclesie et beneficii predictorum in usus eorum ac sup-

portacionem onerum predictorum convertere et eciam deputare, et rectori, si parrochiali ecclesie, et perpetuo beneficiato ‚plebano' nuncupato prefatis, si perpetuo beneficio predictis pro congrua porcione cuilibet eorum per prefatos prepositum et capitulum assignanda libere cedere voluerint, cessiones easdem licite faciendi ac eisdem preposito et capitulo cessiones huiusmodi recipiendi et admittendi illisque receptis et admissis possessionem huiusmodi parrochialis ecclesie ac beneficii predictorum apprehendendi, ut prefertur, dyocesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licencia vel consensu minime requisitis, auctoritate apostolica predicta concedimus facultatem, ita tamen, quod divinus cultus in eisdem parrochiali ecclesia et beneficio propterea non minuatur, quodque in ipsis in divinis obsequiis laudabiliter deserviatur, et animarum cura inibi diligenter exerceatur et eciam gubernetur, quodque prefati prepositus et capitulum episcopalia iura solvere et alia ipsis parrochiali ecclesie et beneficio incumbencia onera debita et consueta in omnibus teneantur supportare; non obstantibus, si ipsa parrochialis ecclesia per bone memorie Rupertum episcopum Olomucensem predicto monasterio auctoritate ordinaria sit unita, annexa et incorporata, ac unio, annexio et incorporacio huiusmodi subsequenter per fel. rec. Alexandrum tercium et quartum ac quoscunque alios Romanos pontifices, predecessores nostros, apostolice confirmacionis munimine fuerint roborate, necnon revocacionibus unionum huiusmodi in genere vel in specie . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Decembris a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 161[a] — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — Alia copia in R. Lat. 71 fol. 248[a] continetur, sed cancellata est et in margine haec nota adscripta: „Cancellata, quia propter sui nimiam correccionem alibi aliter registrata est. N. de Benevento". Differentiae utriusque copiae rem non tangunt. — [a]) ‚plebaniam' Lat. 71. — [1]) Cf. autem nr. 1339.

1379. *Domui hospitalis cruciferorum cum stella s. Mathiae Vratislaviensi ord. s. Augustini, cuius fructus 200 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, unitur parrochialis ecclesia s. Margarethae virginis ad S. Margarethan Vratislaviensis dioc., per clericos saeculares regi consueta, quae de iure patronatus praeceptoris et fratrum dictae domus existit, cuiusque fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Decembris a. decimo."*

Romae, 1398 Novembris 16.

R. Lat. 66 fol. 229[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1380. *Johanni de Kdulynczone laico et Catherinae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Decembris a. decimo."*

Romae, 1398 Novembris 18.

R. Lat. 68 fol. 191[b] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1381. *Petro Haczka laico Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Decembris a. decimo."*

Romae, 1398 Novembris 18.

R. Lat. 68 fol 194b — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1382. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Michaelem de Budweis ad parrochialem ecclesiam b. Mariae in Legnicz Jacobo Leonardi dimittendam moneat.*

Romae, 1398 Novembris 26.

Bonifacius. . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Nuper siquidem pro parte . . . . Jacobi Leonardi canonici Esculani nobis exposito, quod orta dudum inter . . . . Mathiam Hildebrandi et Michaelem de Budwicz clericos Wratislauiensis et Pragensis diocesium super parrochiali ecclesia b. Marie in Legnicz dicte Wratislauiensis diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Alberti Steube . . . . extra Romanam curiam defuncti vacante, uterque ipsorum Mathie et Michaelis sibi provisum, dictamque ecclesiam ad se spectare de iure asseruerant, materia questionis, et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam huiusmodi . . . . magistro Henrico Westerholte capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Mathie . . . . commisimus . . . ., et deinde postquam per eundem auditorem in causa huiusmodi inter partes ipsas ad nonnullos actus processum fuerat, nos prefato auditori ad instanciam quondam Johannis Doringi clerici, sua interesse dictamque ecclesiam eciam tunc ut premittitur vacantem sibi collatam et ad se spectare asserentis, commiseramus, ut eundem Johannem ad prosecucionem litis et cause huiusmodi pro suo interesse admitteret: prefatusque auditor, postquam eundem Johannem ad litis et cause huiusmodi prosecucionem pro suo interesse huiusmodi admiserat, in causa ipsa inter partes easdem procedens, diffinitivam, per quam inter cetera ecclesiam ipsam Johanni adiudicaverat et super ea Mathie et Michaeli prefatis perpetuum silencium imposuerat, sentenciam promulgarat: a qua pro parte dicti Michaelis ad sedem fuerat appellatum eandem: nos causam appellacionis huiusmodi . . . . Bertrando episcopo Eugubino, tunc capellano nostro et causarum dicti palacii auditori, ... commiseramus: quodque deinde, postquam idem episcopus, tunc auditor, in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter Johannem et Michaelem prefatos processerat, idem Johannes, lite huiusmodi sic indecisa pendente, apud sedem prefatam fuerat vita functus: nos eidem episcopo, tunc auditori, per nostras litteras mandavimus, quatenus prefatum Jacobum . . . ., eciam si ipse ydioma, quod . . . . parrochiani dicte ecclesie communiter loquuntur, non intelligeret seu intelligibiliter non loqueretur, in omni iure et ad omne ius, quod prefato Johanni tempore obitus sui in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, necnon ad possessionem ipsius ecclesie, in qua idem Johannes erat, auctoritate nostra surrogaret . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio con-

tinebat, licet idem episcopus, tunc auditor, eundem Jacobum iuxta dictarum litterarum tenorem in iure et ad ius huiusmodi surrogaverit et ad possessionem ipsius ecclesie, in qua dictus Johannes, ut prefertur, existebat, admiserit et admitti mandaverit, tamen prefatus Michael eandem possessionem de facto post obitum dicti Johannis apprehendit illamque continuat, et impedit, quominus ipse Jacobus ad eandem possessionem admittatur . . . . Quare pro parte dicti Jacobi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . fraternitati tue, qui locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes, et cui eciam nuper causam huiusmodi ex certis causis . . . . commisimus . . . ., mandamus, quatenus eundem Michaelem et quemcunque alium in eadem ecclesia forsan intrusum vel intrudendum auctoritate nostra moneas, ut infra competentem et peremptorium terminum eis per te ad hoc prefigendum huiusmodi possessionem predicto Jacobo realiter et expedite dimittant et ab huiusmodi impedimento desistant, alioquin lapso dicto termino ipsos Michaelem ac intrusum et intrudendum huiusmodi prefata ecclesia ac omni iure sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti ac omnibus aliis beneficiis ecclesiasticis, que obtinent, eadem auctoritate prives, ipsosque ad eandem et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda inhabilites, ac eciam legitimis per te occasione premissorum habitis et habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggraves . . . . Ceterum si per summariam informacionem per te super hiis habendam tibi constiterit, quod presencia dictorum Michaelis et aliorum forsan ibidem intrusorum vel intrudendorum, quos huiusmodi processus concernunt, pro monicionibus et citacionibus de eis faciendis commode et secure haberi non possit, nos tibi moniciones et citaciones quaslibet per edicta publica in Romana curia et aliis locis affigenda publicis, partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam ipsorum Michaelis ac aliorum predictorum, quos concernent, pervenire valeant, quociens opus fuerit, faciendi plenam concedimus tenore presencium potestatem . . . .; constitucionibus apostolicis ac eciam appellacionibus per dictum Michaelem intrusum seu intrudendum huiusmodi sive quosvis alios premissorum occasione ad sedem predictam forsitan interpositis vel interponendis necnon privilegiis, indulgenciis et litteris, per eandem sedem sub quacunque forma vel expressione verborum incolis et habitatoribus, ut dicitur, Ungarie et Boemie regnorum concessis, presertim illis, quod incole et habitatores predicti auctoritate litterarum apostolicarum per quemcunque delegatum vel subdelegatum aut commissarium extra predictum regnum per eandem sedem deputatum citari, moneri vel aggravari seu alias conveniri nequeant vel artari, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 106^{b} — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1383. *„Ditwino Dawineloze civi Vratislaviensi*[1]*) indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap S. Petrum secundo kal. Decembris a. decimo."*

Romae, 1398 Novembris 30.

R. Lat. 68 fol. 117a — In fine: N. X DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 830.

1384. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus Raynaldo cardinali necnon Jacobo Steube et Andreae Steynkeler conferat quaedam beneficia, quae invicem permutare desiderant.*

Romae, 1398 Decembris 1.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Apostolice sedis circumspecta . . . . Cum itaque . . . . Raynaldus s. Viti in Macello diaconus cardinalis preposituram Wratislauiensis et archidiaconatum s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis, et magister Jacobus Steube capellanus noster canonicatum et prebendam Wratislauiensis ac preposituram s. Crucis ecclesiarum earundem, necnon Andreas Steynkeler parrochialem ecclesiam s. Marie in Schosnicz predicte diocesis, que de iure patronatus laicorum existit . . . ., desiderent . . . . invicem permutare, nos . . . . discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis . . . ., committimus et mandamus, quatinus ab eisdem cardinali et Jacobo, qui eciam causarum [palacii] apostolici auditor existit, necnon Andrea vel procuratoribus eorum . . . . resignaciones prepositurarum et archidiaconatus ac canonicatus et prebende necnon parrochialis ecclesie predictorum . . . . auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, ipsisque resignacionibus per te receptis et admissis, parrochialem ecclesiam, si eius patroni ad id consenserint, necnon s. Crucis, que in ipsa s. Crucis dignitas principalis, et quarum octuaginta quinque, cardinali, ac Wratislauiensis ecclesiarum preposituras, que eciam in eadem Wratislauiensi dignitas maior post pontificalem, necnon archidiaconatum, qui curatus et dignitas, non tamen principalis, in dicta s. Crucis ecclesiis existunt, et quorum octuaginta, Jacobo, necnon canonicatum et prebendam predictos, quorum viginti quatuor marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., Andree prefatis . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, prefatus Jacobus canonicatum et prebendam ecclesie Wladislauiensis, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos nuper sibi de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum Pragensis et Olomucensis necnon dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura predicte Wratislauiensis ecclesiarum per alias nostras diversas litteras graciose duximus providendum, ac voluimus, quod, quamprimum ipse Jacobus earundem litterarum vigore dignitatem vel personatum seu curatum officium pacifice assequeretur, predictam preposituram s. Crucis omnino dimittere teneretur. Volumus autem, quod, quamprimum idem Jacobus predictos preposi-

turam ecclesie Wratislauiensis et archidiaconatum . . . . fuerit pacifice assecutus, predicte littere . . . . ei quecunque inde secuta, quoad dignitatem vel personatum seu officium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Nos enim cum cardinali, ut prepositurarn s. Crucis et parrochialem ecclesiam recipere et una cum aliis . . . . beneficiis ecclesiasticis . . . ., necnon cum Jacobo prefatis, ut prepositurarn ecclesie Wratislauiensis et archidiaconatum predictos . . . . similiter recipere et, quoad vixerit, insimul retinere, illosque tociens, quociens sibi placuerit, ex causa permutacionis vel alias . . . . dimittere et . . . . alia . . . . beneficia ecclesiastica . . . ., duo tantum incompatibilia, eciam si in metropolitana ecclesia existant, recipere et retinere . . . . valeant . . . ., apostolica auctoritate . . . . dispensamus. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal Decembris pont. n. a. decimo.

R. Vat. 71 fol. 219v — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC L DE TERAMO.

1385. Leoni Johannis providetur de praepositatu in Komárov.

Romae, 1398 Decembris 1.

Bonifacius . . . . Leoni Johannis preposito monasterii s. Benedicti in Komarow alias in Luha ord. eiusdem sancti Olomucensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Dudum siquidem, cum prepositatus s. Benedicti in Komarow ord. eiusdem sancti Olomucensis diocesis, quem bone memorie Henricus abbas monasterii s. Marie in Trebecz ordinis et diocesis predictorum tempore promocionis per nos facte de ipso ad dictum monasterium tunc vacans obtinebat, per huiusmodi promocionem, et quamprimum dictus Henricus abbas possessionem administracionis bonorum eiusdem monasterii foret pacifice adeptus, vacare speraretur, nos de ipso prepositatu, cum illum ut prefertur vel alias quovis modo preterquam per ipsius Henrici abbatis obitum vacare contingeret, bone memorie Bartholomeo tituli s. Potenciane presbytero cardinali, tunc apostolice sedis legato, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . .[1]) Cum itaque postmodum prefatus cardinalis, antequam sibi de huiusmodi prepositatu dictarum litterarum vigore provideretur, extra Romanam curiam fuerit vita functus, dictusque prepositatus per huiusmodi promocionem et ex eo, quod idem Henricus abbas possessionem pacificam administracionis bonorum dicti monasterii fuit adeptus, vacaverit et vacet ad presens,[2]) nullusque de ipso prepositatu preter nos hac vice disponere potuerit sive possit pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes prepositatus ac dignitates . . . . ceteraque beneficia ecclesiastica . . . ., que promovendi per nos ad quorumcunque monasteriorum vacancium regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, extunc inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari, nos . . . . prepositatum predictum, qui ab eodem monasterio dependet et per monachos ipsius monasterii, cuius tu monachus eciam expresse professus existis, gubernari et a quo illum pro tempore obtinens pro solo nutu abbatis dicti monasterii, qui est pro tempore, amoveri et ad claustrum eiusdem monasterii revocari consueverunt, cuiusque fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti

. . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus . . . . Nos enim tibi, ut a prepositatu predicto, cum illum presencium vigore assequaris, ... a quoquam auctoritate ordinaria nequeas amoveri, auctoritate apostolica . . . . indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Decembris a. decimo.

Simili modo . . . . Tudensi et . . . . abbati monasterii Lucensis Olomucensis diocesis ac officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 66 fol. 272b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI. XVIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 547. [2]) Cf. nr. 1263

1386. *Johanni episcopo olim Misnensi, qui ecclesiae Misnensis regimini sponte cessit, castrum Baruth*[a]) *Misnensis dioc. ad mensam episcopalem Misnensem pertinens, quoad vixerit, tenendum et usufructuandum conceditur. „Personam tuam“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Decembris a. decimo.“ — Simili modo scribitur decano Budissinensis Misnensis dioc. ac Henrico Metkow canonico Misnensis ecclesiarum ac officiali Misnensi, quatenus praefatum Johannem olim episcopum in possessionem dicti castri inducant.*

Romae, 1398 Decembris 2.

R. Lat. 71 fol. 260a — a) ‚Barut‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO.

1387. *Archiepiscopo Barensi mandatur, quatenus resignationem parrochialis ecclesiae in Raab a Venceslao Thiem recipiat eamque Nicolao de Rohrbach conferat.*

Romae, 1398 Decembris 2.

Bonifacius . . . . Jacobo archiepiscopo Barensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Hainrici de Rorbach rector capelle site in castro Trawn Patauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Wenczeslaus Thiem rector parrochialis ecclesie in Raab dicte diocesis eandem ecclesiam, super qua nuper, ut asserit, in palacio apostolico contra dictum Nicolaum litigando, duas pro se et contra eundem Nicolaum . . . ., quarum ultima nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, diffinitivas sentencias reportavit, ipsius ecclesie possessione per eum non habita, ... resignare proponat, nos . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatinus ab eodem Venczeslao vel procuratore suo . . . . huiusmodi resignacionem . . . . auctoritate nostra recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao auctoritate predicta conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Decembris a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 200[b]. Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1388. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus cum Henrico de Rosenberg et Elisabeth de Krawar super matrimonio contrahendo dispenset.*

Romae, 1398 Decembris 4.

Bonifacius .... archiepiscopo Pragensi .... Oblate nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Vlrici baronis baronie de Rosenberg, domicelli, et dilecte in Chr. filie nobilis mulieris Elizabeth, dilecti filii nobilis viri Petri baronis baronie de Crawar alias de Plumnaw domicelli nate, domicelle Pragensis et Olomucensis diocesium, peticionis series continebat, quod ipsi ad conservandum amiciciam et amorem inter eorum consanguineos et amicos desiderant invicem matrimonialiter copulari, sed quia tercio et quarto consanguinitatis gradibus invicem sunt coniuncti, huiusmodi eorum desiderium adimplere nequeunt, dispensacione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte dictorum Henrici et Elizabeth nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis de oportune dispensacionis gracia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ex premissis et certis aliis causis nobis expositis huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita, dictaque Elizabeth propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Henrico et Elizabeth, ut impedimento, quod ex premissis provenit, non obstante matrimonium inter se contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere et licite valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando. Datum Rome ap. S. Petrum II. nonas Decembris pont. n. a decimo.

Orig. cum bulla in filo canapis in archivio Trebonicnsi (Famil. Rosenberg Unterabth. 4. Nr. 2.) exstat. Cui hae notae inscriptae sunt: (in plica) PRO N. DE BENEVENTO, JE. DE FERENTINO: (sub plica) DECEMBRIS, XX, N. DE PIPERNO, A. DE PORTUGRUARIO; (a tergo) R[EGISTRATA], N. [DE BENEVENTO]. — Registratum in R. Lat. 71 fol. 108[a], ubi supra in marg. sin. adscriptumest: A. DE PORTUGRUARIO; in fine autem: N. XX DE BENEVENTO.

1389. *Ottoni abbati monasterii in Alto Vado cisterciensis ord. Pragensis dioc. indulgetur, ut cum uno monacho sui monasterii, quem duxerit eligendum, diebus, quibus esus carnium alias non est interdictus, carnibus vesci possit. „Exigit magne" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. decimo."*

Romae, 1398 Decembris 4.

R. Lat. 66 fol. 122[b]. Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]. A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVI DE BENEVENTO. — Ed. ex originali Pangerle, Urkundenb. v. Hohenfurt (Font. rer. Aust. II. 23) nr. 187.

1390. *Ecclesiam s. Viti in Krummau*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (prout in nro. 366 sunt nominati, ac in festivitate s. Viti) visitantibus quinque annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae concedantur.* „*Splendor paterne*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. decimo.*“

Romae, 1398 Decembris 4.

R. Lat. 71 fol. 113b — [a]) Crumpnaw. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXV DE BENEVENTO.

1391. *Ecclesiam s. Mariae in Klokot Pragensis dioc. certis diebus anni (prout in nro. 366 sunt nominati) visitantibus quinque annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae concedantur.* „*Dum precelsa*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. decimo.*“

Romae, 1398 Decembris 4.

R. Lat. 71 fol. 258a. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1392. *Maršoni*[a]) *forestario de Sobèslav*[b]) *armigero et Milczae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo eis concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Decembris a. decimo.*“

Romae, 1398 Decembris 5.

R. Lat. 68 fol. 216a. — [a]) Marssoni. — [b]) Sabieslaw. — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1393. *Johanni episcopo Olomucensi mandatur, quatenus litteras apostolicas quondam Nicolao episcopo Olomucensi directas, per quas eidem Nicolao causa super parrochiali ecclesiâ in Račicz mota commissa est, exsequatur.*

Romae, 1398 Decembris 8.

Bonifacius . . . . Johanni episcopo Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Philippus Stephani de Wissoczan presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum papam VI. predecessorem nostrum accepto, quod parrochialis ecclesia s. Wenceslai in Raczicz dicte diocesis . . . . vacaverat et vacabat tunc, idem predecessor quondam Petro Gasconis capellano sedis apostolice et auditori causarum palacii apostolici suis dederat litteris in mandatis, ut dictam ecclesiam . . . ., sive ut prefertur sive per . . . . Drslai parrochialis in Slatina dicte diocesis sive per quondam Petri dicti Cziessik tunc predicte in Raczicz ecclesiarum rectorum

liberam resignacionem vel alias quovis modo vacaret, eidem Philippo auctoritate apostolica conferret et eciam assignaret Et deinde . . . nos . . . . Johanni episcopo Nazarotensi tunc in eadem diocesi commoranti et . . . . abbati monasterii de Luca dicte diocesis ac officiali Olomucensi . . . . nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi . . . . ad execucionem dictarum litterarum . . . . auctoritate apostolica procederent . . . . Et deinde per eundem Philippum iterum nobis significato, quod ipse eundem Drslaum, qui tunc in dicta ecclesia s. Wenceslai symoniace et de facto se intruserat . . . ., super hoc . . . . coram eodem officiali dictarum litterarum vigore fecerat ad iudicium evocari . . . ., quodque prefatus Drslaus alias per bone memorie Nicolaum episcopum Olomucensem, predecessorem tuum, auctoritate ordinaria propter notoriam offensam maioris excommunicacionis sentencia innodatus et excommunicatus publice denunciatus, eandem sentenciam per triennium et ultra sustinuerat, prout tunc eciam sustinebat animo indurato . . . ., nos eidem Nicolao episcopo per alias nostras litteras mandavimus, quod, si dictus Philippus prefatum Drslaum de symoniaco ingressu et aliis premissis accusare et se in forma iuris inscribere vellet . . . ., vocatis dicto Drslao et aliis, qui forent evocandi, quod iustum foret appellacione remota decerneret, et si per dictam sentenciam dictum Drslaum . . . . declararet in eadem ecclesia nullum ius habuisse sive eum dicta ecclesia suis demeritis exigentibus privaret, eandem ecclesiam s. Wenceslai . . . . eidem Philippo auctoritate nostra conferre et assignare curaret,[1]) et quod . . . ., cum idem episcopus . . . . pretextu litterarum et commissionis huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processisset, prefatus Drslaus . . . . ad sedem predictam appellaverat . . . . ,que tamen appellacio credebatur esse deserta pro eo, quod ipse Drslaus dictam appellacionem infra tempus legitimum prosequi non curaverat neque curabat, et quod postmodum, cum dictus Drslaus a dicta ecclesia s. Venceslai se absentasset . . . ., nec constaret in partibus illis, ubi declinasset aut si ageret in humanis, ipse Philippus pretextu quarundam litterarum nostrarum . . . . dictam ecclesiam s. Wenceslai . . . . acceptaverat et de illa sibi provideri fecerat licet de facto . . . . illamque aliquamdiu detinuerat occupatam, quodque, cum ipse Drslaus postea ad illas partes reversus existeret, prefatus Nicolaus episcopus, ad quem predictus Drslaus super hiis recursum habuerat, eundem Philippum per suas litteras monuerat, ut eidem Drslao eandem ecclesiam s. Wenceslai et eius possessionem . . . . dimitteret, alioquin in ipsum extunc excommunicacionis sentenciam promulgabat . . . ., propter quod idem Philippus senciens indebite se gravari, ad curiam Pragensem loci metropoliticam appellaverat, ... sed dictus Nicolaus episcopus huiusmodi appellacione . . . . contempta, ipsum Philippum declaraverat dictam excommunicacionis sentenciam ultimam damnabiliter incurrisse, quam eciam postea de facto idem episcopus aggravaverat, quodque ipse Philippus postea . . . . dictam ecclesiam s. Wenceslai libere dimiserat, et prefatus Drslaus ad illam postea regressum habuerat . . . ., nos . . . . abbati monasterii in Trziebon Pragensis diocesis . . . aliis nostris litteris dedimus in mandatis, ut . . . . eidem Philippo . . . . absolucionis beneficium . . . . auctoritate apostolica impenderet, et nichilominus dictam inscripcionis et accusacionis causam in statu predicto eadem auctoritate apostolica resumeret eamque ulterius audiret et debito fine decideret . . . . Postmodum vero . . . . prefatus abbas monasterii in Trziebon, post-

quam eundem Philippum ab huiusmodi excommunicacionis sentencia . . . . absol verat et in huiusmodi accusacionis et inscripcionis causa ad nonnullos actus pro cesserat, ... decano ecclesie Pragensis . . . . commisit vices suas . . . ., idemque decanus . . . . ad nonnullos alios actus citra tamen conclusionem processerat, et successive decanus ad eiusdem abbatis monasterii in Trziebon ac demum abbas monasterii in Trziebon prefati . . . . causam accusacionis et inscri pcionis huiusmodi ad apostolicum examen duxerunt remittendam. Et subsequenter . . . . nos prefato Nicolao episcopo per alias nostras litteras mandavimus, ut . . . . huiusmodi accusacionis et inscripcionis causam in eo statu, in quo coram dicto abbate monasterii in Trziebon ultimo remanserat, auctoritate nostra resumens, eam ulterius audiret et fine debito decideret, ac in omnibus et per omnia predictas litteras eidem episcopo prius et alias abbati monasterii in Trziebon prefato per nos ut premittitur directas debite execucioni demandaret, prout in eisdem litteris ultimo ipsi Nicolao episcopo directis plenius continetur.[2]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Philippi peticio continebat, prefatus Nicolaus episcopus, postquam vigore dictarum litterarum per nos ultimo sibi directarum ad nonnullos per se et de facto per . . . . Johannem de Gulen canonicum Olomucensem, tunc officialem suum, ad nonnullos alios actus processerant, fuerit vita functus, pro parte ipsius Philippi fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatinus vocatis dicto Drslao et aliis, qui fuerint evocandi, huiusmodi accusacionis et inscripcionis causam in eo statu, in quo ipsam invenies et tempore obitus dicti Nicolai episcopi remanserat, auctoritate nostra resumas, eamque ulterius audias et debito fine decidas, ac in omnibus et per omnia prefatas litteras eidem Nicolao episcopo per nos, ut prefertur, directas debite execucioni demandes . . . .; non obstantibus omnibus, que in eisdem litteris voluimus non obstare. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Philippus sive predictarum ipsi Nicolao per nos ut premittitur directarum sive presencium litterarum vigore dictam ecclesiam s. Wenceslai fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eam acceptavit . . . ., et omnia inde secuta sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Decembris a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 115[a]. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 598. [2]) Vide nr. 1010.

1394. *Die 10. Decembris a. 1398 Marquardus*[a]) *[de Randeck] electus in episcopum Constantiensem in Alamannia per Albertum Blarer praepositum Constantiensem, Venceslaum Thiem*[b]) *canonicum Ratisbonensem et Vasaldum rectorem parrochialis ecclesiae in Guttendorf*[c]) *Aquilegensis dioc. promisit camerae apostolicae et sacro collegio pro suo communi servitio 2500 florenos de camera et quinque servitia consueta.*

Romae, 1398 Decembris 10.

Oblig. et sol. 52 fol. 107[a]. — [a]) Makardus' [b]) ‚Tyen' [c]) ‚Gutddorf'.

1395. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus Francisco s. Susannae cardinali et Leonardo de Frankenstein beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare proponunt, conferat.*

Romae, 1398 Decembris 12.

Bonifacius .... magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro .... Apostolice sedis circumspecta .... Cum itaque .... Franciscus tituli s. Susanne presbyter cardinalis Wratislauiensis[1]) et .... Leonardus de Frankestayn s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quas obtinent, desiderent .... invicem permutare, nos .... discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis ...., committimus et mandamus, quatinus ab eisdem cardinali et Leonardo vel procuratoribus eorum .... resignaciones canonicatuum et prebendarum predictorum .... auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, ac eis per te receptis et admissis, s. Marie, quorum quindecim, cardinali ac Wratislauiensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas predictos, quorum eciam quindecim marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt ...., Leonardo prefatis auctoritate apostolica conferas et assignes, inducens .... cardinalem, qui archidiaconatum in dicta ecclesia s. Marie obtinet, in s. Marie et Leonardum prefatos vel procuratores suos .... in Wratislauiensi ecclesiis predictis canonicatuum et prebendarum .... corporalem possessionem ....; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius b. Marie, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod archidiaconatum vel dignitatem in dicta ecclesia obtinens canonicatum et prebendam in eadem ecclesia b. Marie obtinere minime possit, ac dicte Wratislauiensis ecclesiarum contrariis. ...., seu quod Leonardus prefatus in ecclesia s. Nicolai Othmuchowiensi dicte diocesis canonicatum et prebendam, quorum fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Decembris a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 202[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI RESIDUUM PRO MEDIETATE PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 779 et 1216.

1396. *Johannes abbas monasterii Portae Apostolorum quitatur de solutione complementi suorum servitiorum camerae apostolicae.*

Romae, 1398 Decembris 12.

Universis .... Conradus [... archiepiscopus Nicosiensis, dom. papae camerarius] .... Universitati [.... notum facimus], quod venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Porte Apostolorum ord s. Benedicti Pragensis diocesis pro complemento finalis solucionis sui communis servicii .... decem florenos auri de camera, solidos quadraginta unum et denarios octo monete Romane ...., et pro complemento finalis solucionis quatuor minutorum serviciorum

. . . . quatuor similes florenos, solidos sexdecim et denarios octo dicte monete . . . . per manus honorabilis viri dom. Johannis Tremosnicz litterarum apostolicarum scriptoris die date presencium [. . . . solvi fecit] . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. MCCC nonagesimo octavo, indiccione VI, die duodecimo mensis Decembris pont. . . . . anno decimo.

Oblig. et sol. 55 fol 42b. — In fine: VISUM MATZEUS: III FL. III GR

1397. *Judicibus mandatur, quatenus omnes in beneficiis, de quibus Bartholomaeo de Barbatis provisum est, intrusos ad eadem beneficia dicto Bartholomaeo dimittenda moneant.*

Romae, 1398 Decembris 13.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Barensi et . . . . custodi ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Nuper . . . . Bartholomeo de Barbatis archidiacono Beneuentano, cubiculario nostro, de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochiali ecclesia de Domisło Wratislauiensis diocesis, tunc per obitum quondam Nicolai Werneri . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantibus, per nostras litteras graciose duximus providendum, vobis sibi super hoc executoribus deputatis . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Bartholomei peticio continebat, ipse dubitet, ne aliqui in eisdem canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia iam se intruserint vel imposterum intrudant, aut alias eundem Bartholomeum de facto impediant, quominus adipisci possit possessionem canonicatus et prebende ac parrochialis ecclesie predictorum, quodque ipsi, quos processus per vos super hiis habiti vel habendi concernunt sive concernere poterunt, processibus ipsis efficaciter parere non velint, pro parte dicti Bartholomei fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . quibuscunque in eisdem canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia intrusis seu illos quomodolibet detinentibus seu impedientibus eundem Bartholomeum, quominus dictos canonicatum et prebendam necnon parrochialem ecclesiam assequi possit, certum peremptorium terminum competentem, de quo vobis videbitur, auctoritate nostra prefigatis, infra quem canonicatus et prebende ac parrochialis ecclesie predictorum possessionem eidem Bartholomeo vel eius procuratori ad hoc per eum legitime constituto libere dimittant et ab eisdem impedimentis omnino desistant, alioquin lapso huiusmodi termino quoscunque tunc forsan in canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia prefatis intrusos aut ipsum Bartholomeum, quominus dictos canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam assequi possit, impedire de facto presumentes, ut prefertur, omnibus beneficiis ecclesiasticis, que tunc obtinebunt, auctoritate predicta privetis eosque inhabilitetis ad ea et quecunque alia beneficia ecclesiastica per eos imposterum obtinenda; et nichilominus legitimis super hiis per vos habitis servatis processibus eos, quociens expedierit, auctoritate pretata agravetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 75a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO.

1398. *Nobili viro Hlavaconi de Trebotovicz*[a]) *Pragensis dioc. indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile.* „*Sincere*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Januarii a. decimo.*“

Romae, 1398 Decembris 17.

R. Lat. 68 fol. 151b — a) ‚Hlawaczoni de Trziebothowicz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. X DE BENEVENTO.

1399. *Magistro Jacobo Steube capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus Henricum de Onsleve perpetuum vicarium ad altare Corporis Christi situm in parrochiali ecclesia de Hammenstedt*[a]) *Halberstadensis dioc. ad omne ius surroget, quod quondam Theoderico Olificis tempore eius obitus in parrochiali ecclesia s. Magni Brunswicensi eiusdem dioc. competebat; non obstante inter cetera, quod ei dudum de custodia ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc., „super qua causam in palacio apostolico contra quendam adversarium suum committi et citacionem ad partes decerni obtinuit, de cuius execucione dubitatur“, auctoritate apostolica provisum est.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Januarii a. decimo.*“

Romae, 1398 Decembris 18.

R. Lat. 78 fol. 64b — a) ‚Hamestede‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; In fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1400. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus resignatione canonicatus et praebendae ecclesiae Poznaniensis a Johanne de Namslaw recepta, eosdem canonicatum et praebendam Miroslao de Kobylin conferat.*

Romae, 1398 Decembris 20.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Miroslaus Miroslai de Cobilino clericus Gneznensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Miroslai peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, quos quondam Jaroslaus Derslai . . . . obtinebat, per ipsius Jaroslai obitum, qui in Romana curia diem clausit extremum, vacantibus, nos de predictis canonicatu et prebenda sic vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis . . . . Johanni de Namslaw clerico Gneznensis diocesis, qui tunc litteras apostolicas de mandato

nostro loco veri scriptoris scripsit, per nostras litteras graciose duximus providendum.[1]) Cum autem . . . . prefatus Johannes, qui predictarum litterarum eciam abbreviator existit, predictos canonicatum et prebendam, ipsorum possessione per eum non habita, libere et sponte resignare proponat, nos . . . . discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis, ... committimus et mandamus, quatinus a prefato Johanne vel procuratore suo . . . . resignacionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra . . . . recipias et admittas, et ipsa resignacione per te recepta et admissa, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Miroslao auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Januarii a. decimo.

R. Lat. 76 fol. 29ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: X XXVI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 340.

1401. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Trebnicz parrochialem ecclesiam in Thomaskirche conferant.*

Romae, 1398 Decembris 29.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Barthenik de Trebnicz rector altaris s. Trinitatis siti in ecclesia monasterii de Trebnicz Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Domaskirche dicte diocesis, quam quondam Gregorius de Gorka . . . . obtinebat, per ipsius Gregorii obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, predictus Nicolaus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii de dicto loco de Trebnicz cisterciensis ord. . . . spectante, vacante vel vacaturo, provideri mandaveramus . . . .,[1]) dictam ecclesiam in Domaskirche sic vacantem et ad collacionem dictarum abbatisse et conventus communiter spectantem infra tempus legitimum acceptavit sibique provideri fecit de eadem, ac ipse Nicolaus dictam ecclesiam in Domaskirche vigore acceptacionis et provisionis huiusmodi existit assecutus. Cum autem . . . . dictus Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam ecclesiam in Domaskirche, cuius fructus . . . . viginti[a]) marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao . . . . conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Nicolaus, ut asserit, dictum altare, cuius sex, obtinet et super perpetua vicaria sita in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, que sine cura sunt, et cuius quinque marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Nicolaus . . . . dictam ecclesiam in Domaskirche fuerit pacifice assecutus,

predicte littere, per quas eam . . . . acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S Petrum quarto kal. Januarii a. decimo.

R. Lat. 65 fol. 85v. [a] Correctum in marg. ex ‚sexdecim' cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]: in fine: N. XXII DE BENEVENTO. [1] Cf nr. 1356.

1402. *Jacobo Leonardi conceditur motu proprio, ut in assecutione beneficiorum ei reservatorum omnibus praeter cardinales et veros familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1399 Januarii 4.

Bonifacius . . . . Jacobo Leonardi canonico Esculano, familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Nuper siquidem, videlicet kal. Januarii pont. n. anno decimo,[1]) tibi de uno vel duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si . . . . aliquod curatum aut dignitas vel personatus seu officium in cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa curata vel maior post pontificalem in cathedrali vel principalis in collegiata ecclesiis huiusmodi foret seu forent, et ad illam, illum, illud consuevisset quis per eleccionem assumi, ... quorum fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque . . . . collacionem . . . . pertinentibus, eciam si ipsorum aliquod canonicatus et prebenda ipsius ecclesie foret, in civitate vel diocesi Wratislauiensibus . . . . vacantibus seu vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, teque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel quavis alia antelacionis prerogativa huiusmodi beneficia expectantibus, ac eciam illis, quibus forsan concessimus aut per nos concedi continget, quod gracie cum clausula anteferri per nos concesse vel concedende quibusvis personis eis preiudicare non debent, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris continuis commensalibus actu nobis domestice servientibus . . . . voluimus anteferri . . . . Cum autem nos nonnullis personis eciam in data te precedentibus seu tecum concurrentibus diversas gracias ad huiusmodi beneficia in partibus illis eciam cum simili antelacionis prerogativa fecerimus, et propterea dubitetur te non posse infra alicuius brevis temporis spacium ex gracia tua huiusmodi aliquem fructiferum reportare effectum, nos volentes te . . . . motu proprio . . . . favoribus prosequi graciosis, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod tu omnibus, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, condicionis existant, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa in genere vel in specie sub quibuscunque condicione, facultate, modo, forma, indulto vel expressione verborum cum quibuscunque clausulis derogatoriis huiusmodi beneficia expectantibus, et sub cuiuscunque prioris diei data te precedentibus aut tecum concurrentibus, eciam si ipsis per nos concessum fuerit, vel imposterum concedi contingat, quod gracie quecunque aliis personis cum huiusmodi antelacionis prerogativa concesse vel concedende ipsis preiudicare non possint, in assecucione . . . . beneficiorum huiusmodi . . . . debeas anteferri, et quod nullus ordinarius vel alius quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque

facultatis sibi hactenus a sede apostolica concesse vel inantea concedende de beneficiis sub gracia tua cadentibus infra tempus ad acceptandum tibi in dictis litteris deputatum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui providere, quodque eciam nullus . . . . vigore cuiuscunque gracie, sibi eciam sub cuiuscunque te precedentis seu eciam tecum concurrentis diei data eciam cum quacunque antelacionis prerogativa . . . . hactenus concesse vel imposterum concedende . . . ., nisi in eisdem facultate et gracia . . . . de presencium toto tenore de verbo ad verbum ac de tuis nomine et cognomine propriis specialis mencio habeatur ac alias expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis expressione ex certa sciencia velle derogare, predictis cardinalibus et . . . . veris familiaribus nostris domesticis et continuis commensalibus dumtaxat exceptis, tibi in assecucione . . . . beneficiorum huiusmodi . . . . possit seu debeat anteferri . . . . Et insuper si contingat reperiri aliquas litteras per nos hactenus concessas seu inantea concedendas presentibus in aliquo derogantes, illis ex simili sciencia tenore presencium derogamus, presentibus nichilominus in suo robore duraturis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Januarii a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 38[b] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) 1399 Jan. 1.

1403. *Cum Stephano de Zeleznicz dispensatur, ut usque ad triennium se ad superiores ordines facere promoveri minime teneatur.*

Romae, 1399 Januarii 10.

Bonifacius . . . . Stephano de Zeleznicz rectori parrochialis ecclesie in Hermanni Ciuitate Luthomuslensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati tecum, qui, ut asseris, vicenotarius tabularum regni Boemie et in minoribus dumtaxat ordinibus constitutus existis, ut racione parrochialis ecclesie in Hermanni Ciuitate Luthomuslensis diocesis, que de iure patronatus laicorum est, quamque obtines, aut alterius beneficii ecclesiastici curati, si quod ex causa permutacionis pro dicta ecclesia interim forsan assequi te contingat, usque ad triennium a data presencium computandum ad subdiaconatus vel alios superiores sacros eciam presbyteratus ordines te facere promoveri minime tenearis nec ad id invitus a quoquam valeas coartari . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Januarii a. decimo.

R. Lat. 71 fol. 287[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1404. *Parrochialem ecclesiam s. Mariae virginis in Marśovicz*[a]) *Pragensis dioc certis diebus anni (prout in nr. 366 nominantur) visitantibus quinque annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Dum precelsa“ „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. decimo.“*

Romae, 1399 Januarii 13.

R. Lat. 71 fol. 65[r] — [a]) ‚Marssowicz' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1405. *Cum Nicolao de Hasenburg*[a]) *clerico Pragensis dioc., qui decimum octavum aetatis suae annum complevit et de baronum genere procreatus existit, dispensatur, ut aetatis defectu non obstante dignitatem vel personatum seu officium aut beneficium curatum, etiam si dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesiis principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, recipere et retinere valeat. „Nobilitas generis" „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Februarii a. decimo."*

Romae, 1399 Januarii 15.

R. Lat. 71 fol. 61[b] — [a]) ‚Hazmburg' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1406. *Johannes Jacobi de Glatovia ord. fratrum praedicatorum professor Pragensis dioc. in apostolicae sedis capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Februarii a. decimo."*

Romae, 1399 Januarii 15.

R. Vat. 316 fol. 61[r] cum his notis in fine: (sin.) XX, N. DE PIPERNO; (med.) JO. DE BONONIA; (dext.) PRO P. DE ESCULO A. DE RIGHA. Iterum registratum in R. Lat. 68 fol. 53[r], ubi supra in marg. sin. adscriptum est: JO. DE BONONIA; in fine autem: N. XX DE BENEVENTO.

1407. *Cum Adalberto de Mělník*[a]) *ordinem fratrum heremitarum s. Augustini expresse professo dispensatur, ut beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etiam per clericos sacculares gubernari consuetum, recipere et retinere valeat. „Religionis zelus" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Februarii a. decimo."*

Romae, 1399 Januarii 17.

R. Lat. 66 fol. 281[a] — [a] ‚Melnico' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1408. *Nobili viro Zbynkoni de Hasenburg*[a]) *praeposito ecclesiae Mělnicensis*[b]) *Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Februarii a. decimo."*

Romae, 1399 Januarii 17.

R. Lat. 68 fol. 199[b] — [a]) ‚Sbinconi de Hazmburg' [b]) ‚Melnicen' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1409. *Venceslaus Simonis*[a]) *monachus monasterii s. Laurentii de Opatovic*[b]*, ord. s. Benedicti Pragensis dioc. in apostolicae sedis capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Februarii a. decimo.“*

Romae, 1399 Januarii 21.

R. Vat. 316 fol. 77[b] cum his notis in fine: (sin.) A DE PORTUGRUARIO. (dext.) PRO D. DE NAPOLI GERLACUS. Iterum in R. Lat. 68 fol. 52[a], ubi supra in marg. sin. adscriptum est: A. DE PORTUGRUARIO, in fine autem: N. XX DE BENEVENTO. — [a]) ‚Symonis‘ Lat. ‚Dymonis‘ Vat. [b]) ‚Opataviz‘ Lat.

1410. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Nicolao de Volavia canonicatum et praebendam in ecclesia Cracoviensi vacantes conferant.*

Romae, 1399 Januarii 23.

Bonifacius . . . . Tudensi et . . Olomucensi episcopis et . . officiali Wratislauiensi . . . . Grata devocionis et familiaritatis obsequia, que . . . . Nicolaus de Wolauia canonicus Wratislauiensis, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Cracouiensis, quos quondam Nicolaus Michaelis . . . . obtinebat, per eiusdem Nicolai Michaelis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quadraginta quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao de Wolauia, eciam si illos ut premittitur vacantes aliarum litterarum nostrarum auctoritate acceptaverit et sibi de hiis fecerit provideri, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . prefate sedis vel legatorum eius litteras impetraverint . . . ., quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan hodie, cuiuscunque status, gradus vel condicionis existant, de dictis canonicatu et prebenda ut prefertur vacantibus in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra est provisum aut mandatum seu concessum provideri, prefatum Nicolaum de Wolauia . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii pont. n. a. decimo.

R. Lat. 64 fol. 141[a]. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA] in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1411. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Münsterberg parrochialem ecclesiam in Wiesenthal, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Januarii 24.

Bonifacius .... officiali Wratislauiensi .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Nicolai Jesconis de Monstarberg presbyteri Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia b. Marie in Vesintal dicte diocesis, quam quondam Johannes Deheynhardi .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Martinus abbas et conventus monasterii in Heynrichow ord. cisterciensis eiusdem diocesis, cum ad abbatem pro tempore existentem et conventum eiusdem presentacio rectoris ad prefatam ecclesiam de antiqua .... consuetudine pertineat, eundem Nicolaum in rectorem dicte ecclesie instituendum .. . Wenczeslao episcopo Wratislauiensi presentarunt, idemque episcopus prefatum Nicolaum in rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria instituit, ipseque Nicolaus dictam ecclesiam vigore presentacionis et institucionis huiusmodi extitit assecutus. Cum autem .... dictus Nicolaus dubitet presentacionem et institucionem predictas .... viribus non subsistere ...., discrecioni tue ... mandamus, quatenus, si .... eundem Nicolaum .... ydoneum ad dictam ecclesiam obtinendum esse reppereris ... , ecclesiam predictam, cuius fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... dicto Nicolao .... auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Februarii a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 15[a] — Supra in marg. sin: F. DE MONTEPOLICIANO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1412. *Officiali Pataviensi mandatur, quatenus Hynkonem Frankonis de Moravánky[a]), pro clerico Pragensis dioc. se gerentem, qui in archidiaconatu Wiwariensi[b]) in ecclesia Agriensi se intrusit illumque occupavit et indebite detinet occupatum, ad dictum archidiaconatum Nicolao Hartmanni dimittendum moneat. „Dudum dilecto“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Februarii a. decimo.“*

Romae, 1399 Februarii 3.

R Lat. 71 fol. 29[a] — [a]) ‚Morawanczky‘ [b]) ‚Wywarren‘. —Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1413. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in fratrem Johannem Jacobi de Glatovia ordinis fratrum praedicatorum professorem ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit. „Rome ap. S. Petrum die septima mensis Februarii a. decimo.“*

Romae, 1399 Februarii 7.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 82[a] — Cf. nros. 297 et 1406.

1414. *Officiali Misnensi mandatur, quatenus Henrico Rudolphi [de Mügeln] parrochialem ecclesiam in Düben[a]) Misnensis dioc., ad quam a Johanne episcopo Misnensi ad Vilhelmi marchionis Misnensis praesentationem auctoritate ordi-*

naria est institutus, auctoritate apostolica conferat, non obstante, quod praefatus Henricus in ecclesia Misnensi unam et in s. Petri Budissinensi aliam perpetuas vicarias necnon quoddam altare situm in parrochiali ecclesia in Kawertitz[b]) *dictae dioc., quae sine cura sunt, et quorum omnium fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Februarii 18.

R. Lat. 69 fol. 4[a] — [a] ‚Dybin' [b]) ‚Kauwertitz' — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1415. *Arnoldo Chwmbach laico et eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Februarii 25.

R. Lat. 68 fol. 117 [b] — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1416. *Concordiensi et Tudensi ac Monopolitano episcopis mandatur, quatenus Petro Waltheri de Lubavia praeposito ecclesiae s. Andreae Frisingensis, subdiacono, magistro in medicinis et in artibus, ecclesiam parrochialem in Königsdorf*[a]) *Frisingensis dioc. conferant, non obstante inter cetera, quod ei dudum de canonicatu sub exspectatione praebendae Vratislaviensis ecclesiae per litteras apostolicas provideri concessum est.*[1]) *„Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Februarii 26.

R. Lat. 70 fol. 77[a], ubi in marg. sin. praeter notam consuetam: C[ANCELLARIA] haec verba leguntur: „Cancelletur alia, cum reperietur, quia per istam corrigitur. N. de Benevento", in fine autem nota registratoris deest; alia copia ibidem fol. 153[a] invenitur, quae ab ista paulum difert, sed datam aliam habet, videlicet ‚quarto kal. Marcii a. undecimo'; illic in fine adscriptum est: „N. XXII de Benevento". — [a]) ‚Kunigsdorf' — [1]) Cf. nr. 243.

1417. *‚Conrado tertio*[a]) *duci Slesiae indulget, ut diebus, quibus eucharistiae sacramentum sibi ministrari contigerit, calicem suis propriis et nudis manibus tenere libere et licite possit etc. Datum Romae [calendis Martii a X.]'*

Romae, 1399 Martii 1.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 44" in codice Vatic. 6952 fol. 237[b] est — [a]) In margine Raynaldus adscripsit: „puto secundo".

1418. *Conrado tertio ducis Silesiae nato*[a]) *et Gutae eius uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“*

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 68 fol. 118[c] — a) ‚duci Slesie nato‘ cod. — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1419. *Eisdem indulgetur, ut confessorem sibi eligere possint. „Benigno“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“*

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 68 fol. 137[a] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1420. *‚Episcopo Lubucensi etc. super observatione cuiusdam indulti concessi incolis et habitatoribus ditioni temporali Conradi secundi ducis Slesiae subiectis de non trahendo ad iudicium extra dictam ditionem per quoscunque iudices etc., non obstantibus etc. Datum Rome ap. S. Petrum calendis Martii a. X.‘*

Romae, 1399 Martii 1.

Excerptum hoc Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 220“ in codice Vatic. 6952 fol. 241[a] habetur.

1421. *‚Episcopo Wratislauiensi mandat, quatenus ad preces Conradi 2. ducis Slesiae auctoritate apostolica erigat in collegiatam parrochialem ecclesiam s. Johannis oppidi Olssin suae dioc. in eaque duas dignitates, praeposituram videlicet tamquam principalem et custodiam, ac novem vel decem canonicorum et personarum in ipsa in divinis deservientium numerum iuxta dotis exigentiam instituat, quodque praepositus pro tempore existens insigniis pontificalibus uti et benedictionem elargiri valeat post missarum solemnia etc., et alia statuat, prout sibi et dicto duci videbitur etc., cum suis privilegiis etc. Datum Rome ap. S. Petrum calendis Martii a. X.‘*

Romae, 1399 Martii 1.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 43“ in codice Vatic. 6952 fol. 237[b] habetur. — Cf. nr. 833.

1422. *Monasterio Corporis Christi alias Slavorum in Olsna*[a]) *ord. s. Benedicti Vratislaviensis dioc., cuius fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Prietzen*[a]) *et in Döbern*[b]) *dictae dioc.,*

quae de iure patronatus praefati monasterii existunt, et quarum fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservatis tamen congruis portionibus pro perpetuis vicariis in eisdem ecclesiis instituendis. „Sacre religionis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 66 fol. 64ᵃ — ᵃ) Sclauorum in Olssin ᵇ) Preczan ᶜ) Dobrer. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]. JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1423. *Abbati monasterii Corporis Christi alias Slavorum in Olsna*[a]) *ord. s. Benedicti Vratislaviensis dioc. eiusque successoribus indulgetur, ut pontificalibus insigniis uti et benedictionem solemnem elargiri possint. „Exposcit vestre“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“*

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 66 fol. 63ᵃ — ᵃ) Sclauorum in Olssin — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA. C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1424. *Visitantibus ecclesiam s. Joannis in oppido Olssin Wratislauiensis dioc. annuatim in octava festivitatis corporis Christi concedit illam indulgentiam, quam consecuntur visitantes annuatim ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in die ascensionis domini etc., cum facultate concessa rectori dictae ecclesiae deputandi confessores etc. Datum Rome [calendis Martii a. X.]*

Romae, 1399 Martii 1.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 42“ in codice Vatic. 6952 fol. 237ᵇ continetur.

1425. *Ad perpetuam rei memoriam. Indultum celebrandi divina officia in oppido Olssin Wratislauiensis dioc. tempore interdicti. Datum Romae ap. S. Petrum calendis martii a. X.*

Romae, 1399 Martii 1.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 41“ in codice Vatic. 6952 fol. 237ᵇ continetur.

1426. *Abbatissae et conventui monasterii in Strelin indulgetur, ut in dicto monasterio tempore interdicti missam celebrari facere possint.*

Romae, 1399 Martii 1.

Bonifacius . . . . abbatisse et conventui monasterii in Strelyn ord. s. Clare Wratislauiensis diocesis . . . . Devocionis vestre sinceritas . . . . Hinc est, quod nos vestris devotis supplicacionibus inclinati, ut tempore, quo oppidum Strelin Wratislauiensis diocesis ecclesiastico suppositum fuerit interdicto, liceat vobis in ecclesia et capellis vestri monasterii clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, pulsatis campanis et summissa voce missam et alia divina officia in vestra et aliorum personarum quarumcunque Christi fidelium presencia facere celebrari, dummodo vos vel ille causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel illis contigerit specialiter interdici, devocioni vestre auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.

R. Lat. 66 fol. 63[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1427. *Vratislaviensis et s. Mariae Glogoviae Maioris Vratislaviensis dioc. ecclesiarum praepositi ac officialis Gneznensis conservatores Mathiae de Glowaczow[a]) rectoris parrochialis ecclesiae in Olsna[b]) Vratislaviensis dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“*

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 68 fol. 32[a] – [a]) ‚Glowazaw‘ [b]) ‚Olssin‘. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1428. *Decani Pragensis et s. Mariae Erfordensis ac Glogoviensis Maguntinensis et Vratislaviensis dioc. ecclesiarum conservatores praepositi, decani, scholastici, custodis, cantoris, archidiaconorum, canonicorum, personarum et capituli ecclesiae Misnensis, necnon vicariorum et altaristarum ac aliorum beneficiatorum in eadem ecclesia usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.“*

Romae, 1399 Martii 1.

R. Lat. 68 fol. 27[r] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1429. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Matrovicz canonicatum et praebendam ecclesiae Boleslaviensis conferant.*

Romae, 1399 Martii 1.

Bonifacius . . . . maioris et s. Egidii Pragensium ecclesiarum decanis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Bohunconis de Matrowicz rector parrochialis ecclesie in Kunow

Pragensis diocesis . . . commendatur . . .. nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Boleslauiensis dicte diocesis, quos quondam Jaxo ipsius ecclesie Boleslauiensis canonicus . . . . obtinebat, per eiusdem Jaxonis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Johannes vigore quarundam litterarum nostrarum . . . ., prout ex ipsarum forma se posse credebat, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit, ipseque Johannes predictos canonicatum et prebendam huiusmodi acceptacionis et provisionis vigore extitit assecutus.[1]) Cum autem . . . . prefatus Johannes dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, predictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes prefatos canonicatum et prebendam . . . . fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas illos acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta sint cassa, ... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 198v. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 211.

1430. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao Henrici de Borsnicz canonicatum et praebendam ecclesiae Opoliensis conferant.*

Romae, 1399 Martii 1.

Bonifacius . . . . archidiacono Beneuentane et custodi Opoliensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata familiaritatis et devocionis obsequia, que . . . . Nicolaus Henrici de Borsnicz perpetuus vicarius in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Nicolai peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Opoliensis Wratislauiensis diocesis, quos quondam Georgius de Gorka . . . . obtinebat, per ipsius Georgii obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Nicolaus vigore quarundam litterarum apostolicarum . . . ., per quas dudum sibi de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura aut dignitas vel personatus, et dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem seu collegiata ecclesiis principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura foret seu forent, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excederent, ad collacionem . . . . episcopi et . . . . prepositi, decani et capituli sin-

gulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis . . . . pertinentibus, ... vacantibus aut . . . . vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus prouideri, et per quas eundem Nicolaum omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, ... preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris voluimus anteferri, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes et ad collacionem dicti episcopi dumtaxat pertinentes infra tempus legitimum acceptavit sibique prouideri fecit de eisdem. Cum autem . . . . dictus Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . . , nos volentes eidem Nicolao, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti[a]) marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Nicolao . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . ; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus perpetuam vicariam sine cura in dicta ecclesia s. Crucis obtinet, et nos dudum sibi de canonicatu et prebenda ecclesie Glogouiensis ac parrochiali ecclesia s. Nicolai de Glogouia eisdem canonicatui et prebende unita predicte diocesis, tunc certo modo vacante, quorum omnium fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, necnon de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis sine cura ad collacionem . . . . prefati episcopi . . . . pertinentibus . . . ., vacantibus seu . . . . vacaturis, graciose concessimus prouideri,[1]) quas quidem concessionum gracias et quecunque inde secuta exnunc cassamus . . . . Volumus autem, quod, quamprimum idem Nicolaus . . . . dictos canonicatum et prebendam ecclesie Opoliensis fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eos acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta, quoad unum beneficium dumtaxat et illam marcharum summam, ad quam dicti canonicatus et prebenda annuatim ascendant, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 237[v] — [a]) Correctum in marg. ex ‚duodecim' cum nota „Jac. corr. de mandato". — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1121.

1431. *Causae super quibusdam bonis feudalibus a rege Bohemiae dependentibus, quae quondam Bolko dux Falkenbergensis tenuit, in palatio apostolico motae ad dicti regis curiae examen motu proprio remittuntur.*

Romae, 1399 Martii 11.

Bonifacius . . . . Wenceslao Romanorum et Bohemie regi illustri . . . . Dudum pro parte . . . . Hedwigis abbatisse et conventus monasterii s. Clare Wratislauiensis ordinis eiusdem sancte nobis exposito, quod, licet quondam Bolko dux Falkinbergensis, ipsius Hedwigis genitor, dum viveret et tempore obitus sui infrascripta bona, videlicet Glogouiam Superiorem, Paruum Strelicz, Nouam Ciuitatem alias dictum Prandenik, Falkinberg, Czulcz et Stinauiam oppida necnon castrum Greysow cum dimidio territorio Suethovous Wratislauiensis et Olomucensis diocesium cum eorum castris, villis, municionibus et aliis pertinenciis,

iusto titulo tenuisset et possedisset, et ipsa Hedwigis abbatissa et . . . . Margareta eius soror, ipsius ducis nate, absque aliis legitimis fratribus et sororibus de dicto duce genitis duntaxat superstites existerent, et eidem duci, qui ab intestato decessit, in prefatis bonis tamquam proximiores in linea consanguinitatis succedere debeant, tamen . . . . nobiles viri Johannes, Bolko, Bernardus fratres ac Ladislaus Opolienses et Conradus senior Olsnicensis dicte Wratislauiensis diocesis duces huiusmodi bona occupaverant et occupabant ac impediverant ac impediebant ac fecerant et faciebant, quominus prefate Hedwigis et conventus partem dictorum bonorum ipsis contingentem seu eorum valorem possent adipisci, quodque ipse Hedwigis abbatissa et conventus propter potenciam dictorum ducum non sperabant se posse in illis partibus consequi iusticie complementum: nos ad instanciam eorundem Hedwigis abbatisse et conventus . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori commisimus, ut de premissis se informaret, et si per informacionem huiusmodi reperiret ipsas abbatissam et conventum propter huiusmodi potenciam non posse in partibus ipsis iusticie complementum consequi, causas, quas eedem abbatissa et conventus premissorum occasione coniunctim et divisim predictis ducibus movere intendebant, audiret et fine debito terminaret, non obstante, quod cause ipse non essent de sui natura ad Romanam curiam legitime devolute nec apud eam tractande seu eciam finiende. Postmodum vero, sicut ad nostram noticiam pervenit, idem auditor huiusmodi informacione per eum recepta, inter partes predictas ad nonnullos actus in causa huiusmodi citra tamen conclusionem dicitur processisse.[1]) Cum autem, sicut accepimus, prefata bona feudalia existant et a rege Bohemie pro tempore existente in feudum concedi et teneri consueverint, tuque ad faciendum in premissis iusticie complementum requisitus et negligens minime fueris, et cum propterea huiusmodi cause ad tuum et tue curie regie examen de iure remittende sint, nos omnes et singulas causas super premissis et eorum occasione aut super fructibus seu redditibus ex eisdem bonis provenientibus inter dictas partes aut quoscunque alios in Romana curia vel alibi quovis modo pendentes, eciam si duntaxat super fructibus et redditibus ex dictis bonis provenientibus seu eorum certa quota coniunctim vel divisim agatur, quarum omnium statum presentibus haberi volumus pro expresso, auctoritate apostolica ad nos advocantes, prefatas partes ac omnes alios et singulos sua interesse credentes cum predictis causis ad tuum et dicte curie regie examen, non ad alicuius super hoc nobis oblate peticionis instanciam, sed motu proprio ex certa sciencia duximus remittendas et remittimus, et in quantum expedit, coniunctim et divisim committimus audiendas, decidendas et fine debito terminandas cum omnibus emergentibus, incidentibus, dependentibus et connexis per presentes, ibidem dante domino iusticie complementum recepturas. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. decimo.

R. Lat. 66 fol. 74a. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA. C[ANCELLARIA]: in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Tadra, Kniha protokolu auditoru papežských z konce 14. stol. (Věstník kr. č. spol. nauk = Sitzb. der kön. böhm. Ges. der Wiss. 1893, nr. IV.) p. 17.

1432. *Nobili mulieri Jutcae (?)[a]) Erhardi baronis baroniae de Kunstadt[b]) uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 15.

R. Lat. 68 fol. 209[a] — [a]) ‚Sueze' [b]) ‚Kunstat' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1433. *Nobili viro Nicolao Ivonis de Radom[a]) domicello et nobili mulieri Formosae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 15.

R. Lat. 68 fol. 209[a] — [a]) ‚Yuonis de Radommo' — In fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1434. *Dominico Henrici de Canth[a]) canonico monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ord. s. Augustini indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 15.

R. Lat. 68 fol. 209[a] — [a]) ‚Cant' — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1435. *Volframo archiepiscopo Pragensi indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Aprilis a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 17.

R. Lat. 68 fol. 118[b] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1436. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus abbati et conventui monasterii in Plas bona ad eorum monasterium pertinentia vendendi licentiam largiatur.*

Romae, 1399 Martii 19.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Humilibus et honestis supplicum votis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii in Placz cisterciensis ord. Pragensis dioecesis peticio continebat, quod nonnulle ville, grangie, vinee, possessiones et certa alia bona stabilia, in

dicta diocesi consistencia ac ad prefatos abbatem et conventum et dictum eorum monasterium iusto titulo pertinencia, eisdem abbati et conventui ac monasterio propter ipsorum longam ab eodem monasterio distanciam modernis temporibus modicam afferunt utilitatem et minus fructuosa existunt, quodque propterea ipsi abbas et conventus villas, grangias, vineas, possessiones et bona huiusmodi, que usque ad valorem mille florenorum auri ascendere possunt, vendere et de precio, quod ex illis haberetur, alia bona ipsis abbati et conventui ac monasterio propinquiora et utiliora ac magis fructuosa emere desiderant et proponunt, si ad id apostolice sedis licencia concedatur eisdem. Quare pro parte ipsorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis huiusmodi vendicionem et empcionem faciendi licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et eorum circumstanciis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi repperieris ita esse, et quod ville, grangie, vinee, possessiones et bona huiusmodi dicto monasterio modicam utilitatem afferant et minus utilia existant ...., eisdem abbati et conventui vendendi pro condecentibus preciis villas, grangias, vineas, possessiones ac alia bona predicta auctoritate nostra licenciam largiaris, proviso tamen, quod huiusmodi precia, que ex huiusmodi vendicionibus villarum, grangiarum, vinearum ac possessionum et bonorum predictorum provenient, in alia bona stabilia et eidem monasterio propinquiora ac magis utilia et fructuosa, per ipsos abbatem et conventum nomine predicti monasterii emenda et in ipsius monasterii utilitatem et proprietatem convertenda, integre expendantur. Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Aprilis a. decimo.

R. Lat. 66 fol. 157a – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1437. *Omnibus, qui ecclesiam Pragensem in festo assumptionis b. Mariae virginis et duobus diebus immediate sequentibus visitaverint annuatim, illa indulgentia conceditur, quam ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in die ascensionis domini visitantes annuatim quomodolibet consequuntur, praesentibus perpetuo duraturis.* „*Splendor paterne glorie*“ „*Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Aprilis pont. n. a. decimo.*“

Romae, 1399 Martii 25.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli Pragensis sub XX, 18 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (in plica) REGISTRATA GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE. JE. DE FERENTINO; (sub plica) JO. DE BONONIA; a tergo supra: N. HENSLINI DE OLOMUCZ; inferius: R[EGISTRATA]. JAC. [DE TERAMO]. – Ed. Pesina, Phosphorus septicornis p. 200; item Balbin, Miscellanea, dec. I. lib. VI p. 139 nr. 80. — Excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 76“ in codice Vatic. 6952 fol. 239a continetur.

1438. *Archiepiscopo Pragensi eiusque successoribus indulgetur, ut in ecclesia Pragensi duodecim presbyteros sæculares et religiosos in confessores Christi fidelium dictam ecclesiam in festo assumptionis b. Mariae virginis et duobus diebus immediate sequentibus indulgentiae assequendae causa visitantium deputare possit. „Cum nos hodie" „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Aprilis pont. n. a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 25.

Orig. cum bulla in filo serico in archivio capituli Pragensis sub XX. 17 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (in plica) REGISTRATA GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, ECKARDUS; (sub plica) JO. DE BONONIA; (a tergo supra) N. HENSLINI DE OLOMUCZ; (inferius R[EGISTRATA]. JAC. [DE TERAMO]. – Ed Pešina, Phosphorus septicornis p. 201.

1439. *Omnibus, qui capellam s. Venceslai, in qua corpus eiusdem sancti requiescit, in ecclesia Pragensi sitam, feria quinta proxima post octavas paschae cum duobus diebus immediate sequentibus visitaverint annuatim, illa indulgentia conceditur, quam ecclesiam s. Mariae in Portiuncula extra muros Assisinatenses primo et secundo diebus mensis Augusti visitantes consequuntur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. „Splendor paterne" „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Aprilis pont. n. a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 25.

Ed. Pešina, Phosphorus septicornis p. 199; item Balbin, Miscellanea, dec. I. lib. VI., p. 138 nr. 79. — Excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 76" in cod. Vatic. 6952 fol. 238b habetur.

1440. *Archiepiscopo Pragensi indulgetur, ut in ecclesia Pragensi duodecim presbyteros sæculares et religiosos in confessores Christi fidelium capellam s. Venceslai in dicta ecclesia sitam feria quinta post octavas paschae et duobus diebus immediate sequentibus indulgentiae assequendae causa visitantium deputare possit. „Cum nos hodie" „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Aprilis pont. n. a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 25.

Ed. Pešina, Phosphorus septicornis p. 199.

1441. *Custodi ecclesiae Agriensis mandatur, quatenus Johanni quondam Ulrici de Metelsko*) *clerico Pragensis dioc. contemplatione Sigismundi regis Ungariae, pro ipso Johanne dilecto suo supplicantis, archidiaconatum Budensem in ecclesia Vesprimiensi, qui curatus est, et cuius fructus 50 marcharum argenti valorem annuum non excedunt, a Michaele episcopo Vesprimiensi auctoritate ordinaria ei collatum, auctoritate apostolica conferat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Aprilis a. decimo."*

Romae, 1399 Martii 25.

R. Lat. 65 fol. 255[a] — [b] ‚Metelk' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — Ed. Fraknoi, Monum. Hung. Vat. ser. I. tom. IV p. 118 nr. 154.

1442. *Abbas Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et praepositus Zderaziensis*[a]) *Pragensis per praepositum soliti gubernari monasteriorum ac decanus ecclesiae Vratislaviensis conservatores praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum, personarum, vicariorum et ministrorum ecclesiae ss. Cosmae et Damiani alias s. Venceslai in Antiqua Boleslavia Pragensis dioc. usque ad decennium instituantur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 1.

R. Lat. 68 fol. 29[a] — [a]) ‚Zderasien'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA] in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1443. *Nobili viro Johanni Čach de Zásada*[a]) *domicello Pragensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Aprilis a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 4.

R. Lat. 68 fol. 118[b] — [a] ‚Zach de Zassadr' — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1444. *Abbas s. Vincentii extra muros Vratislavienses et praepositus Mechoviensis Cracoviensis dioc. monasteriorum ac decanus ecclesiae Olomucensis conservatores praepositi et conventus monasterii in Mstów ord. s. Augustini Cracoviensis dioc. usque ad quinquennium instituantur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Aprilis a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 4.

R. Lat. 68 fol. 28[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1445. *Johanni Ysneri presbytero Vratislaviensis dioc., sacrae paginae professori, indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Maii pont. n. a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 16.

R. Lat. 68 fol. 111[b] — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1446. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Georgio de Jevičko neque Závišio de Zap in canonicatu et praebenda ecclesiae s. Aegidii Pragensis ius competere, ipsos canonicatum et praebendam dicto Georgio conferat.*

Romae, 1399 Aprilis 20.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . ., super quibus . . . . Georgius Bisunti de Gewiczka canonicus ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Georgii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Zawissium de Zap, qui se gerit pro presbytero Pragensis diocesis super canonicatu et prebenda ecclesie s. Egidii Pragensis, de quibus, tunc per liberam resignacionem . . . . Johannis electi Lubucensis, tunc capellani nostri et causarum palacii apostolici auditoris, de cuius persona ecclesie Lubucensi tempore huiusmodi resignacionis vacanti postmodum providimus, per eum de illis, ipsorum possessione per eum non habita, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam vacantibus, Georgius sibi per nostras litteras graciose et canonice provisum fuisse,[1]) dictumque Zawissium se gracie et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . ., dictosque canonicatum et prebendam occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatos fructus percipiendo ex eisdem, Zawissius vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, ... magistro Henrico de Westerholt ad instanciam dicti Georgii primo et deinde . . . . magistro Johanni de Dulmen capellanis nostris et causarum dicti palacii apostolici auditoribus . . . . commisimus . . ., qui quidem Johannes auditor in huiusmodi causa procedens diffinitivam, per quam inter cetera prefatum Zawissium ab impeticione dicti Georgii absolvit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte eiusdem Georgii ad sedem predictam fuit appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et auditori causarum dicti palacii . . . . commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi usque ad conclusionem inclusive inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Georgii et Zawissii in dictis canonicatu et prebenda ecclesie s. Egidii seu ad eos ius competere, nos . . . . dicto Georgio, qui, ut asserit, baccallarius in iure canonico ac magister in artibus existit, ... specialem graciam facere volentes, fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum ex dictis Georgio et Zawissio in eisdem canonicatu et prebenda ecclesie s. Egidii seu ad eos ius habere, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eciam si . . . . super eis alias inter dictum Georgium et . . . . Johannem de Tremosnicz clericum vel alium seu alios in dicta curia vel alibi lis . . . ., eciam si in ea usque ad conclusionem inclusive communiter vel divisim sit processum, pendeat seu remanserit indecisa . . . ., prefato Georgio . . . . auctoritate nostra

conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . . quibuscunque constitucionibus apostolicis et presertim pie memorie Urbani pp. V. . . . ., qua prohiberi dicitur, quod nullus in civitate Pragensi aut eius suburbiis duos vel plures canonicatus et prebendas insimul retinere valeat . . . ., seu quod idem Georgius, ut asserit, canonicatum et prebendam predicte ecclesie s. Petri et parrochialem ecclesiam in Hoflino obtinet, et super Olomucensis in palacio apostolico litigat, et nos nuper sibi de s. Petri Wissegradensis Pragensis necnon s. Marie Glogouiensis[3]) Olomucensis et Wratislauiensis diocesium ecclesiarum canonicatibus et prebendis, quorum omnium fructus . . . . centum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, tunc vacantibus, ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis . . . . pertinente, eciam si canonicatus et prebenda aut dignitas vel personatus seu officium ipsius ecclesie Olomucensis foret, vacante vel vacaturo, graciose concessimus prouideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Maii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 297 — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXV DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1202—1205 et 1209. [2]) Cf. nr. 1825. [3]) Cf. nr. 1240.

1447. *Magistro Petro Blasii [de Nemoticz] rectori parrochialis ecclesiae in Dürnholz*[a]) *Olomucensis dioc., capellano apostolico, de bonis suis undecunque, non tamen per ecclesiam seu ecclesias ei commissas, acquisitis libere testandi facultas conceditur. „Quia presentis vite" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Maii a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 20.

R. Lat. 69 fol. 145 — [a]) Durenholcz — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. X DE BENEVENTO.

1448. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Petro [de Nemoticz] neque Nicolao [de Hradiště] in capella s. Petri in Znojma et altari s. Catherinae ecclesiae in Kostel ius competere, ipsa capellam et altare dicto Petro conferat.*

Romae, 1399 Aprilis 22.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo Steube capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus Blasii rector parrochialis ecclesie in Durnholtz Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . .. nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Nicolaum Stephani, qui se gerit pro rectore parrochialis ecclesie in Mislos dicte diocesis, super capella s. Petri in Snoyma et altari s. Catherine sito in parrochiali ecclesia in Gostel eiusdem diocesis, ad que quidem, capellam videlicet per obitum quondam Nicolai ultimi ipsius capelle

rectoris extra Romanam curiam defuncti, altare vero per liberam resignacionem .... Stephani tunc ipsius altaris rectoris, per eum de illo in manibus .... Johannis de Gulen tunc bone memorie Nicolai episcopi Olomucensis in spiritualibus vicarii generalis extra dictam curiam sponte factam et per eundem vicarium extra ipsam curiam auctoritate ordinaria admissam, tunc vacancia, Petrus se per veros patronos eorundem altaris et capelle .... infra tempus legitimum presentatum et in coram rectorem auctoritate ordinaria institutum seque illa vigore presentacionis et institucionis huiusmodi assecutum fuisse,[1]) dictumque Nicolaum se presentacioni, institucioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere, ac fecisse et facere, quominus ipse Petrus altare et capellam predicta posset pacifice possidere. Nicolaus vero predicti altare ac capellam huiusmodi ad se de iure spectare asserebant,[2]) prout asserunt, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Petri ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam huiusmodi appellacionis et negocii principalis tibi ad instanciam dicti Petri .... commisimus ...., tuque in eadem causa ad nonnullos citacionis actus diceris processisse. Cum autem .... a nonnullis asseratur neutri ipsorum Petri et Nicolai in ipso altari et capella seu ad ea ius competere ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum Petri et Nicolai predictorum in dictis altari et capella seu ad ea ius habere, eadem altare et capellam, que sine cura sun buorumque fructus .... sedecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Petro .... auctoritate nostra conferre et assignare procures ....; non obstantibus ...., quod dictus Petrus, ut asserit, ecclesiam in Durnholcz prefatam ac capellam in Pozoricz et altare s. Salvatoris situm in ecclesia s. Petri in Brunna dicte diocesis obtinet, et dudum sibi de canonicatu et prebenda dicte ecclesie s. Petri tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, apostolica auctoritate mandatum fuit provideri, et quod alias in dicta ecclesia s. Petri auctoritate ordinaria in canonicum receptus fuit ... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. decimo.

R. Lat. 65 fol. 87a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. [1]) Cf. nr. 439. [2]) Cf. nros. 1235 et 1236.

1449. *Cum Smilone de Vícov dispensatur, ut archidiaconatum Litoměřicensem et parrochialem ecclesiam in Rataj, quoad vixerit, insimul retinere possit.*

Romae, 1399 Aprilis 24.

Bonifacius .... Smyloni de Wyczow archidiacono Luthomericensi in ecclesia Pragensi, baccalario in decretis .... Nobilitas generis .... Dudum siquidem tecum, ut unam parrochialem ecclesiam, si tibi alias canonice conferretur, recipere et una cum archidiaconatu Luthomericensi, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in Pragensi ecclesia existit, quem tunc temporis obtinebas, prout obtines,[1]) usque ad quinquennium retinere libere et licite valeres, per nostras litteras graciose duximus dispensandum, et voluimus inter cetera,

quod alterum ex archidiaconatu et parrochiali ecclesia huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra huiusmodi quinquennium permutare, alioquin archidiaconatum predictum . . . . omnino dimittere tenereris . . . ., tuque postmodum, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, ecclesiam parrochialem in Ratay Olomucensis[a]) diocesis, que de iure patronatus laici existit, tunc certo modo vacantem, canonice tibi collatam, assecutus, illam una cum dicto archidiaconatu tenuisti et possedisti, prout tenes et possides de presenti. Nos igitur volentes te, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis, ... favoribus prosequi gracie amplioris, ... tecum, ut archidiaconatum et parrochialem ecclesiam predictos, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eciam postquam dictum quinquennium lapsum fuerit, quoad vixeris, insimul retinere necnon archidiaconatum et ecclesiam parrochialem huiusmodi simul vel successive, tociens, quocienscumque tibi placuerit, simpliciter vel ex causa permutacionis dimittere et . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., auctoritate apostolica dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 57[a] — [a]) Correctum in marg. ex ‚Pragensis' cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 622 et 970.

1450. *Petro Blasii [de Nemoticz] gratia exspectativa alias ei facta extenditur.*

Romae, 1399 Aprilis 26.

Bonifacius . . . . magistro Petro Blasii canonico Pragensi, capellano nostro . . . . Grata tue devocionis obsequia . . . . Nuper siquidem, videlicet VIII. kalendas Maii pont. n. anno decimo[1]), tibi de Pragensis et Olomucensis ac de s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura in aliqua ex ecclesiis eisdem, eciam si dignitas huiusmodi in Pragensi vel Olomucensi maior post pontificalem aut in s. Petri ecclesiis predictis principalis foret, et ad illam, illum vel illud consuevisset quis per eleccionem assumi, per nostras litteras graciose duximus providendum, teque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis vel prebendas ac dignitates vel personatus seu officia huiusmodi expectantibus in eisdem, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus . . . . voluimus anteferri, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . . Cum autem nos nonnullis aliis personis eciam te in data precedentibus diversas gracias de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum in partibus illis fecerimus ac eciam aliquibus ex personis ipsis concesserimus, ut omnibus similiter auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis vel prebendas in eisdem ac dignitates, personatus seu officia huiusmodi eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus preterquam predictis cardinalibus et familiaribus nostris . . . . possint et debeant anteferri, nos volentes te,

ne propterea in assecucione prebendarum ac dignitatis vel personatus aut officii huiusmodi diucius impediaris. . . . . favoribus prosequi graciosis, motu proprio . . . . litteras prefatas cum inhibicionis, reservacionis et decreti ac aliis clausulis in eis contentis eciam ad prebendas dictarum ecclesiarum necnon dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi, quas vel quos seu que ex personis aliquorum capellanorum, nunciorum seu alias officialium dicte sedis aut collectorum vel succollectorum fructuum et proventuum camere apostolice debitorum seu litterarum apostolicarum scriptorum et abbreviatorum, ac eciam ad maiores prebendas dictarum Pragensis et Olomucensis ecclesiarum, in quibus maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, quas inibi vacare contigerit, auctoritate apostolica de uberioris dono gracie extendimus per presentes, ita quod tu tam predictarum quam presencium litterarum vigore huiusmodi prebendas eciam maiores ac dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi acceptare valeas, dictique executores tibi de illis, eciam si alias generaliter vel specialiter reservate vel reservati aut reservata fuerint, providere possint et teneantur. Et insuper volumus et tibi auctoritate predicta motu simili concedimus, quod nullus, cuiuscunque dignitatis, status, gradus vel condicionis existat, eciam si pontificali vel alia quavis prefulgeat dignitate, vigore seu pretextu gracie aut litterarum quarumcunque eciam sub quacunque antelacionis prerogativa in genere vel in specie sub quibuscunque condicione, facultate, modo, forma vel expressione verborum sibi per nos hactenus sub cuiuscunque eciam diei data concessarum vel imposterum concedendarum, eciam si de eis et facultate huiusmodi et cuiuslibet earum totis tenoribus in presentibus habenda esset mencio specialis, nisi in ipsis de presentibus de verbo ad verbum ac de eius nomine et cognomine propriis [specialis mencio habeatur ac alias expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis][a] expressione ex certa sciencia velle derogare, predictis cardinalibus et familiaribus nostris commensalibus nobis actu domestice famulantibus dumtaxat exceptis, tibi in assecucione canonicatuum et maiorum prebendarum ac dignitatis vel personatus seu officii huiusmodi, quas vel quos seu que tam presencium quam dictarum litterarum tibi ut premittitur concessarum vigore alias legitime acceptaveris et de quibus tibi feceris provideri, possit aut debeat anteferri aut tibi in aliquo preiudicare, quibuscunque constitucionibus, declaracionibus et ordinacionibus apostolicis, presertim declaracione per nos edita, videlicet quod gracie expectative cum clausula anteferri aliquibus per nos concesse vel concedende aliis similes gracias cum simili clausula primo habentibus et precedentibus eos in data non preiudicent, sed secundum ordinem date eciam quoad ipsas clausulas gracias ipsas debuisse et debere sortiri effectum, seu quod prior in data in assecucione gracie ceteris preferatur,[2] ac generalibus vel specialibus reservacionibus per sedem predictam factis, necnon statutis et consuetudinibus Pragensis et Olomucensis ecclesiarum predictarum, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod nullus in aliqua ipsarum maiorem prebendam assequi valeat, nisi de minori ad mediam et de media prebendis ad maiorem prebendas huiusmodi gradatim et per opcionem ascendat, et aliis contrariis ac omnibus illis non obstantibus, que in prefatis litteris tibi ut prefertur concessis voluimus non obstare. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Maii a. decimo.

R. Lat. 110 fol. 291[a] — [a]) Suppletum ab editore. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) 1399 April. 24. [2]) Regulae Bonifacii IX (ap. Ottenthal l. c.) nr. 55.

1451. *Episcopo Sibinicensi ac praeposito s. Thomae de Promontorio Strigoniensis et custodi Agriensis ecclesiarum mandatur, quatenus Laurentio Gerlaci clerico Olomucensis dioc. canonicatum et praebendam ecclesiae Strigoniensis, a Johanne archiepiscopo Strigoniensi vigore cuiusdam concessionis apostolicae ei collatos, auctoritate apostolica conferant. „Vite ac morum" „Romae ap. S. Petrum quarto kal. Maii a. decimo."*

Romae, 1399 Aprilis 28.

R. Lat. 68 fol. 246[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic. ser. I tom. IV p. 125 nr. 161.

1452. *Johanni Namslaw canonico Varmiensi, baccalario in decretis, qui litterarum apostolicarum abbreviator existit et dudum in loco unius earundem litterarum scriptoris protunc absentis scripsit et etiam in palatio apostolico aliquamdiu servitor fuit, conceditur, ut beneficia sua ecclesiastica toties, quoties ei placuerit, in manibus cuiuscunque ordinarii loci vel alterius, quem ad hoc elegerit, dum tamen dignitatem, personatum vel officium obtineat, vel saltem canonicus in aliqua cathedrali vel collegiata ecclesia existat, ex causa permutationis pro aliis beneficiis ecclesiasticis vel alias simpliciter resignare possit. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. decimo."*

Romae, 1399 Maii 1.

R. Lat. 67 fol. 246[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1453. *Johanni Namslaw canonico Varmiensi, qui litterarum apostolicarum abbreviator existit et dudum in loco unius earundem litterarum scriptoris protunc absentis scripsit et etiam in palatio apostolico aliquamdiu servitor fuit, de bonis suis libere testandi facultas conceditur. „Quia presentis" „Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. decimo."*

Romae, 1399 Maii 1.

R. Lat. 67 fol. 245[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1454. *Cum Johanne Namslaw rectore parrochialis ecclesiae in Wiesenburg[a]) Pomezaniensis dioc., baccalario in decretis, qui subdiaconus est, dispensatur, ut ra-*

tione dictae ecclesiae usque ad quinquennium a data praesentium ad superiores ordines se facere promoveri minime teneatur. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. decimo."

Romae, 1399 Maii 1.

R. Lat. 69 fol. 125b — „Wiselburg" — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1455. *Petro [de Nemoticz] conceditur, ut quicunque ordinarius, in cuius manibus beneficia sua ex causa permutationis resignare voluerit, ei et personis, cum quibus permutationem facere voluerit, beneficia resignata conferre possit.*

Romae, 1399 Maii 1.

Bonifacius . . . . magistro Petro Blasii rectori parrochialis ecclesie in Durenholtz Olomucensis diocesis, capellano nostro . . . . Vite ac morum . . . . Hinc est, quod nos . . . ., ut si forsan beneficia ecclesiastica, que nunc obtines et in futurum obtinebis, et in quibus seu ad que tibi ius quomodolibet competit, ex causa permutacionis . . . . in manibus cuiuscumque vel quorumcunque ordinarii seu ordinariorum locorum simul vel successive ac tociens, quocienscumque tibi placuerit, pro . . . . similibus vel dissimilibus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis resignare et huiusmodi ordinarium seu ordinarios . . . . resignaciones huiusmodi recipere et admittere contingat, ordinario seu ordinariis huiusmodi illud seu illa, quod seu que persona seu persone, cum qua seu quibus permutacionem huiusmodi facere volueris, ex causa predicta resignaverit seu resignaverint, eciam si beneficia ipsa resignata disposicioni apostolice specialiter reservata et una vel plures ex personis huiusmodi collectores vel succollectores . . . . camere apostolice . . . . seu scriptores vel abbreviatores dictarum litterarum seu capellani aut alias quovis modo eiusdem sedis officiales seu alias tales fuerint, quod beneficia eorum disposicioni sedis predicte generaliter reservata existant, tibi et personis eisdem predicta beneficia, que ut prefertur resignaveritis, eciam si tam ea, que tu, quam illa beneficia huiusmodi, que dicte persone resignaveritis prefata causa, vel eorum aliqua canonicatus et prebenda ac dignitates, personatus, vel officia in metropolitanis, cathedralibus vel collegiatis, et dignitates ipse curate et in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales vel in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales existant, et ad eas consueverint qui per eleccionem assumi, apostolica auctoritate conferendi et alia necessaria circa premissa faciendi, generalibus reservacionibus beneficiorum ecclesiasticorum collectorum vel succollectorum seu aliarum personarum prefatarum contrariis nequaquam obstantibus, ... licenciam elargimur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 95b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

***1456**. Praeposito et conventui monasterii Zderazensis conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Meziříčí cedente Nicolao Manikonis, qui nunc eam obtinet perpetuis futuris temporibus per unum e canonicis dicti monasterii gubernari facere possint.*

Romae, 1399 Maii 5.

Bonifacius .... ad perpetuam rei memoriam. Digna exaudicione vota .... Sane peticio pro parte .... prepositi et conventus monasterii Sderasiensis Pragensis Sepulchri dominici Jerosolimitani ordinis s. Augustini per prepositum soliti gubernari [nobis exhibita] continebat, quod, cum olim quondam Wenceslaus Rod canonicus dicti monasterii ad parochialem ecclesiam in Mezierziecz Olomucensis diocesis tunc certo modo vacantem et prefato monasterio dudum canonice incorporatam, que per unum ex canonicis eiusdem monasterii, per prepositum ipsius monasterii pro tempore existentem et dictos conventum loci ordinario presentandum et per eundem ordinarium in ipsius ecclesie rectorem auctoritate ordinaria instituendum, gubernari, et apud quam pro divini cultus augmento plures alii canonici dicti monasterii pro tempore commorari et huiusmodi rectori in divinis officiis peragendis assistere consueverunt, per ipsos prepositum et conventum loci ordinario huiusmodi infra tempus legitimum presentatus et per eundem ordinarium in ipsius ecclesie rectorem auctoritate predicta institutus fuisset, tandem idem Wenceslaus, postquam ecclesiam ipsam vigore presentacionis et institucionis predictarum extiterat pacifice assecutus, se in capellanum sedis apostolice recipi et aliorum ipsius sedis capellanorum consorcio obtinuit aggregari; et successive cum predicta ecclesia per eiusdem Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacavisset et vacaret tunc, nullusque de illa preter nos ea vice disponere potuisset sive posset pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcunque capellanorum sedis predicte tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari, nos de predicta ecclesia .... Nicolao Manikonis canonico dicti monasterii, qui tunc clericus secularis existebat, per nostras litteras graciose duximus providendum,[1]) idemque Nicolaus ecclesiam ipsam earundem litterarum vigore sibi collatam assecutus ac monasterium prefatum ingressus, in eo per canonicos eiusdem monasterii emitti consuetam professionem emisit regularem. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prepositus et conventus predicti dubitent, quod, si eundem Nicolaum de medio summoveri vel ecclesie predicte cedere aut illam alias quomodolibet dimittere contingeret, se super eadem ecclesia propter provisionem, reservacionem et decretum predicta posse imposterum molestari, pro parte eorundem prepositi et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis, quod cedente vel decedente dicto Nicolao vel ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente extunc inantea eandem ecclesiam, quocienscunque illam vacare contigerit, per unum ex canonicis dicti monasterii, per ipsos loci ordinario presentandum et per eundem ordinarium in ipsius ecclesie rectorem, ut prefertur, instituendum, gubernari facere possint, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... preposito et conventui prefatis, ut cedente vel decedente dicto Nicolao vel ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente extunc inantea perpetuis futuris temporibus eandem

ecclesiam, cuius triginta, quociescunque illam vacare contigerit, per unum ex canonicis dicti monasterii, cuius centum marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum, ut ipsi prepositus et conventus asserunt, non excedunt, per ipsos prepositum et conventum loci ordinario presentandum et per eundem ordinarium in ea instituendum, ut prefertur, qui curam gerat animarum et domino inibi deserviat laudabiliter in divinis, gubernari facere valeant, auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus, constitucionibus apostolicis necnon predictis provisione, reservacione et decreto ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum III. nonas Maii pont. n. a. decimo.

Originale cum bulla in filo serico in caesarea r. bibliotheca Pragensi exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (in plica ad dext. GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, A. CREYENBERCH, (inferius) R; (sub plica ad dext.) A. DE PORTUGRUARIO; a tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO]. — Registratum in R. Lat. 66 fol. 221ª, ubi supra in marg. sin. adscriptum est: A. DE PORTUGRUARIO, in fine autem: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1234.

1457. *, Visitantibus ecclesiam s. Egidii Wratislauiensem annuatim perpetuis futuris temporibus in vigilia nativitatis s. Joannis Baptistae et per duos dies immediate sequentes concedit illam indulgentiam, quam consecuntur visitantes annuatim ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in die ascensionis domini etc., cum facultate concessa praeposito dictae ecclesiae eiusque successoribus deputandi octo confessores etc. Datum Romae ap. S. Petrum 3. idus Maii a. X.*

Romae, 1399 Maii 13.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de diversis formis a. decimo fol. 90" in codice Vatic. 6952 fol. 239ª continetur.

1458. *Augustino tituli s. Laurentii in Damaso presbytero cardinali mandatur, quatenus Joffridum de Liningen olim canonicum Maguntinensem, qui se ab oboedientia Johannis archiepiscopi Maguntinensis subtraxerat, sed nunc ad eius oboedientiam redire proponit, a quibuscunque excommunicationis sententiis sive poenis per ipsum Johannem archiepiscopum vel eius commissarios contra eum forsan latis ad cautelam absolvat eumque ad canonicatum et praebendam ecclesiae Maguntinensis ac alia beneficia ecclesiastica, quae prius obtinebat, restituat;*[1]) *„non obstantibus quibuscunque collacionibus et provisionibus per prefatum archiepiscopum vel alios nostra vel ordinaria auctoritate de huiusmodi canonicatu et prebenda ac beneficiis et personis aliis forsan factis, necnon excepcionibus dilatoriis vel peremptoriis per ipsum Johannem archiepiscopum vel alium seu alios, quorum eciam principaliter interesset, competentibus seu quomodolibet competituris, eciam si forsan opponeretur, quod . . . . Wenceslai Romanorum et Bohemie regis illustris ordinacio, quam super hoc de voluntate nostra fecit, observata minime extitisset . . . ." „Etsi cunctorum" „Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. decimo."*

Romae, 1399 Maii 15.

R. Lat. 69 fol. 256[a] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Lindner, Geschichte des deutschen Reiches unter K. Wenzel, II. p. 354 et 493—498.

1459. *Nicolao Conradi de Opavia[a]) presbytero Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Junii a. decimo".*

Romae, 1399 Maii 19.

R. Lat. 68 fol. 170[a] — [a] ‚Oppauia' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1460. *Cantori ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Johanni de Paczonow altare quoddam in sacrestia dictae ecclesiae, auctoritate ordinaria ei collatum, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Maii 21.

Bonifacius .... cantori ecclesie Wratislauiensis .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Johannis Nicolai de Paczonow perpetui vicarii in ecclesia Wratislauiensi peticio continebat, quod olim altari s. Trinitatis et s. Bartholomei sito in sacristia dicte ecclesie, quod quondam Stanislaus ultimus ipsius altaris rector .... obtinebat, per ipsius Stanislai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie, ad quos de antiqua .... consuetudine presentacio persone ydonee ad prefatum altare pertinet, eundem Johannem ad dictum altare .... Wenceslao episcopo Wratislauiensi infra tempus legitimum presentarunt, idemque episcopus prefatum Johannem in predicti altaris rectorem auctoritate ordinaria instituit, ipseque Johannes .... dictum altare extitit assecutus. Cum autem .... dictus Johannes dubitet presentacionem et institucionem huiusmodi .... viribus non subsistere, discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... dictum Johannem .... ad dictum altare obtinendum ydoneum esse reppereris ...., altare predictum, cui cura imminet animarum, et cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Johanni .... auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod idem Johannes, ut asserit, canonicatum et prebendam in s. Marie Wisliciensi Cracouiensis diocesis ac perpetuam vicariam sine cura in dicta Wratislauiensi ecclesiis, quorum omnium fructus .... viginti quatuor marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 214[b] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA ‚C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1461. *Cantori ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Stephano de Lubin parrochialem ecclesiam in Kostenthal, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Maii 21.

Bonifacius .... cantori ecclesie Wratislauiensis .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Stephani de Luben presbyteri Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia s. Marie in villa Constantin dicte diocesis ex eo vacante, quod .... Laurencius de Stinaria[1]) decanus ecclesie s. Bartholomei in Superiori Glogauia dicte diocesis, tunc dictum parrochialem ecclesiam obtinens, decanatum eiusdem ecclesie s. Bartholomei, qui dignitas est, tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatum, extitit pacifice assecutus. ... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis eandem parrochialem ecclesiam sic vacantem eidem Stephano auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit, ipseque Stephanus .... eandem parrochialem ecclesiam extitit pacifice assecutus Cum autem .... dictus Stephanus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi .... viribus non subsistere .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... dictum Stephanum .... ad dictam parrochialem ecclesiam obtinendum ydoneum esse inveneris, ... parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Stephano .... auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. decimo.

R Lat 63 fol. 213ª — Supra in marg.: JO. DE BONONIA. C[ANCELLARIA]. in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]. Stinavia (= Steine ?

1462. *Cantori ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Laurentio de Stinavia (?) decanatum ecclesiae s. Bartolomaei in Superiore Glogovia, auctoritate ordinaria ei collatum, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Maii 21.

Bonifacius .... cantori ecclesie Wratislauiensis .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Laurencii de Stinaria clerici Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim decanatu ecclesie s. Bartholomei in Superiori Glogouia dicte diocesis ex eo vacante, quod .... Stephanus de Luben rector parrochialis ecclesie in villa Constantin predicte diocesis, tunc dictum decanatum obtinens, eandem parrochialem ecclesiam tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterat pacifice assecutus, ... nobiles viri Ladislaus senior et Bolconus ac Johannes et Bernardus duces Opolienses, veri patroni laici habentes ius presentandi personam ydoneam ad eundem decanatum ex sedis apostolice privilegio, cui non est in aliquo derogatum, dictum Laurencium .... Wenceslao episcopo Wratislauiensi infra tempus legitimum presentarunt, idemque episcopus eundem Laurencium in decanum

ipsius ecclesie s. Bartholomei auctoritate ordinaria instituit, ipseque Laurencius decanatum ipsum .... assecutus, illum extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete.[1]) Cum autem .... dictus Laurencius dubitet presentacionem et institucionem prefatas .... viribus non subsistere ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... dictum Laurencium .... ydoneum ad dictum decanatum obtinendum, qui curatus et dignitas, non tamen principalis, in eadem ecclesia s. Bartholomei existit, esse reppereris, ... predictum decanatum, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Laurencio .... auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 109. — Supra in marg. sin.: Jo. DE BONONIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. [1]) Cf. nr. 1461.

1463. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Nova Ecclesia parrochialem ecclesiam in Rottigl, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1399 Maii 22.

Bonifacius .... episcopo Concordiensi et .... abbati Lucensi ac .. preposito in Cunicz per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis monasteriorum .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Johannes de Noua Ecclesia presbyter Olomucensis diocesis .... commendatuar nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Rotegla dicte diocesis, quam quondam Johannes dictus Papalis .... obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extreante, ... Sdenco supremus magister ordinis cruciferorum cum stell, hospitalis in pede pontis Pragensis, cum ad magistrum eiusdem hospitalis pro tempore existentem presentacio rectoris ad dictam ecclesiam de antiqua .... consuetudine pertineat, eundem Johannem de Noua Ecclesia .... Smyloni officiali Olomucensi infra tempus legitimum ad dictam ecclesiam presentavit, ipseque officialis prefatum Johannem de Noua Ecclesia in rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria instituit, dictusque Johannes de Noua Ecclesia ...., ecclesiam predictam assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem .... idem Johannes de Noua Ecclesia dubitet institucionem et presentacionem predictas .... viribus non subsistere ...., discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... dictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus .... quatuor marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt .... ., eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis .... Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Junii a. decimo.

R. Lat. 65 fol. 220. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1464. *Procopio rectori parrochialis ecclesiae s. Spiritus in Grecz Reginae Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Junii a. decimo."*

Romae, 1399 Maii 22.

R. Lat. 68 fol. 170ᵃ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO

1465. *Annae dictae Sultessyn de Grecz Reginae mulieri Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Junii a. decimo."*

Romae, 1399 Maii 22.

R. Lat. 68 fol. 170ᵃ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1466. *Judicibus mandatur, quatenus Svatoslao Jaroslai parrochialem ecclesiam in Radčicz conferant.*

Romae, 1399 Maii 28.

Bonifacius . . . . episcopo Nicopolensi et . . . . abbati monasterii in Porta Apostolorum Pragensis diocesis ac archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi . . . . Grata devocionis obsequia, que . . . . Swathoslaus Jaroslai ordinis fratrum b. Marie de Monte Carmelo professor, capellanus noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Radczycz Pragensis diocesis per liberam resignacionem . . . . Jacobi de Tachow, per eum de illa, quam tunc temporis obtinebat, in manibus . . . . abbatis et conventus monasterii in Ossek cisterciensis ord. eiusdem diocesis extra Romanam curiam sponte factam, et per eosdem abbatem et conventum, cum ad abbatem dicti monasterii pro tempore existentem et conventum predictos ipsius ecclesie resignacionis recepcio et admissio de antiqua . . . . consuetudine pertineant, extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissam, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes eidem Swathoslao, qui, ut asserit, eundem ordinem fratrum b. Marie expresse professus existit, et cum quo alias, ut beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, eciam per clericos seculares gubernari consuetum . . . ., recipere et retinere libere et licite valeret, per alias nostras litteras auctoritate apostolica dispensavimus, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Swathoslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a. decimo.

R Lat. 66 fol. 119ᵛ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in inc. N. XXII DE BENEVENTO.

1467. *Confirmantur donationes iuris patronatus nonnullarum parrochialium ecclesiarum per Carolum IV. Romanorum imperatorem et quosdam domicellos monasterio in Pustiměř factae.*

Romae, 1399 Maii 31.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Ex suscepte servitutis officio, quo summis universis orbis ecclesiis et monasteriis obligati, ecclesiarum et monasteriorum ipsorum tenemur invigilare profectibus et dispendiis obviare, ac ea, que in relevamen et subsidium eorundem deliberacione matura ordinata sunt, apostolici presidii munimine roborare. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . abbatisse et conventus monasterii in Pustmyr ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim dive memorie Carolus IIII Romanorum imperator, tunc marchio Morauie, gerens ad predictum monasterium singularis devocionis affectum ac pie cognoscens dotem et fructus ipsius monasterii, cuius ipse imperator et sui consanguinei fundatores extiterant, propter novitatem fundacionis eiusdem multum exiles et paucos existere, cupiensque illos, ut persone in ipso monasterio pro tempore degentes de vite necessariis amplius contentate et temporalium rerum curis exute divinis officiis devocius in eodem monasterio insisterent, aliqualiter augmentare[a], ius patronatus in Lunteburg et in Glusow parrochialium ecclesiarum dicte diocesis, ad ipsum imperatorem, tunc marchionem, iusto titulo pertinens, eidem monasterio imperpetuum liberaliter pia largicione donasset, et cum eciam quondam Benessius et Andreas dicti de Grunwald fratres ac Benessius ipsorum fratrum patruus, domicelli, idem monasterium sinceris affectibus prosequentes, ius patronatus parrochialis ecclesie in Budcz dicte diocesis, tunc ad ipsos domicellos eciam legitime pertinens, pro suorum et progenitorum suorum animarum salute eidem monasterio pro commodiori sustentacione personarum in eo degencium similiter perpetue tradidissent, bone memorie Johannes episcopus Olomucensis, prefati imperatoris avunculus et dicti monasterii principalis fundator, de consilio et assensu . . . . capituli Olomucensis easdem ecclesias per suas litteras auctoritate ordinaria prefato monasterio cum certis moderacionibus, ordinacionibus et reservacionibus congruarum porcionum pro perpetuis vicariis inibi instituendis, necnon distincionibus, condicionibus, penis, censuris et aliis clausulis contulit et in proprietatem eiusdem monasterii imperpetuum duxit transferendas, prout in patentibus litteris ipsorum episcopi et capituli sigillis pendentibus munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum abbatisse et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut donacioni, tradicioni, collacioni et translacioni huiusmodi ac omnibus aliis in dictis litteris contentis robur apostolice firmitatis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . donacionem, tradicionem, collacionem et translacionem predictas ac omnia alia et singula in dictis litteris contenta et quecunque inde secuta rata habentes et grata, ea ex certa

sciencia auctoritate apostolica [con]firmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes nichilominus eadem auctoritate omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Tenor vero dictarum litterarum sequitur et est talis: ‚Karolus dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex notum facimus universis, quod, cum alias &c. [sequitur tenor litterarum regis Caroli ddto. 1351 Julii 14 in Cod. diplom. Moraviae VIII. p. 57 nr. 93 editarum]. Datum Prage anno dom. millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indiccione quarta, secundo idus Julii regnorum nostrorum Romani anno sexto, Boemie vero quinto.' Johannes dei et apostolice sedis gracia episcopus Olomucensis omnibus imperpetuum. Ne gesta regnancium &c. [sequitur tenor litterarum Johannis episcopi Olomucensis ddto. 1347 Junii 1 in Cod. diplom. Moraviae VII. p. 523, nr. 708 editarum] Datum Olomucz anno nativitatis dom. millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, feria sexta in crastino corporis Christi, prima die mensis Junii.' Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Junii a. decimo.

B. Lat. 66 fol. 259b — a) ‚augmentarent' cod. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. LX DE BENEVENTO.

***1468**. Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Jacobo [de] Habelschwerdt neque Laczkoni de Kravař neque Nicolao de Volavia in archidiaconatu ecclesiae Vratislaviensis ius competere, ipsum archidiaconatum dicto Jacobo conferat.*

Romae, 1399 Junii 10.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Jacobus Habilswerde rector parrochialis ecclesie s. Marie Magdalene Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Johannem electum Lubucensem, tunc clericum secularem existentem[1]), super archidiaconatu ecclesie Wratislauiensis, quem, tunc per obitum quondam Nicolai de Poznania ipsius ecclesie archidiaconi extra Romanam curiam defuncti vacantem, Jacobus se vigore quarundam litterarum apostolicarum . . . . prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse, et de illo sibi provisum fuisse canonice[2]), dictumque electum se gracie acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . ., dictumque archidiaconatum occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatum, Johannes vero electus predicti eundem archidiaconatum ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Jacobus adhuc asserit, materia questionis: nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad eandem curiam legitime devoluta . . . . non esset, : . . . Cristoforo tituli s. Ciriaci presbytero cardinali ad instanciam dicti Jacobi . . . . commisimus . . . ., qui in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera predictum archidiaconatum Jacobo adiudicavit et super eo electo prefato perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit: a qua pro parte . . . . Laczkonis de

Crawar, qui se gerit pro presbytero Olomucensis diocesis, asserentis sua interesse dictumque archidiaconatum ad se spectare[1], fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ... commisimus . . . .; et deinde, postquam tu inter eosdem Jacobum et Laczkonem ad nonnullos actus in causa huiusmodi processeris, nos tibi ad instanciam . . . . Nicolai de Wolauia, qui se gerit pro preposito ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, eciam asserentis sua interesse et dictum archidiaconatum ad se spectare, commisimus, ut eundem Nicolaum de Wolauia ad prosecucionem litis et cause huiusmodi in eo statu, in quo causam ipsam inveniret, pro huiusmodi suo admitteres interesse, ac eodem Nicolao de Wolauia ad prosecucionem litis et cause huiusmodi in statu predicto per te admisso, tu ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter Jacobum et Laczkonem ac Nicolaum de Wolauia prefatos in causa huiusmodi diceris processisse. Cum autem . . . a nonnullis asseratur nulli dictorum Jacobi et Laczkonis ac Nicolai de Wolauia in dicto archidiaconatu seu ad illum ius competere, nos volentes eidem Jacobo, cum quo nos nuper, ut prefatum archidiaconatum recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad triennium retinere . . . . valeret, per alias nostras litteras auctoritate apostolica dispensavimus, ac voluimus, quod idem Jacobus infra dictum triennium archidiaconatum vel parrochialem ecclesiam huiusmodi pro alio beneficio cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneretur . . . ., graciam facere specialem, fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit nullum ex dictis Jacobo, Laczkone et Nicolao de Wolauia in dicto archidiaconatu seu ad illum ius habere, eundem archidiaconatum, qui dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta Wratislauiensi ecclesia existit, et cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Jacobo . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Jacobus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . centum florenorum auri . . . . valorem annuum non excedunt, necnon canonicatum sub expectacione prebende dicte Wratislauiensis ecclesie auctoritate dictarum litterarum noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Jacobus predictum archidiaconatum . . . . fuerit pacifice assecutus, eedem littere, per quas illum acceptavit et de eo sibi provideri fecit, ... et quecunque inde secuta, quoad dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Junii a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 175[a] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Johannes de Borsnicz 1397 Septembris 24 in episcopum Lubucensem promotus; cf. nr. 1211. [2]) Cf. nr. 239. [3]) Cf. nr. 1212.

1469. *Johannes episcopus Litomyšlensis quitatur de solutione partis servitiorum sui praedecessoris camerae apostolicae.*

Romae, 1399 Junii 11.

Conradus [. . . . archiepiscopus Nicosiensis, dom. pape camerarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Johannes dei gracia episcopus Luthomuslensis pro parte partis communis servicii dom. Johannis predecessoris sui, per ipsum dom. Johannem predecessorem promissi et non soluti ac per eundem dom Johannem episcopum recogniti, . . . octuaginta florenos auri de camera nobis, non facta divisione de minutis serviciis nec aliquid soluto sacro collegio . . . . cardinalium, per manus discreti viri Johannis Paumschabel clerici Olomucensis diocesis, familiaris dicti dom. Johannis episcopi, die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum [faciende solucionis residui . . . .] ad festum pentecostes proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] die undecima mensis Junii pont . . . . anno decimo.

Oblig. et sol. 55 fol. 65ª — In margine eadem manu adscriptum: „Assignacio facta dom. Baldesaro Cossa domini nostri pape cubiculario. B. de Nibia“: in fine: VISUM BAY[LARDINUS]: FL. IIII GR. IIII.

1470. *Ernestus de Brunna ord. fratrum s. Augustini professor Ratisbonensis dioc. in apostolicae sedis capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Junii a. decimo.“*

Romae, 1399 Junii 11.

R. Lat. 68 fol. 61ª — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1471. *Jacobo dicto Biskup de Kluk presbytero Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Julii a. decimo.“*

Romae, 1399 Junii 16.

R. Lat. 68 fol. 173ª — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1472. *Abbati Strahoviensi mandatur, quatenus Venceslaum Chochol [de Radovesicz] de ordine fratrum heremitarum ad ordinem praemonstratensem transferat eumque in canonicum monasterii Strahoviensis recipi faciat.*

Romae, 1399 Junii 17.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Strahouiensis alias Montis Syon Pragensis premonstratensis ordinis . . . . Humilibus et honestis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Wenceslai dicti Chochol ord. fratrum heremitarum s. Augustini professoris peticio continebat, quod ipse ex zelo devocionis fervore, quem ad ordinem premonstratensem gerit, cupit de dicto ordine fratrum heremi-

tarum ad prefatum ordinem premonstratensem transferri et una cum abbate pro tempore existente monasterii Strahouiensis alias Montis Syon Pragensis eiusdem premonstratensis ordinis et . . . . conventu eiusdem monasterii virtutum domino famulari. Quare pro parte dicti Wenceslai nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi faciendi premissa licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatinus eundem Wenceslaum de dicto ordine fratrum heremitarum ad prefatum ordinem premonstratensem auctoritate apostolica transferas, ipsumque in prefato monasterio, si in eo voluntarios inveniat receptores et aliud canonicum non obsistat, recipi facias in canonicum et in fratrem, sibique iuxta ipsius monasterii [consuetudinem] regularem habitum facias exhiberi ac sicud uni ex aliis eiusdem monasterii canonicis de communibus ipsius monasterii proventibus provideri et cum sincera in domino caritate tractari, sibique eadem auctoritate concedas, quod, postquam in eodem monasterio receptus fuerit, ut prefertur, et in eo regularem professionem dicti premonstratensis ordinis expresse emiserit, quecunque dignitates, personatus, administraciones et officia ac beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, per canonicos eiusdem ordinis regi et gubernari consueta, eciam si dignitates huiusmodi curate et conventuales fuerint, et ad eas consueverint qui per eleccionem assumi . . . ., libere recipere et licite retinere valeat, non obstantibus fel. rec. Bonifacii pp. VIII. . . . . et aliis quibuscunque constitucionibus ac privilegiis, indulgenciis apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinum predictorum . . . ., aut si pro aliis in dicto monasterio scripta forsan apostolica sint directa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Julii a. decimo.

R. Lat. 64 fol. 187a — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — Cf. nr. 1756.

1473. *Judicibus mandatur, quatenus processus in causa inter Andream de Broda Theutonicali et Velislaum de Chotěbor habitos propter dicti Velislai contumaciam, quotiens expedierit, aggravent.*

Romae, 1399 Junii 20.

Bonifacius . . . . episcopo Luthomuslensi et . . . Gradicensis prope Olomucz ac b. Marie Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Andree Johannis de Broda Theotunicali canonici Olomucensis peticio continebat, quod olim ipse contra Welislaum de Checyebors seniorem laicum Pragensis diocesis, qui super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis iniuriabatur eidem, apostolicas super hiis, cum, ut asserebat, potenciam eiusdem Welislai merito perhorrescens, eum infra civitatem Olomucensem vel dictam diocesim nequiret convenire secure, ad abbatem monasterii in Warnbach Patauiensis diocesis in communi forma litteras impetravit, ipsumque Welislaum, qui tempore impetracionis dictarum litterarum et eciam tunc quatuordecim mansos terre tunc expressos, in dicta diocesi consistentes et ad ipsum Andream iusto titulo pertinentes, contra iusticiam occu-

paverat et detinuerat ac detinebat indebite occupatos, fructus percipiens ex eis, super hoc, petendo ipsum condemnari et compelli ad dimittendum eidem Andree mansos huiusmodi et ad restituendum sibi fructus ex eisdem mansis perceptos, coram quondam Donaldo abbate monasterii Scotorum in Wienna dicte Patauiensis diocesis, cui . . . . Conradus abbas dicti monasterii in Warnbach super hiis commiserat totaliter vices suas, fecit ad iudicium evocari, idemque Donaldus abbas cognitis huiusmodi cause meritis ac iuris ordine observato diffinitivam pro ipso Andrea et contra eundem Welislaum sententiam promulgavit, ipsum in expensis in huiusmodi causa legitime factis nichilominus condemnando, quodque deinde predictus Donaldus abbas ad execucionem huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, procedens, nonnullos processus in talibus fieri consuetos fecit, monens inter cetera dictum Welislaum ac mandans eidem, ut infra certum terminum peremptorium competentem, tunc expressum, predicto Andree huiusmodi mansos dimitteret, et fructus ex eis perceptos ei restitueret, ac eciam de expensis ipsis, que ad certam pecuniarum summam taxate fuerant, realiter satisfaceret, alioquin in eum et in contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgabat, et licet processus, monicio et mandatum huiusmodi ad indubitatam noticiam ipsius Welislai pervenissent, idem tamen Welislaus huiusmodi processibus, monicioni et mandato parere, eidem Andree huiusmodi mansos dimittere ac fructus restituere aut eciam de ipsis expensis satisfacere infra dictum terminum seu eciam post contumaciter recusavit ac recusat, huiusmodi sentencias dampnabiliter incurrendo, et in ipsis per multos annos animo indurato permanendo, prout adhuc permanet . . . . Quare pro parte dicti Andree nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . legitimis super hiis habitis servatis processibus, eos, quociens expedierit, auctoritate apostolica aggravare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 231[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1474. *Bertrando de Arnassano electo Padeburnensi et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Nicolao de Hennigsdorf*[a]) *neque Petro Lobaw de Bischofswerder*[b]) *clerico Pomezaniensis dioc. in parrochiali ecclesia s. Johannis Evangelistae in Stangenwalde*[c]) *dictae dioc., super qua in palatio apostolico litigant, ius competere, eandem ecclesiam dicto Nicolao conferat; non obstante, „quod eidem Nicolao, ut asserit, de hospitali s. Spiritus Culmensi et de media Warmiensis . . . . et de s. Salvatoris Gutenstatensis Warmiensis dioc. canonicatibus et prebendis ac de altari s. Anne sito in ecclesia parrochiali b. Marie in Hoozenplaga*[d]) *Olomucensis dioc., quorum omnium fructus . . . . decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certis modis vacantibus et quorum possessionem nondum pacifice extitit adeptus, necnon de uno cum cura vel sine cura ad . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani, thesaurarii, archidiaconi,*

scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis, et de alio sine cura ad . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, archidiacoui, decani, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum Wratislauiensis ecclesiarum collacionem . . . pertinentibus . . . . beneficiis ecclesiasticis, ... vacantibus . . . . seu . . . . vacaturis, graciose concessimus prouideri . . . .“ „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. decimo.“

Romae, 1399 Junii 20.

R. Lat. 63 fol. 63 — [a] Heninghesdorf [b] Bischoswerder [c] Stangwalt — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) i. e. Hotzenplotz (Osoblaha).

1475 *Ecclesiam parrochialem s. Viti in Pelhřimow [1]) Pragensis dioc. certis anni diebus (prout in nr. 366 huius libri sunt nominati, ac in festivitate s. Viti) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuis futuris temporibus duraturis. „Splendor paterne“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Julii a. decimo.“*

Romae, 1399 Junii 26.

R. Lat. 67 fol. 63 — [a] Pelhrzymow — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1476. *Judicibus mandatur, quatenus processus contra Procopium marchionem Moraviae eiusque complices propter iniurias, quas ecclesiae Olomucensi intulerunt, per abbatem monasterii Scotorum in Vienna habitos, quotiens expedierit, aggravare curent.*

Romae, 1399 Julii 1.

Bonifacius . . . . Nitriensi et Luthomuslensi episcopis ac . . . . abbati monasterii Scotorum in Vienna Patauiensis diocesis . . . . Gravem dilectorum filiorum decani et capituli ecclesie Olomucensis querelam accepimus continentem, quod, cum olim nobiles viri Procopius marchio Morauie, Johannes Rathiborie et Sematzko Mozouie, Przemislaw et Bolko eius natus Tessinenses, Conradus et Bolko Slezie alias de Olessna duces, Jessko et Albertus eius natus de Lucaw alias de Sternberg, Hawliko de Zwieyzeticz, Smylo de Volehradicz alias de Chunstath, Hynco de Gewyssowicz alias Gewschpicz domini in Chunstath, Andreas et Wanko de Duba, Wanko de Bozkowicz alias de Czrna Hora, Sygmundus de Lethowicz, Wocco de Holsteyn et Wocco eius natus, Bernhardus de Thowaczaw alias de Czymburg, Benessius de Quassicz barones, Hassko in Luthouia, Johannes dictus Pitffass in Vsow, Bohunco in Prerouia, Mixico in Byzenicz purgravii, Henricus de Newogicz, Henricus de Rokicznicz, Vlricus dictus Lybun, Nicolaus dictus de Barchow, Hynko de Wlkoss milites, Sbyslaus de Turkow, Andreas de

Turkow, Pessyko de Klobuk, Mykulecz de Pozlowicz, Pessico de Chwalkowicz, Kozera Byel, Boczko de Murzinow, Pessyko Wytoslaw de Lessan, Mixico de Nakliss, Barko de Bylan armigeri, Humburger, Heyrich Wysen, Seyfersdorff, Peter Runger, Cunrad Zim, Rudel Rym, Berner Zak, Henrich Zak, Petr Schicz, Brod, Petzil, Reintz, Kensperger, Hanuss Zwyenhunderthub, Mikulas Polak, Weyss, Gewitz cum fratre, Petr Modian et Zawr laici et nonnulli presbyteri clerici et ecclesiastice persone seculares et regulares, eorundem marchionis, ducum, baronum, purgraviorum, militum, armigerorum et laicorum complices in hac parte, Olomucensis, Gneznensis, Cracouiensis et Wratislauiensis diocesis ipsos decanum et capitulum equis, bobus, faccis *(sic)*, porcis, ovibus, animalibus, vini et frumenti quantitatibus, rebus et bonis mobilibus diversis, ad eosdem decanum et capitulum ac capitularem mensam Olomucensem et rusticos, villanos, homines et subditos ipsorum decani et capituli racione mense predicte pertinentibus, violenter et temere spoliassent, necnon diversa villas et loca in dicta diocesi Olomucensi consistencia et pleno iure ad ipsos decanum et capitulum ac mensam eciam pertinencia, tunc expressa, ignis incendio, hosti[li]bus invasionibus et rapinis destruxissent, et plerosque ex huiusmodi rusticis, villanis, hominibus ac subditis manu armata cepissent, incarcerassent, verberassent ac plures eorum interfecissent aliquos vero atrociter vulnerassent et alias male tractassent, necnon multa alia violencias et maleficia contra decanum, capitulum, ecclesiam, rusticos, villanos, homines et subditos huiusmodi perpetrassent, et nonnulla villarum et locorum huiusmodi manu violenta occupassent, necnon eosdem rusticos, villanos, homines et subditos ac habitatores et incolas villarum et locorum huiusmodi ad prestandum fidelitatis iuramentum[a]) eidem marchioni necnon ad dandum et solvendum eciam dicto marchioni annuos redditus et census et alia iura per eos predictis decano et capitulo ac mense debita [compulissent][b]), necnon diversa alia gravamina, damna, iniurias, iacturas et offensas eisdem decano et capitulo ac mense, rusticis, villanis, hominibus, subditis, incolis et habitatoribus ipsis temere irrogassent et irrogare non cessarent, tu, fili abbas, conservator eisdem decano et capitulo contra inferentes eis iniurias vel iacturas in bonis et rebus ad eandem mensam spectantibus a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputatus, et habens cognoscendi de hiis, que iudicialem requirunt indaginem, per easdem litteras potestatem,[1]) et ad quem predicti decanus et capitulum super premissis recursum habuerunt, quia premissa adeo erant notoria, quod nulla poterant tergiversacione celari, eosdem marchionem, duces, barones, purgravios, milites, armigeros, laicos, presbyteros, clericos, personas et complices vigore potestatis eiusdem per tuas certi tenoris litteras monuisti, ut infra certum terminum peremptorium competentem tunc expressum de huiusmodi damnis per eos prefatis decano, capitulo et mense ac rusticis, hominibus, villanis ac subditis illatis satisfacerent, et ab illacionibus damnorum et iniuriarum huiusmodi de cetero abstinerent, ipsisque decano et capitulo villas et loca huiusmodi per eos illicite occupata, ut prefertur, et eciam homines, villanos et subditos ipsos, quos vinculatos seu captivos detinebant, ab huiusmodi captivitate libere dimitterent ac restituerent pristine libertati, et eciam iuramentum fidelitatis huiusmodi taliter extortum eisdem hominibus, villanis et subditis relaxarent, necnon eciam ab exaccione censuum et reddituum huiusmodi omnino deinceps desisterent ac cessarent, alioquin in eos et quemlibet

eorum excommunicacionis sentenciam promulgares ipsosque mandares et faceres [illegible] excommunicatos publice nunciari; et licet huiusmodi monicio ad indubitatam noticiam marchionis, ducum, baronum, purgraviorum, militum, armigerorum, laicorum, presbyterorum, clericorum, personarum et complicium legitime pervenisset, tamen iidem marchio, duces, barones, burgravii, milites, armigeri, laici, presbyteri, clerici, persone et complices huiusmodi moniciones vilipensa de huiusmodi dampnis decano, capitulo, mense, rusticis, hominibus, villanis et subditis ipsis satisfacere sive alias monicioni predicte parere infra dictum terminum seu eciam postea minime curaverunt neque curant, propter quod tu, abbas prefate, eosdem marchionem, duces, barones, purgravios, milites, armigeros, laicos, presbyteros, clericos, personas et complices propter hoc ad tui presenciam legitime evocatos declarasti predictam excommunicacionis sentenciam damnabiliter incurrisse, ipsosque mandasti et fecisti excommunicatos publice nunciari;[2]) et quia predicti marchio, duces, barones, purgravii, milites, armigeri, laici, presbyteri, clerici, persone et complices in reprobum sensum dati mala malis continue cumulando huiusmodi sentenciam animis sustinuerunt induratis, tu, abbas prefate, eorundem marchionis, ducum, baronum, purgraviorum, militum, armigerorum, laicorum, presbyterorum, clericorum, personarum et complicum crescente contumacia omnia loca, in quibus moram traherent et ad que pro tempore declinarent, quamdiu ibidem morarentur, et per triduum post eorum abinde recessum interdicto ecclesiastico eciam vigore potestatis eiusdem supposuisti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefati marchio, duces, barones, purgravii, milites, armigeri, laici, presbyteri, clerici, persone et complices, huiusmodi censuras contempnentes, redire non curent ad ecclesie unitatem, ac eisdem decano et capitulo ac mense necnon rusticis, hominibus, villanis, habitatoribus, incolis et subditis extunc eciam multipliciter iniuriari eosque in bonis et rebus eorum huiusmodi dampnificare per amplius presumpserint et presumant . . . ., pro parte dictorum decani et capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut ipsis ac mense et rusticis, hominibus, villanis, habitatoribus, incolis et subditis prefatis super hoc de oportuno remedio providere de speciali gracia dignaremur. Nos igitur attendentes, quod non est hominum maliciis indulgendum, ac eisdem decano et capitulo in premissis de efficacis defensionis [d]) auxilio succurrere cupientes, et huiusmodi supplicacionibus inclinati, necnon huiusmodi processus per te, abbatem prefatum, factos auctoritate apostolica tenore presencium approbantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . legitimis per te, abbatem prefatum, super hiis habitis servatis processibus, eos, quo ciens expedierit, aggravetis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; et si predicti marchio, duces, barones, purgravii, milites, armigeri, laici, presbyteri, clerici, persone et complices et alii in premissis culpabiles, et quos processus ipsi concernent, citaciones, moniciones et processus per vos super hiis habendos forte contempserint, vos eciam ad alia iuris remedia oportuna, scilicet penas convenientes, eciam per privaciones feudorum et bonorum, que a dicta Olomucensi et a quibuscumque aliis ecclesiis obtinent, et alias iuris coherciones, de quibus vobis videbitur, contra eosdem marchionem, duces, barones, purgravios, milites, armigeros, laicos et complices ac culpabiles eadem auctoritate nostra ulterius procedendi, presbyteros vero ac clericos et personas predictos, si ipsorum contumacia

et rebellio hoc exegerit, omnibus beneficiis ecclesiasticis, que obtinent, privandi et ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica per eos obtinenda inhabilitandi, ac eciam citaciones, moniciones et processus huiusmodi per vos super hiis habendos in locis publicis et vicinis eisdem citatis et monitis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad citatorum et monitorum huiusmodi noticiam valeant pervenire, quociens opus fuerit, per edictum publicum affigendi et publicandi plenam et liberam auctoritate prefata tenore presencium concedimus facultatem . . . . ; non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri tam de una et de duabus dietis in concilio generali ac de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Julii a. decimo.

R. Lat. 110 fol. 301[a] – [a]) ‚sacramentum' cod. [b]) suppletum ab editore. [c]) ‚promulgaret, ipsosque mandaret et faceret' cod. [d]) ‚offensionis' cod. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRICARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. – [1]) Cf. nr. 761. [2]) Litteras abbatis Scotorum ddto. 1399 Mart. 4 vide in Cod. dipl. Mor. XII p. 452 nr. 523 et 524; cf. Wolny, Excommunication des Markgr. Procop. Archiv für österr. Gesch. VIII, 1852.

1477. *‚Ad perpetuam rei memoriam. Decernit consuetudinem et statuta optandi inter canonicos ecclesiae s. Petri in Budissin Misnensis dioc. in suo firmitatis robore permanere; non obstantibus etc. Datum Romae ap. S. Petrum calendis Julii a. X.'*

Romae, 1399 Julii 1.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro 4° de exhibitis, diversis formis, fructibus percipiendis, litteris dominorum cardinalium a. decimo fol. 153" in codice Vatic. 6952 fol. 228[a] continetur.

1478. *Episcopo Tudensi mandatur, quatenus quasdam litteras in causa inter Bertoldum de Camen et Johannem Isneri per eundem Johannem productas in curia Romana in formam publicam transsumi faciat.*

Romae, 1399 Julii 4.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . Bertoldi de Camen rectoris parrochialis ecclesie in Wansow Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse Bertoldus in causa, contra eum per . . . . Johannem Isneri, qui se gerebat pro canonico ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, super percepcione omnium decimarum ‚maldratarum' nuncupatarum, proveniencium ex fructibus bladorum excrescencium in Hermanniuilla et in Tempilfelt villis in dicta diocesi consistentibus, que percepcio decimarum ad dictam parrochialem ecclesiam et eius rectorem pro tempore existentem legitime pertinet, et super quibus quidem decimis dictus Johannes prebendam, quam in ipsa ecclesia s. Egidii se habere asserebat, auctoritate ordinaria fundatam et creatam fuisse ipsamque percepcionem decimarum propterea ad se racione eius-

dem prebende spectare pretendebat, mota et in palacio apostolico ex commissionibus apostolicis aliquamdiu ventilata, unam pro se et contra dictum Johannem, per quam inter cetera fundacio et creacio dicte prebende super ipsis decimis facte, ut prefertur, nulle et invalide declarate fuerunt, diffinitivam sententiam, que eciam postmodum nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, reportaverit, et auctoritate nostra per te huiusmodi diffinitiva sentencia est execucioni demandata, quantum in te fuit, processibus a te concessis eidem Johanni intimatis, et in huiusmodi causa certe patentes littere, per quas dicta prebenda super huiusmodi decimis auctoritate ordinaria, ut prefertur, fundata et creata dicebatur, producte et exhibite fuerint, sicque ipsi Bertoldo et successoribus suis, rectoribus dicte parrochialis ecclesie, qui erunt pro tempore, ad maiorem, cautelam et securitatem, ne inantea occasione earundem litterarum molestentur et pro dicte ecclesie interesse et rebus iuribusque eius habitis, debitis, adipiscendis, conservandis et tuendis secundum tenorem litterarum earundem, que, ut a nonnullis asseritur, per dictum Johannem seu eius aut cuiuscunque alterius proprio vel alieno nomine conservantur, [necessarium sit] autenticum habere exemplum: [quare] pro parte ipsius Bertoldi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. [1] Nos igitur . . . . fraternitati tue . . . mandamus, quatinus per te vel alium seu alios easdem litteras per dictum Johannem seu quemcunque vel quoscunque alium seu alios eas habentem seu habentes in curia Romana vel alias, ubicunque expedierit, facias auctoritate nostra publice et legitime exhiberi et in formam publicam et autenticam nomine dicte parrochialis ecclesie et eius rectoris pro tempore existentis ad perpetuam rei memoriam, servatis circa hoc servandis iuris solemnitatibus vel stili, redigi et transsumi et omnia facias, que circa premissa fuerint oportuna, ... Datum Rome ap. S Petrum quarto nonas Julii a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 19[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1] Cf. Heyne, Dokumentirte Geschichte des Bisthums und Hochstiftes Breslau, Bd. II. p. 523—5.

1479. *Episcopo Anconitano et decano ecclesiae Pragensis ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Kaplicz[a]) clerico Pragensis dioc. parrochialem ecclesiam in Solnicz dictae dioc., cuius fructus 10 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per obitum ultimi rectoris Veliconis, qui extra Romanam curiam decessit, vacantem, auctoritate apostolica conferant, non obstante, quod praefatus Johannes super parrochiali ecclesia ss Philippi et Jacobi Pragensi, cuius fructus 6 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, in palatio apostolico noscitur litigare, quam ecclesiam ss. Philippi et Jacobi, si eam interim evincat, ac omne ius sibi in ea competens dimittere teneatur, quamprimum dictam ecclesiam in Solnicz fuerit pacifice assecutus.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto idus Julii a. decimo.*“

Romae, 1399 Julii 10.

R. Lat. 70 fol. 124[a] [a]) Capliez — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1480. *Omnibus, qui ostensioni pepli b. Mariae in castro Krummau interfuerint, indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1399 Julii 12.

Bonifacius . . universis . . . . Etsi propheta docente dominum in sanctis suis laudare iubemur, in illa precipue, per quam humano generi eterna salus apparuit, gloriosa scilicet b. Maria semper virgine christifera, deum collaudare et benedicere eo crebrius convenit ac ipsius b. virginis reliquias a Christi fidelibus devocius venerari, quo ipsa virgo sacratissima almi redemptoris mater effecta meruit in celis pre ceteris sanctis sublimius honorari. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte . . . . nobilis viri Henrici baronis baronie de Rosemberg Pragensis diocesis peticio continebat, in capella eiusdem b. Marie virginis necnon ss. Marie Magdalene, Georgii et Adalberti sita in castro Crumpnaw dicte diocesis peplum, quod dicta virgo Maria stans sub cruce in suo sacratissimo capite tenebat, et in quo signa sacratissimi sanguinis ex aperto lancea latere eiusdem domini nostri Jesu Christi in ipsa cruce pendentis effusi manifeste apparent, in custodia sua conservetur, ipsumque peplum populorum multitudini, nedum de vicinis, verum eciam de longinquis partibus ad dictum castrum, in quo ipse Henricus domicilium habet, causa devocionis confluencium, in eodem castro solemniter ostendatur: nos cupientes, ut peplum ipsum, cum illud annis singulis in nativitatis, annunciacionis, purificacionis, assumpcionis, concepcionis, presentacionis et visitacionis ipsius b. Marie virginis, necnon in predictorum ss. Marie Magdalene, Georgii et Adalberti ac dedicacionis ipsius capelle festivitatibus in predicto castro ostendi contigerit, congruis honoribus veneretur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in predictis festivitatibus, dum ipsum peplum ostendetur, ut prefertur, huiusmodi ostensioni devote interfuerint, singulis videlicet festivitatum predictarum, quibus ipsos eidem ostensioni causa devocionis interesse contigerit, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Julii pont. n. a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 95ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO — Ed. ap. Balbin, Miscellanea dec. I lib. VI p. 127 nr. 82 cum pluribus erroribus et cum data ‚idibus Julii'.

1481. *Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus, si Petrum [de Nemoticz] manus in presbyterum quendam iniecisse invenerit, beneficiis ecclesiasticis eum privet*

Romae, 1399 Julii 27.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi . . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod Petrus Blasii rector parrochialis in Durchholcz ac capelle s. Michaelis site in cimiterio parrochialis in Pozoricz ecclesiarum Olomucensis diocesis maligno spiritu ductus in . . . . Petrum fratrem domus in Antiqua Brunna dicte diocesis hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in presbyteratus ordine constitutum manus

iniecit dei timore postposito usque ad sanguinis effusionem ausu sacrilego temere violentas, sentenciam excommunicacionis damnabiliter incurrendo, et huiusmodi sentencia sic ligatus in contemptum clavium divinis se immiscuit officiis eaque publice celebravit seu verius prophanavit. Nos attendentes, quod veris existentibus premissis, prefatus Petrus eisdem parrochiali ecclesia in Durnholcz et capella, quas obtinebat tunc, prout obtinet, reddidit se indignum, fraternitati tue .... mandamus, quatinus vocatis dicto Petro et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi inveneris ita esse, prefatum Petrum dictis parrochiali ecclesia in Durnholcz et capella eadem auctoritate sentencialiter prives eumque amoveas realiter ab eisdem, prout de iure fuerit faciendum .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 84c — Supra in marg. sin. P. DE ZAMBECCARIIS; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

***1482**. Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus, si Petrum [de Nemoticz] eius beneficiis ecclesiasticis sententialiter privaverit, beneficia ipsa Nicolao de Hradistė conferat.*

Romae, 1399 Julii 27.

Bonifacius .... episcopo Olomucensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Nicolaus Stephani de Redisch rector parrochialis ecclesie in Mieslaws Olomucensis diocesis .... commendatur .... nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Hodie siquidem ad audienciam nostram deducto, quod Petrus Blasii rector parrochialis in Durnholcz ac capelle s. Michaelis site in cimiterio parrochialis in Pozoricz ecclesiarum dicte diocesis .... in .... Petrum fratrem domus in Antiqua Brunna dicte diocesis hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in presbyteratus ordine constitutum manus iniecerat .... usque ad sanguinis effusionem ...., nos .... tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut, ... si .... invenires ita esse, prefatum Petrum dictis parrochiali ecclesia in Durnholcz et capella ... sentencialiter privares ....[1] Nos igitur .... fraternitati tue .... mandamus, quatenus, si per te prefatum Petrum dictis parrochiali ecclesia in Durnholcz et capella sentencialiter privari et ab iis amoveri contingeret, ut prefertur, parrochialem ecclesiam in Durnholcz et capellam predictas, que quidem capella sine cura est, et quorum omnium fructus .... triginta duarum marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Nicolao predicta auctoritate conferas et assignes ....: non obstantibus .... quod dictus Nicolaus predictam parrochialem ecclesiam in Mieslaws, cuius duodecim, obtinet, et super altari s. Catherine sito in parrochiali ecclesia de Gostel, cuius quatuor, necnon super capella s. Petri in Znoma, cuius sex marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt, in palacio apostolico litigat,[2] et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie s. Petri in Brunna dicte diocesis per alias nostras litteras graciose duximus providendum. Volumus autem,

quod idem Nicolaus, quamprimum . . . . predictam parrochialem ecclesiam in Durnholcz fuerit pacifice assecutus, predictam parrochialem ecclesiam in Mieslaws . . . . omnino, prout eciam ad id ipse Nicolaus se sponte obtutit, dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 84b — In fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 1481. — [2]) Cf. nr. 1448.

1483. *Cum Conrado Kepler[a]; clerico Pragensis dioc., magistro in artibus, motu proprio dispensatur, ut beneficium ecclesiasticum curatum, etiam si dignitas vel personatus seu curatum officium in metropolitana vel cathedrali aut collegiata, et dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, recipere et una cum parrochiali ecclesia in Znojma[b]) Olomucensis dioc., quam obtinet, quoad vixerit, retinere, ac ecclesiam et beneficium huiusmodi toties, quoties ei placuerit, pro aliis beneficiis ecclesiasticis permutare possit.* „*Litterarum sciencia*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto nonas Augusti a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 2.

R. Lat. 67 fol. 229a — a) ‚Kaplar‘ b) ‚Znoyma‘. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1484. *Cum Conrado Kepler rectore parrochialis ecclesiae in Znojma[a]) Olomucensis dioc., qui dumtaxat clericus effectus existit, dispensatur, ut ratione dictae parrochialis ecclesiae usque ad quinquennium a data praesentium computandum ad subdiaconatus seu alios sacros ordines promoveri minime teneatur.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Augusti a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 5.

R. Lat. 67 fol. 229b — a) ‚Znoyma‘ — In marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1485. *Episcopo Tudensi et praeposito ac decano ecclesiae Pataviensis mandatur, quatenus magistro Johanni Vulpis canonico Frisingensi, scriptori et familiari apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori, parrochialem ecclesiam in Taufkirchen Pataviensis dioc., cuius fructus 20 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, et quam, vacantem per liberam resignationem Venceslai Thiem in manibus Georgii episcopi Pataviensis extra Romanam curiam sponte factam, idem episcopus auctoritate ordinaria ei contulit, auctoritate apostolica conferant.* „*Grata dilecti*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Augusti a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 12.

R. Lat. 63 fol. 273a — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1486. *Venceslaus dictus Hostka canonicus monasterii Strahoviensis Pragensis praemonstratensis ord. in apostolicae sedis capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Septembris a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 18.

R. Lat. 68 fol. 64[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1487. *Nicolao de Volavia familiari apostolico providetur motu proprio de canonicatu et praebenda ecclesiae Pataviensis, quorum fructus 20 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantibus per liberam resignationem Pilei episcopi Tusculani apud sedem apostolicam factam.* „*Grata tue familiaritatis*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal Septembris a. decimo.*“ — *Simili modo Tudensi et Olomucensi episcopis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1399 Augusti 21.

R. Lat. 64 fol. 1[a] – Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1488. *Petro Gast de Regenwalde*[a]) *canonico monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo kal. Septembris a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 26.

R. Lat. 68 fol. 181[a] — [a]) ‚Rechinwalde‘. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1489. *Johannes Gretzer monachus monasterii in Oybin*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. secundum instituta b. Petri Confessoris viventium in sedis apostolicae cappellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo kal. Septembris a. decimo.*“

Romae, 1399 Augusti 31.

R. Vat. 316 fol. 202[b] cum his notis in fine: (sin.) XX, M. DE CHERUBINIS, JO. VULPIS: (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) Jo. VULPIS. Iterum registratum in R. Lat. 68 fol. 65[b], ubi in fine adscriptum est: N. XX DE BENEVENTO. — [a]) ‚Owyn‘.

1490. *Nicolaus de Predboricz absolvitur a quibuscunque sententiis, censuris et poenis, quas forsan incurrit.*

Romae, 1399 Septembris 1.

Bonifacius . . . . Nicolao Przibislai de Przieđborzicz clerico Pragensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu tam pro eo, quod ad instanciam quorundam creditorum tuorum pro pecuniario debito (*sic*), quam aliis de causis times te diversas excommunicacionis et interdicti sentencias tam a iure quam ab homine ac in provincialibus et synodalibus statutis in tales promulgatas incurrisse, teque propterea irregularitatis et inhabilitatis maculam sive notam incurrisse, quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi ac statui tuo super hoc salubriter et ad cautelam providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . te a premissis et quibuscunque aliis excommunicacionum, suspensionum et interdicti sentenciis ac censuris et penis, eciam in te sponte a quocunque iudice receptis, et aliis, si quas forsan premissorum vel quacunque alia occasione incurristi, quorum eciam qualitates et circumstancias ac creditorum huiusmodi nomina et cognomina presentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica ex certa sciencia de apostolice potestatis plenitudine absolvimus, inhabilitatis, irregularitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam eadem auctoritate penitus abolemus, teque in statum pristinum et alias in integrum plenarie restituimus, et nichilominus tibi, quod honoribus, beneficiis et sentenciis tam interlocutoriis quam diffinitivis per te interim quomodolibet acquisitis perinde uti et gaudere libere et licite valeas, ac si premissa tibi minime obstetissent, concedimus per presentes. Volumus autem, quod lesis et iniuriam passis ac creditoribus tuis huiusmodi, si qui sint et te super hoc debite requisiverint, infra unum annum a die requisicionis huiusmodi computandum satisfacias, alioquin in easdem sentencias et penas eo ipso relabaris, constitucionibus apostolicis et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Septembris a. decimo.

R. Lat. 69 fol. 236[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1491. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in fratrem Johannem Gretzer monachum monasterii in Oybin*[a]) *ord. s Benedicti Pragensis dioc. secundum instituta b. Petri Confessoris viventium ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit. „Rome [ap. S. Petrum], indiccione VII, die quinta mensis Septembris.“*

Romae, 1399 Septembris 5.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 83[a] — [a]) ‚Owyn‘. — Cf. nros. 297 et 1489.

1492. *Constitutio Urbani papae V. atque statutum et ordinatio provincialis concilii Maguntinensis et synodalium conciliorum Olomucensium contra oppressores et spoliatores personarum ecclesiasticarum lata ad marchionem Moraviae, magistros civium, iudices, iuratos, scabinos ac rectores civitatis Olomucensis prae-*

sentes et posteros, qui decanum et capitulum ecclesiae Olomucensis banire et proscribere, et ad marchiones, duces, comites, barones et alios quoscunque, qui colonos vel censuarios sive redituarios, villicos, rusticos, homines et subditos dictorum decani et capituli male tractare seu bonis spoliare praesumpserint, extenduntur, mandaturque episcopo Litomyślensi, abbati Scotorum in Vienna ac praeposito s. Mariae in Sternberg monasteriorum Pataviensis et Olomucensis diocesium, ut ertensionem huiusmodi solemniter publicent eamque observari faciant. „Dudum siquidem" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Septembris a. decimo."

Romae, 1399 Septembris 8.

R. Lat. 67 fol. 280a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — Ed. ex orig. in Cod. diplom. Moraviae XII p. 492 nr. 554

1493. *Ecclesiam monasterii Cladrubensis visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1399 Septembris 8.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii b. Marie virginis in Cladroua Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis nativitatis eiusdem b. Marie virginis et per octo dies inclusive ipsam festivitatem immediate sequentes devote visitaverint annuatim, et ad huiusmodi conservacionem manus prompcius porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi annuatim predicta auctoritate quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . abbati dicti monasterii pro tempore existenti et octo aliis presbyteris vel pluribus tam secularibus quam religiosis ydoneis per eundem . . abbatem annuatim eligendis, ut confessiones omnium et singulorum Christi fidelium in festivitate et per octo dies predictos ad eandem ecclesiam confluencium . . . . eadem auctoritate audire et . . . . debitam eis absolucionem impendere valeant ac iniungere pro modo culpe penitenciam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter que sit sedes apostolica merito consulenda, eadem auctoritate . . . . indulgemus, presentibus perpetuis temporibus duraturis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Septembris a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 75a — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1494. *Nobili viro Vznatae[a]) dicto Hecht de Rosicz armigero et Jitcae[b]) eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. decimo"*

Romae, 1399 Septembris 24.

R Lat. 68 fol. 182b — a) ‚Wznathe' 1) ‚Gyttke'. — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1495. *Episcopo Anconitano mandatur, quatenus Alberto Creyenberg et Henrico Goethals quaedam beneficia ecclesiastica, quae invicem desiderant permutare, conferat.*

Romae, 1399 Septembris 29.

Bonifacius . . . . Guillermo episcopo Anconitano in Romana curia commoranti . . . . Apostolice sedis circumspecta . . . . Cum itaque . . . . magister Albertus Creyenberch scriptor et familiaris noster parrochialem ecclesiam in Borleys Leodiensis diocesis et Henricus Goethals preposituram ecclesie b. Marie in Wolframskirchen Olomucensis diocesis, quas obtinent, desiderent . . . . invicem permutare, nos votis ipsorum Alberti, qui eciam, ut asseritur, litterarum apostolicarum abbreviator, et Henrici, qui magister in artibus et bacallarius in sacra pagina existunt, in hac parte favorabiliter annuentes, fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus ab eisdem Alberto et Henrico vel ipsorum procuratoribus . . . . resignaciones ecclesie parrochialis et prepositure predictarum . . . . auctoritate nostra . . . . recipias et admittas, ac huiusmodi resignacionibus per te receptis et admissis, preposituram, cuius triginta, Alberto et ecclesiam parrochialem predictas, cuius eciam triginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., Henrico prefatis auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod Albertus archidiaconatum in Aschersleue et officium ‚divisionis administracionis' nuncupatum in Halberstadensi, quorum viginti quatuor, ac nonnullos redditus elemosinares, clericis secularibus in perpetuum beneficium ecclesiasticum assignari consuetos, in parrochiali ecclesia b. Marie Wismariensi Razeburgensi diocesis, quorum quatuor, et altare s. Leonardi situm in Nuemburgensi eccl. is, cuius quinque, obtinet, et super quo necnon Halberstadensis ac Buczowensis . . . . canonicatibus et maioribus prebendis, quorum viginti octo, in palacio apostolico litigat, et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende b. Marie Erfordensis ecclesiarum Zwerinensis et Maguntinensis diocesium per alias nostras litteras graciose duximus providendum, et Henricus prefati in Magdeburgensi et in Leodiensi ac in s. Donaciani Brugensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac parrochialem ecclesiam in Gorsheim Tornacensis et dicte Leodiensis diocesium, quorum omnium centum et quadraginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Nos enim cum Alberto, ut preposituram, ac Henrico prefatis, ut ecclesiam in Borleys predictas recipere, et Henricus ecclesiam in Borleys una cum ecclesia in Gorsheim, ac Albertus prefati preposituram illas una cum archidiaconatu predictis, quoad vixerint, retinere, illosque simul vel successive ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens eis et cuilibet eorum placuerit, dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . ecclesiastica, quilibet Alberti et Henrici predictorum duo tantum incompatibilia, eciam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus vel officia in metropolitanis vel cathedralibus maiores post

pontificales vel collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad illas, illos seu illa consueverint qui per electionem assumi, recipere et insimul, eciam quoad vixerint, retinere . . . . valeant, ... auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Octobris a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 13[illegible] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO SOCIO PRO MEDIETATE, N. DE BENEVENTO.

1496. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Bohunkoni de Bítov praebendam in ecclesia ss. Cosmae et Damiani in Antiqua Boleslavia vacantem, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit, conferat.*

Romae, 1399 Septembris 30.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Bohunconis Johannis de Bittow canonici ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie ss. Cosme et Damiani in Antiqua Boleslauia Pragensis diocesis, quos quondam Gallus ipsius ecclesie canonicus . . . . obtinebat, per eiusdem Galli obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Bohunco tunc canonicatum et aliam prebendam in dicta ecclesia obtinens, predictam prebendam sic vacantem, prout iuxta consuetudinem eiusdem ecclesie poterat, infra tempus legitimum optavit, priori sua prebenda omnino dimissa, ipseque Bohunco predictam optatam prebendam huiusmodi opcionis vigore assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . prefatus Bohunco dubitet opcionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes prefatum Bohunconem, qui presbyter est, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Bohunconem ad hoc ydoneum esse reppereris . . . ., optatam prebendam predictam, cuius necnon canonicatus eiusdem ecclesie fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, prefato Bohunconi . . . . auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., seu quod ipse Bohunco, ut asserit, in dicta ecclesia s. Petri auctoritate ordinaria in canonicum est receptus, ac in eadem altare s. Dorothee, et parrochialem ecclesiam in Wozicz diocesis predicte, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere.[a] Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Octobris a. decimo

R. Lat. 63 fol. 262[a] — [a] „quod — obtinere“ adscriptum in margine cum nota: „Correctum de mandato die V[o] mensis Marcii anno undecimo, N. de Benevento.“ — Supra in marg. sin. A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

1497. *Cum Nicolao de Borsnicz dispensatur, ut archidiaconatum Olomucensis et scholastriam Vratislaviensis ecclesiarum aut duo alia beneficia incompatibilia, quoad vixerit, simul retinere possit.*

Romae, 1399 Octobris 1.

Bonifacius . . . . Nicolao de Borsnicz scolastico ecclesie Wratislauiensis . . . . Nobilitas generis . . . . Volentes igitur te, cum quo alias, ut asseritur, quod archidiaconatum Olomucensis, qui dignitas est, recipere et una cum scolastria Wratislauiensis ecclesiarum, que eciam dignitas existit, quos obtines, usque ad certum tempus tunc expressum et nondum elapsum retinere libere et licite valeres, fuit apostolica auctoritate dispensatum, ... favoribus prosequi graciosis, motu proprio . . . . tecum, ut archidiaconatum et scolastriam predictos aut duo alia beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales vel in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad eas consueverint qui per eleccionem assumi . . ., libere recipere, et quoad vixeris, retinere ac archidiaconatum et scolastriam seu alia duo incompatibilia beneficia huiusmodi simul vel successive ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et eciam, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, ... auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 215a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO ‚C[ANCELLARIA]'; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1498. *Antonio episcopo Concordiensi in Romana curia commoranti motu proprio [per litteras in registro cancellatas] mandatur, quatenus recepta resignatione, quam Henricus tituli s. Anastasiae presbyter cardinalis de canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis facere proponit, eosdem canonicatum et praebendam, quorum fructus viginti quinque marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, Hermanno de Borsnicz canonico ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis, qui ex utroque parente de militari genere procreatus existit, auctoritate apostolica conferat. „Nobilitas generis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. decimo.“*

Romae, 1399 Octobris 1.

R. Lat. 64 fol. 27a — In marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]: in fine: N. XXVIII DE BENEVENTO. — In margine etiam adscriptum est: CANCELLATA DE MANDATO, QUIA IN LIBRO SECUNDO DE REGULARIBUS FOL. CCLV PER MODUM PERMUTACIONIS DE NOVO REGISTRATA, N. DE BENEVENTO. Alia copia autem in registris non est reperta.

1499. *Judicibus mandatur, quatenus Mathiae Smit canonicatum et praebendam ecclesiae Budissinensis conferant.*

Romae, 1399 Octobris 8.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Magdeburgensi et Misnensi ac Lubucensi episcopis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Mathias Smyt canonicus Lubucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis diocesis, quos quondam Johannes Punczelini . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Mathias vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas inter cetera canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat,[1]) eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi fecit provideri, ipseque Mathias predictos canonicatum et prebendam . . . . extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Mathias dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., fraternitati vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Mathie . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Mathias, ut asserit, canonicatum et prebendam ac preposituram ecclesie Lubucensis, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Octobris a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 172ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1332.

1500. *Tudensi et Culmensi*[a]) *episcopis ac praeposito ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Paulo Andreae de Olewyno*[b] *clerico Gneznensi dioc. parrochialem ecclesiam in Czirkewicz*[1]) *dictae dioc., auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Octobris a. decimo.*“

Romae, 1399 Octobris 8.

R. Lat. 67 fol. 222ᵇ — [a]) Cholmensi – In fine N. XX DE BENEVENTO. – [1]) Zirkwitz in reg. Marienwerder?

1501. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Ulrico de Radnicz parrochialem ecclesiam in Vrbčan conferat.*

Romae, 1399 Octobris 9.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcumque collectorum et succollectorum . . . . camere apostolice . . . . tunc vacancia et in antea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attem-

ptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Wrbiczan Pragensis diocesis, quam quondam Nicolaus Caluus . . . . obtinebat, per ipsius Nicolai obitum, qui fructuum et proventuum eidem camere in provincia Pragensi debitorum collector existens et dictam ecclesiam obtinens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos volentes . . . . Vlricum Chole de Radnycz presbyterum dicte diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Vlricum . . . . ad dictam ecclesiam obtinendum ydoneum esse reppereris, ... ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Vlrico auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Octobris a. decimo.

R. Lat. 70 fol. 127b — In fine: PRO NEPOTE SCRIPTORIS, N. DE BENEVENTO.

1502. *Judicibus mandatur, quatenus Artlebo de Turri praebendam in ecclesia Olomucensi vacantem, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit, conferant.*

Romae, 1399 Octobris 16.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati Gradicensis ac preposito in Sternberg per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis monasteriorum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Artlebus de Turri canonicus Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Artlebi peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Sanderus de Rambaw . . . . obtinebat, per ipsius Sanderi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Artlebus alios canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie tunc obtinens, huiusmodi sua prebenda per eum prius libere et omnino dimissa, dictam prebendam sic vacantem, prout iuxta consuetudinem ipsius ecclesie poterat, infra tempus legitimum optavit, ipsamque vigore opcionis huiusmodi assecutus, eam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . idem Artlebus dubitet opcionem predictam per ipsum factam . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prebendam predictam per ipsum Artlebum, ut premittitur, optatam, cuius et canonicatus eiusdem ecclesie fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Artlebo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Artlebus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie s. Sebastiani Magdeburgensis ac parrochialem ecclesiam in Vgesd Olomucensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 117b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1503. *Venceslao episcopo Vratislaviensi mandatur, quatenus Gunthero de Prato quaedam beneficia ecclesiastica Vratislaviensis diocesis, auctoritate ordinaria ei collata, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Octobris 18.

Bonifacius . . . . Wenczeslao episcopo Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Guntheri de Prato rectoris altaris s. Marie Magdalene siti in capella curie episcopalis in Legenicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie s. Sepulchri dominici Legniczensis dicte diocesis, cui quidem prebende parrochialis ecclesia in Pilgryndorf eiusdem diocesis annexa existit, quos quondam Theodericus Somerfelt . . . . obtinebat, per ipsius Theoderici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, tu eosdem canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam sic vacantes eidem Gunthero auctoritate ordinaria contulisti et de illis eciam providisti, ipseque Guntherus eosdem canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam . . . . necnon altare sine cura b. Marie virginis situm in dicta ecclesia s. Sepulchri dominici, tunc eciam vacans, auctoritate predicta sibi collatum, fuit pacifice assecutus, illosque extunc tenuit et possedit, prout tenet [et] possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . dictus Guntherus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Guntherum bene legere, bene construere et bene cantare . . . . et alias ad eosdem canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam et altare b. Marie virginis obtinendum ydoneum esse reppereris . . . . canonicatum et prebendam, ecclesiam et altare b. Marie virginis prefatos, quorum omnium fructus . . . sexdecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, si vero dictus Guntherus non bene cantaret . . . ., dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum eosdem canonicatum et prebendam ac altare ydoneum esse reppereris . . . ., dumtaxat canonicatum et prebendam ac altare b. Marie virginis . . . . eidem Gunthero auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Guntherus, ut asserit, altare s. Marie Magdalene predictum, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim eidem Gunthero, ut canonicatum et prebendam ac altare b. Marie virginis predicta recipere et insimul retinere libere et licite valeat . . . ., concedimus per presentes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 63 fol. 108a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1504. *Auditori apostolico mandatur, quatenus ad omne ius Thomae [de Legnicz] in quodam altari ecclesiae s. Elizabeth Vratislaviensis competens, cui ipse Thomas cedere proponit, huiusmodi cessione recepta, Johannem Linke surroget.*

Romae, 1399 Octobris 18.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus Johannes Linke clericus Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Thomam quondam Martini dicti Gythan, qui se gerit pro presbytero Wratislauiensis diocesis, super altari Corporis Christi sito in ecclesia parrochiali s. Elizabeth Wratislauiensi, ad quod, tunc per obitum quondam Laurencii de Bregha ipsius altaris rectoris extra Romanam curiam defuncti vacans, Johannes se per veros patronos existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad dictum altare, dum vacat pro tempore, infra tempus legitimum presentatum et in rectorem ipsius altaris institutum fuisse, seque altare predictum . . . . assecutum fuisse canonice illudque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam possidere pacifice et quiete, dictumque Thomam se presentacioni, institucioni et assecucioni huiusmodi contra insticiam opposuisse et opponere . . . ., Thomas vero predicti prefatum altare ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis: nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad instanciam dicti Thome . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos citacionis actus inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . prefatus Thomas liti et cause huiusmodi ac omni iuri, si quod sibi in dicto altari seu ad illud quomodolibet competit aut competere potest, sponte ac libere cedere proponat, nos . . . . dicto Johanni, qui, ut asserit, in quinto decimo sue etatis anno et in minoribus duntaxat ordinibus constitutus existit . . . ., specialem graciam facere volentes, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eodem Thoma vel procuratore suo . . . . cessionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra . . . . recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, prefatum Johannem . . . . in iure et ad ius huiusmodi eadem auctoritate surroges . . . ., et nichilominus si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum Johannis et Thome predictorum in prefato altari seu ad illud ius habere, altare predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus tam pie memorie Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri quam aliis quibuscunque constitucionibus apostolicis necnon fundacione dicti altaris, in qua caveri dicitur, quod nullus ipsum altare obtinere valeat, nisi actu in sacerdocio constitutus existat, et aliis contrariis quibuscunque . . . . Nos enim cum dicto Johanne, ut racione dicti altaris ad sacerdocium seu aliquos sacros ordines promoveri minime teneatur nec ad id invitus a quoquam coartari valeat, fundacione predicta et aliis quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, ... dispensamus, proviso, quod altare ipsum debitis obsequiis non fraudetur, quodque prefatus Johannes, postquam ad etatem legitimam pervenerit, se faciat statutis a iure temporibus ad omnes sacros eciam presbyteratus ordines promoveri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 57b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1505. *Iacobus mandatur, quatenus litteras Caroli IV. Romanorum imperatoris magistro et fratribus hospitalis s. Francisci Pragensis 1355 Augusti 21 concessas, quae praesentibus confirmantur, observari faciant.*

Romae, 1399 Octobris 21.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi et . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis ac . . decano ecclesie Pragensis . . . . Ex superne prouidencia maiestatis Romanus pontifex in supreme specula dignitatis constitutus deuotarum personarum, presertim sub religionis observancia studio pie vite vacancium, honesta desideria et vota fauoris presidio prosequitur, et iis, que [pro] ipsarum personarum utilitatibus ac statu pacifico et tranquillo prouide facta sunt, ut illesa permaneant, libenter, cum ab eo requiritur, consuevit sue sollicitudinis apponere partes. Dudum, cum omnipotens deus, qui alto prouidencie sue consilio cuncta disponit, cor et animum quondam Agnetis clare memorie Wenceslai Boemie regis quarti germane, monialis monasterii s. Francisci Pragensis ord. s. Clare, tanto caritatis igne succendisset, quod in ipso monasterio se ipsam Christo in odorem suauitatis offerret ac pietatis intuitu ad opus infirmorum et pauperum hospitale s. Francisci Pragense ord. s. Augustini faceret et dotaret, fel. rec. Gregorius papa nonus predecessor noster ipsius Agnetis sanctum propositum prosequens et apostolico patrocinio confouens, ad preces eiusdem Agnetis hospitale ipsum per suas litteras in ius et proprietatem b. Petri et sub sua et sedis apostolice protectione suscepit ac earundem litterarum priuilegio communiuit, statuens, ut ordo canonicus, qui secundum deum et b. Augustini regulam in eodem hospitali de mandato ipsius predecessoris institutus esse dinoscebatur, perpetuis inibi temporibus inviolabiliter observaretur, quodque quecunque possessiones et bona, que idem hospitale tunc iuste et canonice possidebat aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum oblacione fidelium vel aliis iustis modis prestante domino adipiscetur, dilectis filiis magistro et fratribus eiusdem hospitalis, qui tunc erant, et eorum successoribus firma et illibata permanerent, quodque de illis, inter que idem predecessor hec duxit propriis vocabulis exprimenda, scilicet locum seu fundum, in quo idem hospitale situm est, cum omnibus pertinenciis suis, villam Hlupyetyn cum omnibus villis ad eam pertinentibus, videlicet Humencze et Radosycz (*sic*), villam Boroticz cum omnibus villis ad eam pertinentibus, videlicet Supanowicz et Drahtenticz, villam Rybynie (*sic*) cum suis pertinenciis, villam Rokysicz cum omnibus pertinenciis suis et alias possessiones suas cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et piscinis in boschyo et in plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis cum omnibus libertatibus et immunitatibus suis, sive noualium ipsorum, que propriis manibus et sumptibus colerent, de quibus aliquis nondum aliquid receperat, sive de ortis, virgultis et piscacionibus eorum seu de[a] eorum animalium nutrimentis nullus ab ipsis decimas exigere vel extorquere presumeret;[b] liceret quoque ipsis magistro et fratribus personas liberas et absolutas, a seculo fugientes, ad conseruacionem recipi et eas absque contradiccione aliqua retinere: prohibens insuper, ut nulli fratrum dicti hospitalis post factam in eodem hospitali professionem phas esset de hospitali ipso nisi arcioris religionis obtentu discedere, discedentem absque communium litterarum ipsorum magistri et fratrum cautione nullus auderet

retinere; cum autem generale interdictum terre foret, liceret ipsis magistro et fratribus clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo ipsi magister et fratres causam non darent interdicto; pro consecracionibus vero altarium sive pro oleo sancto vel alio ecclesiastico sacramento nullus ab ipsis magistro et fratribus sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam auderet extorquere, sed hec omnia episcopus diocesanus eis gratis impenderet; alioquin liceret ipsis ea recipere a quoquam vellent catholico episcopo graciam et communionem sedis apostolice obtinenti; si vero interdum,[c]) dum diocesani episcopi copiam non haberent, aliquem alium episcopum dicte sedis graciam et communionem habentem, de quo tamen plenam noticiam haberent, illic venire contingeret, ab eo benedicciones vasorum et vestium, consecraciones altarium seu basilicarum, ordinaciones clericorum, qui ad ordines forent promovendi, recipere valerent; obeunte vero magistro hospitalis, qui tunc erat, nullus inibi quacunque surrepcionis astucia seu violencia preponeretur, nisi quem dicti fratres communi consensu vel ipsorum fratrum maior pars consilii sanioris secundum deum et b. Augustini regulam providerent eligendum; libertates preterea et immunitates ipsis magistro et fratribus per dictum regem seu alias per diocesanum loci concessas auctoritate apostolica confirmando. Nichilominus inhibuit idem predecessor, ne quis archiepiscopus, episcopus vel prelatus alius in hospitale predictum vel regulares personas inibi domino famulantes excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentenciam haberet promulgare, quam contra prohibicionem huiusmodi latam decrevit non tenere; ac idem predecessor volens paci et tranquilitati ipsorum magistri et fratrum paterna sollicitudine providere, auctoritate predicta prohibuit, ut infra clausuras locorum dicti hospitalis nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violenciam auderet exercere. Decrevit ergo, ut nulli omnino hominum liceret prefatum hospitale temere perturbare aut eius possessiones aufferre vel ablatas retinere, iniuriis quibuslibet fatigacionibus fatigare, sed omnia integre conservarentur eorum, pro quorum gubernacione et sustentacione concessa essent, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate; ad indicium autem huiusmodi percepte a sede apostolica liber[t]atis predicti magister et fratres unum bisancium ipsi predecessori suisque successoribus Romanis pontificibus annis singulis persolverent; quodque, si qua ecclesiastica secularisve persona huiusmodi constitucionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaret, secundo terciove commonita, nisi reatum suum congrua satisfaccione corrigeret, potestatis honorisque sui careret dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognosceret et a sacratissimo corpore ac sanguine dei domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fieret atque in extremo districte subiaceret ulcioni; cunctis autem eidem hospitali sua iura servantibus esset pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone accionis perciperent et apud districtum iudicem premia eterne pacis invenirent, prout in ipsis litteris plenius continetur.[1]) Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte magistri et fratrum dicti hospitalis peticio continebat, prefatus rex dudum antea eisdem magistro et fratribus ac hospitali nonnulla libertates, immunitates,[d]) privilegia, exempciones et gracias cum certis promissionibus, obligacionibus, inhibicionibus et aliis clausulis[e]) pro se suisque

successoribus in perpetuum per suas litteras regias concessit;[2]) ac deinde idem rex tam prefata in dictis predecessoris litteris contenta quam omnia et singula villas, possessiones, ecclesias, fora, theolonia, silvas, prata, pascua, domos, molendina, aquas, piscaciones, oblaciones, decimas, predia rustica vel urbana et alia bona mobilia et immobilia, per ipsum regem seu per magnifice memorie Constanciam reginam Boemie, ipsius regis genitricem, vel per prefatam Agnetem aut per quondam Przemisl marchionem Morauie, germanum, seu per quondam Przemisl ducem Austrie, natum regis eiusdem, vel per quemcunque alium fidelem regni Boemie prefatis magistro et fratribus collata, eisdem magistro et fratribus per certas alias suas litteras confirmavit eaque et nonnulla alia bona eisdem magistro et fratribus eciam concessit imperpetuum possidenda, quas quidem confirmacionem et concessionem ipsius regis quondam Ottakarus eiusdem regis natus rata habens, supradicta bona omnia imperpetuum bona voluntate per easdem ultimas ipsius Wenceslai regis litteras confirmavit magistro et fratribus antedictis, adiecta eciam quadam per bone memorie Nicolaum episcopum Pragensem prohibicione, ne quisquam predictum hospitale in rebus aut personis auderet quomodolibet molestare.[3]) Postmodum autem inclite recordacionis Carolus quartus Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, considerans pium devocionis amorem, quo Wenceslaus rex et Constancia regina, progenitores eius, ac Ottakarus et Agnes prefati predictum hospitale prosecuti fuerant, cupiensque eorum sequi vestigia, quecunque privilegia, indulta, gracias, libertates, immunitates, incorporaciones et exempciones ac omnia alia et singula ipsis magistro et fratribus ac hospitali in dictis ipsius Wenceslai regis litteris concessa et confirmata per suas patentes litteras, quibus easdem litteras dicti Wenceslai regis de verbo ad verbum inseri fecit, innovavit, approbavit, ratificavit ac de novo de speciali sua munificencia ex certa sciencia magistro ac fratribus ac hospitali concessit antedictis eisque nonnulla alia hospitalia, ecclesias, capellas et villas cum iuribus et pertinenciis suis incorporavit ac voluit, quod eadem alia hospitalia, ecclesie, capelle et ville omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus, privilegiis, exempcionibus et graciis prefato hospitali s. Francisci, ut prefertur, concessis, eciam g[a]uderent et uterentur, certis censuris et penis ad hec adiectis, prout hec omnia in ipsis patentibus litteris ipsius Caroli imperatoris et regis sigillo munitis, quibus, ut prefertur, prefate littere dicti Wenceslai regis de verbo ad verbum inserte sunt, plenius continentur. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, plerumque contingit dictos magistrum et fratres in personis et bonis ad eos et dictum hospitale pertinentibus contra libertates, immunitates, privilegia, exempciones et gracias ipsis tam per Gregorium predecessorem nostrum quam reges predictos, ut prefertur, concessas impediri, molestari ac gravia dampna, iniurias et incomoda irrogari, pro parte eorundem magistri et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessionibus, confirmacionibus, libertatibus, immmunitatibus, privilegiis, exempcionibus, incorporacionibus et graciis ac omnibus et singulis aliis in dictis litteris regis contentis robur apostolice confirmacionis adiicere ac libertates, immunitates, privilegia, incorporaciones, exempciones et gracias ac omnia et singula alia eisdem magistro et fratribus ac hospitali per Gregorium predecessorem nostrum quam reges predictos, ut prefertur, concessa tam sub in eorundem predecessoris et aliis imperatoris et regis litteris contentis quam

aliis penis [et] censuris inviolabiliter observari et confirmari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos volentes dictos magistrum et fratres ob sincere devocionis affectum, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobantur, favoribus prosequi graciosis, huiusmodi supplicacionibus inclinati, concessiones, confirmaciones, libertates, immunitates, privilegia, exempciones, incorporaciones et gracias ac omnia et singula alia in dictis imperatoris et Wenceslai regis litteris contenta, quas quidem ipsius imperatoris litteras, quibus, ut prefertur, dicte regis Wenceslai littere de verbo ad verbum inserte sunt et nobis exhibite, presentibus eciam de verbo ad verbum inseri fecimus, rata habentes et grata eaque auctoritate apostolica ex certa sciencia tenore presencium confirmantes ac omnes defectus, si qui intervenerint forsan in eisdem, simili sciencia ac eadem auctoritate supplentes, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios concessiones, confirmaciones, libertates, immunitates, privilegia, exempciones, incorporaciones et gracias ac omnia et singula alia in dictis Gregorii predecessoris ac imperatoris et Wenceslai regis litteris contenta faciatis auctoritate nostra summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, eciam sub penis in eisdem litteris contentis, inviolabiliter observari, non permittentes ipsos magistrum et fratres contra huiusmodi concessiones, confirmaciones, libertates, immunitates, privilegia, exempciones, incorporaciones et gracias ac alia supradicta quomodolibet molestari; et nichilominus legittimis super hiis habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Tenor vero dictarum litterarum ipsius Caroli imperatoris, quibus, ut prefertur, prefate littere Wenceslai regis sunt inserte, sequitur et est talis: „In nomine sancte et individue Trinitatis feliciter. Amen. Carolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex. Apud eterni regis clemenciam retribucionis premium &c. [sequitur tenor litterarum imperatoris Caroli ddto. 1355 Augusti 21 ap. Pelzl, Kaiser Karl IV., Th. II. Urkundenb. p. 379 nr. 339 editarum.] Datum Prage anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indiccione octava, XII. kal. Septembris, regnorum nostrorum Romani anno decimo, Boemie nono, imperii vero primo." Nos enim irritum decernimus et inane, quidquid contra ratificacionem, confirmacionem et supplecionem nostram huiusmodi a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome ap. S. Petrum XII. kal. Novembris pont. n. a. decimo.

R. Lat. 67 fol. 149[a] — [a]) ‚ad' cod. [b]) ‚presumerent' cod. [c]) ‚interdictum' cod. [d]) ‚libertatis, immunitatis' cod. [e]) correctum in cod. ex. ‚elemosinis'. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1]) Litteras Gregorii papae ddto **1237 Apr. 14 vide ap. Erben, Reg. Boh. I p. 427 nr. 917. Ex eisdem et aliis litteris hospitali s. Francisci concessis patet nomina villarum, quarum supra fit mentio, haec fuisse:** Hloupětín, Humenec, Hnidošice, Borotice, Županovice, Dražetice, Rybník, Rakšice. Cf. Tomek,

Dějepis Prahy I$_2$, p. 457–8. — Cf. Reg. Boh. I. p. 408 nr. 868. — Litteras Venceslai regis ddto. 1253 Apr. 6. cum confirmationibus Ottacari ducis et Nicolai episcopi vide ap. Erben, Reg. Boh. I p. 609 nr. 1323.

1506. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Venceslaum de Bochna, si cum decanatu ecclesiae s. Aegidii Pragensis se indignum reddidisse invenerit, eodem decanatu sententialiter privet.*

Romae, 1399 Octobris 21.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod Wenceslaus de Bochna decanus ecclesie s. Egidii per . . . . Petrum de Janowicz prepositum maioris ecclesie Pragensis, commissarium dudum ad hoc a sede apostolica per certas ipsius sedis litteras specialiter deputatum, ex certis legitimis causis ad instanciam . . . . Herbordi dicti Heres presbyteri Pragensis diocesis excommunicacionis sentencia extitit innodatus, et deinde per . . . . Johannem scolasticum ecclesie s. Petri Wissegradensis per prefatum prepositum vigore dictarum litterarum subdelegatum excommunicatus publice nunciatus, ac in reprobum sensum datus huiusmodi sentenciam per plures annos sustinuit, prout sustinet, animo indurato, redire non curans ad ecclesie unitatem, et nichilominus huiusmodi sentencia sic ligatus divinis officiis se immiscuit illaque publice celebravit seu verius profanavit . . . . Nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis, prefatus Wenceslaus decanatu dicte ecclesie s. Egidii, quem tunc temporis obtinebat, prout obtinet, reddidit se indignum, quocirca discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus vocatis dicto Wenceslao et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi inveneris ita esse, predictum Wenceslaum eodem decanatu auctoritate prefata sententialiter prives eumque amoveas realiter ab eodem, prout de iure fuerit faciendum . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 81^a — In fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1]) Tomek, Dějepis Prahy V. p. 160 Venceslaum de Bochna aa. 1389—1413 decanum ecclesiae s. Aegidii fuisse dicit.

1507. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus, si Venceslaum de Bochna decanatu ecclesiae s. Aegidii Pragensis sententialiter privaverit, eundem decanatum Bartholomaeo de Swecza conferat.*

Romae, 1399 Octobris 21.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Bartholomeus Johannis de Swecza rector parrochialis ecclesie in Sechecaw Wladislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Hodie siquidem ad audienciam nostram deducto, quod Wenczeslaus de Bochna decanus ecclesie s. Egidii Pragensis

. . . . excommunicacionis sentencia extiterat innodatus et . . . . huiusmodi sentenciam per plures annos sustinuerat, prout sustinebat, animo indurato . . . ., nos . . . . tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut . . . ., si . . . . invenires ita esse, predictum Wenceslaum eodem decanatu . . . . sentencialiter privares . . . .[1]) Discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per te dictum Wenceslaum sentencialiter privari et ab eo amoveri contigerit, ut prefertur, eundem decanatum, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illum per huiusmodi privacionem vacare contigerit, eciam si alio quovis modo . . . . vel per obitum quondam Jacobi dicti Herink extra Romanam curiam defuncti . . . . seu per liberam resignacionem . . . . Johannis Sternberg de Holicz vel alicuius alterius . . . vacet . . . ., prefato Bartholomeo auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Bartholomeus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius decem, obtinet, et dudum altare sine cura s. Barbare situm in ecclesia Wladislauiensi, cuius quinque marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedant, auctoritate quarundam aliarum litterarum nostrarum, per quas sibi de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis cum cura et sine cura, eciam si ipsorum alterum dignitas, personatus vel officium foret, ad . . . , Wladislauiensis et Plocensis episcoporum et . . . . prepositorum, decanorum, archidiaconorum, scolasticorum, custodum, cantorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Wladislauiensis et Plocensis ecclesiarum collacionem . . . . pertinentibus . . . .. vacantibus vel vacaturis, per nostras litteras mandaveramus provideri, in quibus quidem litteris dictum Bartholomeum omnibus eciam dicta beneficia auctoritate nostra expectantibus in assecucione . . . . beneficiorum huiusmodi voluimus anteferri, infra tempus legitimum acceptavit et de illo sibi fecit provideri, et alias secum, ut huiusmodi dignitatem, personatum seu curatum officium recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad quinquennium retinere et interim alterum eorum pro alio beneficio ecclesiastico compatibili permutare . . . . valeret, fuit eadem auctoritate dispensatum. Nos enim cum eodem Bartholomeo, ut decanatum predictum . . . . recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad simile quinquennium retinere . . . . valeat . . . ., eadem auctoritate . . . . dispensamus . . . . Volumus autem, quod dictus Bartholomeus alterum ex eisdem parrochiali ecclesia et decanatu pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra huiusmodi quinquennium permutare, alioquin dictam parrochialem ecclesiam . . . . dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris pont. n. a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 81b — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1] Cf. nr. 1506.

1508. *Praeposito ecclesiae s. Ambrosii Mediolanensis mandatur, quatenus recepta resignatione, quam Henricus Tommeritz* [1]) *[de Budissin] de canonicatu et minore praebenda ecclesiae s. Petri in Budissin Misnensis dioc. facere proponit, eosdem canonicatum et praebendam, quorum fructus 4 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, Nicolao Schabeleffel presbytero Misnensis*

dioc. conferat. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris a. decimo.*“

Romae, 1399 Octobris 21.

R. Lat. 64 fol. 11ᵛ – In marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) In nr. 686 iste Henricus Temericz vocatur.

1509. *Pileo episcopo Tusculano conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei de canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislauiensis et parrochiali ecclesia in Frankenstein fuit provisum, perinde valeant, ac si postea quaedam ordinatio apostolica ipsis contraria minime promulgata esset.*

Romae, 1399 Octobris 23.

Bonifacius . . . . Pileo episcopo Tusculano . . . . Dudum per nos accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochialis ecclesia in Frankensteyn ‚plebes‘ nuncupata Wratislauiensis diocesis, quos quondam Petrus Trebnicz . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum . . . . vacaverant et vacabant tunc, nos videlicet VIII. idus Octobris pont. n. anno nono de eisdem canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia ut premittitur vel alias quovis modo vacantibus per nostras litteras tibi mandavimus provideri, certis tibi super hoc executoribus deputatis.[1]) Et deinde eciam per nos accepto, quod dudum nonnulli per eorum importunas instancias obtinuerunt a nobis gracias super diversis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis parrochialibus et aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, curatis et non curatis, extra Romanam curiam vacantibus per obitus diversorum extra dictam curiam eciam in locis ab ipsa curia valde remotis defunctorum sub datis dierum obitus predictorum defunctorum, nos videlicet XIII. kalendas Novembris pont. n. anno decimo[2]) per alias nostras litteras statuimus et eciam ordinavimus, quod tam illi, qui huiusmodi gracias sub datis die[rum] obitus illorum, qui . . . . beneficia huiusmodi obtinebant . . . ., impetrarunt a nobis, quam eciam illi, qui imposterum impetrabunt, illi videlicet, qui iam impetrarunt et effectum huiusmodi graciarum ante datam constitucionis et ordinacionis predictarum non erant consecuti, deinceps ipsum graciarum earundem vigore consequi nequirent, illi vero, qui in futurum forsitan similes gracias impetrarent, effectum graciarum ipsarum de cetero obtinere non possent . . . ., statutum autem et ordinacionem ac provisionem huiusmodi ad gracias similes supradictas eciam motu proprio per nos iam factas et inantea faciendas extendi voluimus et in eis locum sibi decrevimus vendicare, prout in huiusmodi litteris eciam plenius continetur.[3]) Nos igitur attendentes predictas litteras, per quas tibi, ut premittitur, de dictis canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia mandavimus eciam motu proprio provideri, ex eo viribus non subsistere, quod littere ipse et gracia earum pretextu tibi, ut prefertur, facta sub data diei obitus dicti Petri fuerint obtente, et volentes te, cui, ut asseritur, de dictis canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia per unum ex dictis executoribus provisum fuit, favore prosequi gracie specialis, ac habentes omnes

litteras et statutum ac ordinacionem predicta ac quamcunque litis pendenciam, si qua forsan in predicta curia vel extra eam forsan inter te et quemcunque vel quoscunque alios pendeat, cum eorum totis tenoribus presentibus pro sufficienter expressis et specificatis, motu proprio . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate ex certa sciencia concedimus, quod predicte littere, per quas de dictis canonicatu et prebenda ac ecclesia parrochiali, ut prefertur, tibi provideri mandavimus, ac processus habiti per easdem et quecunque inde secuta perinde ab earum data valeant plenamque obtineant roboris firmitatem . . . ., ac si statutum et ordinacio nostra predicta facta seu promulgata minime extitisset, predicta ordinacione seu statuto ac constitucionibus apostolicis et graciis, quibusvis persone seu personis sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra factis, et processibus ac omnibus inde secutis, quorum vigore persona seu persone huiusmodi pretendere possent ius in dictis canonicatu et prebenda ac ecclesia parrochiali seu ad eos quovis modo eis competere . . . ., necnon omnibus, que in eisdem litteris tibi, ut prefertur, concessis voluimus non obstare, et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 52[a] — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1358. — [2] i. e. 1399 Octobris 20. — [3] Cf. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln, p. 71.

1510. *Magister Artlebus de Turri canonicus ecclesiae Olomucensis in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum nono kal. Novembris a. decimo.“*

Romae, 1399 Octobris 24.

R. Vat. 316 fol. 258[b] cum his notis in fine: sin. XX. M. DE CHERUBINIS, (med.) JO. DE BONONIA, (dext.) PRO T. FABRI FREDERICUS; item R. Lat. 68 fol. 70[a], ubi in marg. sin. superiore adscriptum est: JO. DE BONONIA, in fine autem: N. XX DE BENEVENTO.

1511. *Petro de Esculo providetur motu proprio de canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis ac de parrochiali ecclesia in Frankenstein.*

Romae, 1399 Octobris 27.

Bonifacius . . . . magistro Petro Vanis de Esculo canonico Wratislauiensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem per nos accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochialis ecclesia in Frankensteyn ‚plebes‘ nuncupata Wratislauiensis diocesis, quos quondam Petrus Trebnicz . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverant et vacabant tunc, nos de eisdem canonicatu et prebenda ac ecclesia parrochiali . . . . venerabili fratri episcopo Tusculano per nostras litteras mandavimus provideri, certis super hoc

executoribus deputatis . . . . [1]) Cum itaque postmodum predicti canonicatus et prebenda ac ecclesia parrochialis per liberam resignacionem dicti episcopi, cui per unum ex dictis executoribus de dictis canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia extitit provisum, per eum de illis possessione non habita, per eum in manibus nostris apud dictam sedem sponte factam et per nos apud dictam sedem admissam vacaverint et vacare noscantur ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . tunc apud sedem predictam vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari, nos volentes tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator et familiaris noster domesticus continuus commensalis existis, ... graciam facere specialem, canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos, quorum fructus . . . . octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illi vel illis, cui vel quibus de eis canonicatu et prebenda ac ecclesia parrochiali providissemus aut mandavissemus seu concessissemus provideri, cui et quibus hac vice penitus intendimus derogare et per presentes derogamus, te . . . . volumus anteferri . . . . Nos enim tecum, ut dictam parrochialem ecclesiam libere recipere et una cum aliis beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus cum cura et sine cura . . . . licite retinere [valeas] . . . ., motu simili . . . dispensamus . . . . Datum Rone ap. S. Petrum sexto kal Novembris a. decimo.

Simili modo . . . . Tudensi et Concordiensi episcopis ac . . . . officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 78 fol. 56[a] — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECHARIIS: in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1509.

1512. *Johanni dicto Misner rectori altaris ss. Petri et Pauli apostolorum ac Agnetis virginis siti in ecclesia parrochiali s. Jacobi in Nissa*[a]) *Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Novembris a. decimo.“*

Romae, 1399 Octobris 27.

R. Lat. 68 fol. 186[b] — [a]) Nyssa. — In fine: N XIIII DE BENEVENTO.

1513. *Universis prioribus et praeceptoribus domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani, inter ceteros etiam prioribus prioratuum Alamanniae, Angliae, Bohemiae et Ungariae, mandatur, quatenus ad generale capitulum, quod papa ad*

instantiam Bartholomaei Caraffa prioris Urbis et dicti hospitalis magisterii locum tenentis a. 1400 apud curiam Romanam celebrandum decrevit, personaliter una cum duobus vel tribus fratribus de prioratibus aut praeceptoriis suis comparcant cum pleno et sufficiente mandato totius capituli provincialis, specialiter ad eligendum magistrum dicti hospitalis, et cum omnibus responsionibus et aliis, in quibus thesauro suae religionis tenentur, integre persolvendis. „Dum preclara merita" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a decimo."

Romae, 1399 Octobris 28.

R. Lat. 70 fol. 36ª — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Partim editum ap. Fraknói, Monum. Vatic. Hung. ser. I tom. IV p. 152 nr. 200.

***1514**. Henrico Ruwe providetur motu proprio de canonicatu sub exspectatione praebendae necnon dignitatis, personatus vel officii ecclesiae Pragensis.*

Romae, 1399 Novembris 1.

Bonifacius . . . . magistro Henrico Ruwe canonico Pragensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator et . . . . Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris capellanus et familiaris existis, ... motu proprio . . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, eciam si dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem aut in collegiata ecclesiis principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, si que vel si qui aut si qua vacat ad presens, vel cum simul vel successive vacaverint . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . . Urbani pp. V. predecessoris nostri, videlicet quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit . . . ., et quibusvis aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie, eciam opcionibus de una prebenda ad aliam pinguiorem prebendam inibi canonicis optare volentibus fieri consuetis, contrariis . . . ., aut si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . predicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa in genere vel in specie eciam sub quacunque facultate vel alia forma vel expressione verborum, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice et continue famulantibus, in dicta ecclesia receptis vel prebendas aut dignitates vel personatus seu officia expectantibus in eadem, ... te . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Novembris a. decimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . s. Egidii ac s. Apolinaris Pragensium ecclesiarum prepositis . . . .

R. Lat. 70 fol. 71ᵇ. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA. CANCELLARIA; in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO.

1515. *Ad reparationem parrochialis ecclesiae in Glatovia manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1399 Novembris 1.

Bonifacius . . . . universis . . . . Ecclesiarum fabricis . . . . Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia b. Marie virginis in Glatouia Pragensis diocesis, que admodum ruinosa existit, reparacione non modicum sumptuosa indigere noscatur, nos cupientes, ut eadem ecclesia congrue reparetur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attempte in remissionem peccaminum vobis iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis pro reparacione ecclesie huiusmodi pias elemosinas ac grata caritatis subsidia erogetis, ut per subvencionem vestram huiusmodi prefata ecclesia congrue valeat reparari, vosque per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire: nos enim . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post quinquennium minime valituris, quas mitti posse per questuarios per Pragenses et Patavienses ac Ratisponenses civitates et dioceses harum serie licenciam elargimur. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Novembris a. decimo.

R. Lat. 72 fol. 29ᵇ — In fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

1516. *Parrochialem ecclesiam in Glatovia visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1399 Novembris 9.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia b. Mariae virginis in Glatouia Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo ss. Philippi et Jacobi apostolorum a primis vesperis usque ad secundos vesperos ipsius festi necnon per duos dies ipsum festum immediate sequentes predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, quam ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis a primis vesperis usque ad secundos vesperos in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . rectori dicte ecclesie parrochialis, qui nunc est, et successoribus suis, eiusdem parrochialis ecclesie rectoribus, qui pro tempore fuerint, ut sex vel plures presbyteros ydoneos seculares aut religiosos annuatim in confessores eligere possint, qui confessiones omnium et singulorum Christi fidelium in festivitate ss. Philippi et Jacobi necnon duobus diebus sequen-

tibus predictis . . . . eadem auctoritate audire et . . . pro commissis debitam eis absolucionem impendere valeant et iniungere pro modo culpe penitenciam salutarem, nisi forsan talia sint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, auctoritate apostolica . . . indulgemus Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 123ᵇ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1517. *Capellam s. Agathae sitam in parrochiali ecclesia b. Mariae virginis in Glatovia*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nr. 366 nominantur, et in festivitatibus s. Agathae necnon ss. Georgii, Augustini, Ambrosii et Jeronymi) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur.* „*Licet is*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. undecimo.*“

Romae, 1399 Novembris 9.

R. Lat. 73 fol. 124ᵃ — [a]) ‚Glathouia‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — Eadem bulla in R. Lat. 67 fol. 147ᵇ iterum registrata est, sed cancellata.

1518. *Henrico Ruwe conceditur, ut in assecutione beneficiorum ecclesiasticorum, de quibus alias ei auctoritate apostolica provisum est, omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1399 Novembris 9.

Bonifacius . . . . magistro Henrico Ruwe canonico Pragensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem, videlicet II. idus Novembris pont. n. anno primo, tibi de sanctorum Apostolorum Coloniensis per quasdam, per quas te inter cetera omnibus preterquam auctoritate nostra in ipsa sanctorum Apostolorum receptis vel prebendas expectantibus in eadem, et deinde, videlicet kal. Novembris pont. n anno decimo, de Pragensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura eiusdem ecclesie Pragensis . . . . per alias nostras litteras, per quas inter cetera te omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa in genere vel in specie eciam sub quacunque facultate seu alia forma vel expressione verborum, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus actu domestice et continue nobis famulantibus, in dicta Pragensi ecclesia receptis vel prebendas aut dignitates vel personatus seu officia in eadem expectantibus, ... anteferri voluimus, graciose providimus . . . .[1]) Cum autem nos postmodum nonnullis aliis personis diversas gracias ad easdem ecclesias concesserimus, et voluerimus inter cetera huiusmodi personas eciam habentibus

gracias cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . anteferri, non obstante declaracione per nos edita, scilicet quod gracie expectative cum clausula anteferri aliquibus per nos concesse vel concedende aliis similes gracias cum simili clausula primo habentibus et in data precedentibus non preiudicent, sed secundum ordinem date quoad ipsas clausulas gracias ipsas debuisse et debere sortiri effectum, ita quod prior in data in assecucione gracie eciam preferatur, et quibusdam aliis prebendas, dignitates, personatus seu officia in dictis ecclesiis auctoritate litterarum nostrarum eciam cum clausula anteferri seu quavis antelacionis prerogativa expectantibus forte concesserimus, quod gracie quibuscunque personis cum clausula anteferri vel antelacionis prerogativa huiusmodi per nos concesse et imposterum concedende seu faciende eis . . . . minime debeant preiudicare seu ipsos quomodolibet impedire, nisi forte de eorum nominibus et cognominibus propriis plena et expressa mencio habeatur, et alias evidenter appareat nos ipsis ac graciis et privilegiis ipsorum quibuslibet cum huiusmodi nominis et cognominis expressione specialiter et ex certa sciencia velle derogare, ac quibusdam ex eisdem personis super huiusmodi antelacione circa expectantes et expectaturos cum derogacione eciam iuris quesiti ac acquirendi intencionem nostram declaravimus, prout in predictis et diversis aliis nostris inde confectis litteris . . . . hec et alia dicuntur plenius contineri, ac eciam nonnullas personas sub diversis datis eciam prioribus per nostras litteras in nostros et sedis apostolice capellanos vel familiares domesticos continuos commensales receperimus ac voluerimus eas omnibus privilegiis, indulgenciis et prerogativis uti et gaudere, quibus veri capellani vel familiares nostri domestici continui commensales utuntur et gaudent, nos, ne propterea effectus huiusmodi gracie tue diucius retardetur, te, qui litterarum apostolicarum abbreviator et . . . . Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris capellanus et familiaris existis, ... favoribus prosequi graciosis volentes, motu proprio . . . . volumus et tibi auctoritate apostolica concedimus, quod nullus, cuiuscunque dignitatis, status, gradus et ordinis vel preeminencie fuerit, eciam si de eius concessione, privilegio vel indulto ipsi factis qualitercunque, per nos concessis vel imposterum concedendis, ac ipsius nomine et cognomine propriis in dictis nostris litteris aut presentibus habenda esset mencio specialis, vigore gracie aut graciarum seu privilegiorum huiusmodi aut alterius cuiuscunque gracie, declaracionis, privilegii vel indulti sibi in genere vel in specie eciam sub quacunque facultatis aut quavis alia forma vel expressione verborum cum derogacione eciam iuris quesiti et acquirendi sub cuiuscunque diei data concessarum et per nos imposterum sub quacunque eciam antelacionis prerogativa concedendarum, nisi in eis de indulto et concessione tua huiusmodi de verbo ad verbum ac de eius nomine et cognomine propriis specialis mencio habeatur, et alias expresse appareat [nos] tibi cum tui nominis et cognominis expressione velle specialiter et ex certa sciencia derogare, predictis cardinalibus et familiaribus nostris duntaxat exceptis, in assecucione prebendarum, dignitatis, personatus seu officii huiusmodi, que dictarum litterarum tibi, ut prefertur, concessarum vigore alias legitime acceptaveris et de quibus tibi provideri feceris, possit aut debeat anteferri vel alias quomodolibet impediri, ac motu simili ex certa sciencia volumus eademque auctoritate tibi concedimus per presentes, quod omnibus personis supradictis, cuiuscunque dignitatis, status,

gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie extiterint, qui a nobis gracias similes vel dissimiles eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa sub quacumque forma vel expressione verborum, eciam auctoritate nostra ad easdem ecclesias expectantibus *(sic)*, sub quacunque diei data forsan impetraverint vel imposterum impetrabunt, eciam cum quibuscunque clausulis derogatoriis in eisdem litteris vel privilegiis insertis, quibus quoad te, qualitercunque concepte reperiantur, ex sciencia derogamus, prefatis cardinalibus et familiaribus duntaxat exceptis, in assecucione prebendarum, dignitatis, personatus seu officii huiusmodi . . . . possis et debeas penitus anteferri. Et insuper si forsan contingat nos de cetero alii vel aliis similem graciam seu concessionem sub quacunque eciam prerogativa antelacionis aut alio quocunque modo facere, hoc non intendimus neque volumus gracie seu concessioni huiusmodi per nos tibi facte aliquo modo derogare, nisi de huiusmodi indulto et concessione tibi facta de verbo ad verbum et eius derogacione per nos specialiter et ex certa sciencia expressa mencio habeatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 131ᵃ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA] in fine: PRO SOCIO, JAC. DE TERAMO. — ¹) Cf. nr. 1514.

1519. *Abbas monasterii Tinciensis Cracoviensis dioc. ac Vratislaviensis et Olomucensis officiales conservatores magistri et fratrum hospitalis s. Spiritus Cracovicnsis usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. undecimo.“*

Romae, 1399 Novembris 9.

R. Lat. 75 fol. 215ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1520. *Johanni Czepelwitz canonico monasterii s. Mariae virginis in Arena ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc., dictum ordinem expresse professo et in quadragesimo suae aetatis anno vel circa constituto, indulgetur, ut de praefato monasterio ad aliquem locum ab eo dependentem per abbatem et conventum eiusdem monasterii aut per aliquem alium superiorem dicti ordinis invitus mitti seu transferri nequeat. „Religionis zelus“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. undecimo.“*

Romae, 1399 Novembris 13.

R. Lat. 81 fol. 192ᵛ — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]: in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1521. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in magistrum Artlebum de Turri canonicum ecclesiae Olomucensis ullam iurisdictio-*

nem exercent, cum ipse sedis apostolicae capellanus sit. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. MCCC nonagesimo nono, indictione VII die tercia decima mensis Novembris . . . anno undecimo!“

Romae, 1399 Novembris 13.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 83b. – Cf. nros 297 et 1510.

1522. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus Mathiam de Broda Theutonicali surroget ad omne ius, quod Nicolao de Ostravia tempore eius obitus et Dirslao tempore assecutionis parrochialis ecclesiae in Petrovicz in parrochiali ecclesia in Opavicz competebat.*

Romae, 1399 Novembris 14.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . Mathias de Broda Theutonicali frater domus hospitalis b. Marie Theutonicorum in Crompnaw Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod, cum olim quondam Nicolaus de Noua Ciuitate frater dicti hospitalis ad parrochialem ecclesiam in Opawicz dicte diocesis per . . . . Wenceslaum commendatorem eiusdem hospitalis in Opawicz predicte diocesis, verum patronum prefate ecclesie . . ., bone memorie Nicolao episcopo Olomucensi infra tempus legitimum presentatus fuisset, ipsaque ecclesia vigore presentacionis huiusmodi sibi deberetur, et . . . . Nicolaus de Ostrauia, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, presentacioni huiusmodi se opposuisset et opponeret . . . ., idem Nicolaus de Noua Ciuitate prefatum Nicolaum de Ostrauia super hoc, petendo pronunciari, decerni et declarari presentacionem huiusmodi fuisse et esse canonicam, seque ad eandem ecclesiam institui, et super ea dicto Nicolao de Ostrauia perpetuum silencium imponi, coram . . . . Johanne de Ghulen tunc officiali Olomucensi, cum ad officialem Olomucensem pro tempore existentem cognicio causarum, que super dicta ecclesia moventur pro tempore, de antiqua . . . . consuetudine pertineat, fecit ad iudicium evocari. Et deinde cum, postquam idem officialis ad nonnullos actus in causa huiusmodi processerat, prefatus Nicolaus de Noua Ciuitate extra Romanam curiam fuisset vita functus, et . . . . Dirslaus rector altaris s. Trinitatis siti in ecclesia s. Johannis in preurbio Opawiensi dicte diocesis ad eandem ecclesiam parrochialem . . . . Wilhelmo Kathelangen[1]) et Smyloni Wiczow tunc vicariis in spiritualibus ecclesie Olomucensis, per capitulum eiusdem ecclesie, episcopali sede Olomucensi tunc vacante, deputatis, per dictum commendatorem infra tempus legitimum presentatus fuisset, dictusque Nicolaus de Ostrauia se presentacioni huiusmodi similiter opposuisset et opponeret . . . ., dictus Dirslaus eundem Nicolaum de Ostrauia super hoc, petendo pronunciari, decerni et declarari huiusmodi presentacionem de se factam fuisse et esse canonicam, seque ad eandem parrochialem ecclesiam institui, et super ea dicto Nicolao de Ostrauia perpetuum silencium imponi, coram dicto Smylone tunc officiali Olomucensi traxit in causam, idemque Smylo causam predictam in eo statu, in quo

coram prefato Johanne de Ghulen tunc officiali remanserat, resumens et in ea ulterius procedens, diffinitivam, per quam dictum Dirslaum in ipsius parrochialis ecclesie rectorem instituit et super ea prefato Nicolao de Ostrauia perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit: a qua pro parte eiusdem Nicolai de Ostrauia ad sedem fuit apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Nicolai de Ostrauia .... commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem . . . . lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente prefatus Dirslaus parrochialem ecclesiam in Petrowicz dicte diocesis, tunc certo modo vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterit pacifice assecutus, et propterea omne ius eidem Dirslao in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam competens vacaverit et vacare noscatur ad presens, nos . . . . dicto Mathie, qui presbyter est . . . ., specialem graciam facere volentes, fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus dicti palacii apostolici de speciali mandato nostro tenes . . . ., committimus et mandamus, quatenus eundem Mathiam . . .. in omni iure et ad omne ius, quod Dirslao huiusmodi assecucionis vel Nicolao de Noua Ciuitate predictis sui obitus tempore in ipsa ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat . . . ., auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Dirslao assecucionis vel Nicolao de Noua Ciuitate sui obitus huiusmodi tempore non competisse et Nicolao de Ostrauia prefatis non competere ius in parrochiali ecclesia predicta, eandem parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Mathie auctoritate predicta conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 195[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]: in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) recte Kortelangen.

1523. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Henrico Jindrich parrochialem ecclesiam in Prěsticz, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Novembris 20.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Henrici Gyndrzich monachi monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Przieslicz ‚prepositura' nuncupata dicte diocesis per liberam resignacionem .... Sigismundi Czalta ipsius ecclesie rectoris ‚prepositi' nuncupati, per eum de illa in manibus .... Nicolai Puchnik vicarii in spiritualibus generalis .... Wolframi archiepiscopi Pragensis extra Romanam curiam sponte factam et per eundem vicarium, habentem ad hoc [a] prefato archiepiscopo specialem potestatem, huiusmodi potestatis vigore extra dictam curiam admissam, vacante . . . , Wernherus abbas monasterii predicti, cum ad abbatem ipsius monasterii pro tempore existentem de antiqua .... consuetudine presentacio rectoris ad eandem eccle-

siam, quociens illam vacare contigerit, pertineat, prefatum Henricum ad dictam ecclesiam eidem vicario infra tempus legitimum presentavit, idemque vicarius dictum Henricum in rectorem ipsius ecclesie auctoritate instituit antedicta, ac huiusmodi presentacionis et institucionis vigore prefatus Henricus eandem ecclesiam extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . idem Henricus dubitet presentacionem et institucionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . volentes eundem Henricum, qui, ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit . . . ., favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, . . . eidem Henrico auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 64b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIII. DE BENEVENTO.

1524. *Parrochialem ecclesiam in Podĕbrad*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nr. 366 nominantur, ac in s. Stanislai et s. Catherinae festivitatibus) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus perpetuo duraturis. „Licet“ „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Decembris a. undecimo.“*

Romae, 1399 Novembris 21.

R. Lat. 80 fol. 204c; folium istud humiditate ita est corruptum, ut magna pars bullae legi non possit. — a) ‚Podyebrad‘. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L. DE BENEVENTO.

1525. *Episcopo Ferentinatensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac archidiacono Poznaniensi mandatur, quatenus Boguslao Petri de Sulow presbytero Poznaniensis dioc. parrochialem ecclesiam in Owinsk*[a]) *dictae dioc., auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant. „Vite ac morum“, „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. undecimo“.*

Romae, 1399 Novembris 22.

R. Lat. 77 fol. 102a — a) ‚Owensky‘. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1526. *Judicibus mandatur, quatenus Jacobum Leonardi in corporalem possessionem parrochialis ecclesiae in Legnicz, quae ei in palatio apostolico adiudicata est, inducant.*

Romae, 1399 Novembris 26.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . preposito Wratislauiensis ac decano s. Sepulchri dominici in Legenicz Wratislauiensis diocesis ecclesiarum . . . .

Exhibita nobis pro parte .... Jacobi Leonardi rectoris parrochialis ecclesie b. Marie in Legenicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod orta dudum inter .... Mathiam Hildebrandi et Michaelem de Budwicz clericos predicte et Pragensis diocesis super dicta ecclesia .... materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam ipsam .... magistro Henrico Westirholtz capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... commisimus .... Et deinde .... nos prefato auditori ad instanciam quondam Johannis Doringi clerici .... commisimus, ut eundem Johannem ad prosecucionem litis et cause huiusmodi .... pro suo admitteret interesse, prefatusque auditor, postquam eundem Johannem ad prosecutionem litis et cause huiusmodi .... admiserit, ... diffinitivam, per quam inter cetera ecclesiam ipsam Johanni adiudicavit .... sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Michaelis ad sedem fuit appellatum eandem, nosque causam appellacionis huiusmodi .... Bertrando episcopo Eugubino, tunc capellano nostro et causarum palacii predicti auditori, ... commisimus; coram quo .... Jacobo de Subinago Johannis et Johanne Stunck Michaelis predictorum procuratoribus in iudicio comparentibus et per quemlibet eorum quodam pro parte sua dato libello in causa huiusmodi in certo termino ad hoc statuto, prefatus episcopus, tunc auditor, ad eiusdem Jacobi de Subinago instanciam predictum Johannem Stunck ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et veritate dicenda in causa huiusmodi per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dictus Jacobus de Subinago .... in iudicio comparens, predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam predictum in ipsius episcopi, [tunc] auditoris, presencia in huiusmodi causa prestitit iuramentum; et deinde predictis Jacobo et Johanne Stunck .... in iudicio comparentibus traditisque per quemlibet eorum quibusdam posicionibus et articulis, et contra huiusmodi posiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis, quibus partes ipse in huiusmodi causa uti voluerunt, et per eundem Jacobum quibusdam excepcionibus contra producta partis sibi adverse datis, predicto Johanne Stunck tunc excepciones aliquas contra producta partis sibi adverse huiusmodi dare non curante, in certis terminis eis ad hoc per prefatum episcopum, tunc auditorem, successive et peremptorie assignatis, tandem, cum prefatus Johannes Doringi apud sedem predictam fuisset vita functus, nos eidem episcopo, tunc auditori, per nostras litteras graciose mandavimus, ut prefatum Jacobum Leonardi, dummodo ipse in dicta ecclesia intrusus non foret, eciam si ipse ydeoma, quod .... parrochiani dicte ecclesie communiter loquuntur, non intelligeret seu intelligibiliter non loqueretur, in omni iure et ad omne ius, quod prefato Johanni Doringi tempore obitus sui in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, necnon ad possessionem ipsius ecclesie, in qua idem Johannes Doringi erat, auctoritate nostra surrogaret ...., et licet ipse Jacobus Leonardi .... in iure et ad ius huiusmodi per prefatum episcopum surrogatus ipsumque ius sibi collatum et de eo provisum fuisset canonice, dictaque ecclesia .... eidem Jacobo Leonardi deberetur, tamen prefatus Michael falso asserens eandem ecclesiam ad se spectare ...., impedivit, prout impedit, ac facit et fecit, quominus gracia, surrogacio, collacio et provisio predicte

debitum sortite fuerint et sorciantur effectum, dictamque ecclesiam occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiens ex eadem. Postmodum vero nos causam huiusmodi . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc cappellano nostro et causarum predicti palacii auditori, ... commisimus[1]) . . . .; coram quo . . . magister Johannes de Scriuanis procurator dicti Jacobi Leonardi in iudicio comparens, quosdam posiciones et articulos quandam peticionem summariam in eorum fine continentes dedit, ac nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . produxit, idemque Nicolaus episcopus, tunc auditor, ad eiusdem Johannis de Scriuanis instanciam prefato Johanni Stunck coram eo in iudicio constituto ad dicendum contra huiusmodi producta quidquid vellet assignavit certum terminum peremptorium competentem: in quo dictus Johannes de Scriuanis . . . . in iudicio comparens, predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusavit, et successive predictis Johanne de Scriuanis et Johanne Stunck . . . comparentibus, ipsoque Johanne de Scriuanis in huiusmodi causa concludi petente, memoratus Nicolaus episcopus . . . . cum eodem Johanne de Scriuanis in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in certo termino ad hoc prefixo, ac eisdem Johanne de Scriuanis et Johanne Stunck . . . . comparentibus dictoque Johanne de Scriuanis diffinitivam in huiusmodi causa sentenciam ferri petente in certa die ad hoc prefixa, sepedictus Nicolaus episcopus . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicta peticione summaria petita fuerant, per prefatum Henricum auditorem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsamque sentenciam . . . . confirmavit . . .. dictamque ecclesiam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis ad prefatum Jacobum Leonardi spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere . . . ., ipsumque Michaelem in fructibus ex dicta ecclesia a tempore huiusmodi occupacionis citra perceptis et in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis . . . . condemnavit, ipsarum taxacione sibi imposterum reservata. Cumque ab eadem sentencia ipsius Nicolai episcopi . . . . pro parte dicti Michaelis ad sedem fuisset appellatum eandem, nos causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et auditori causarum dicti palacii . . . . commisimus . . . .; qui ad instanciam dicti Jacobi Leonardi coram eo in iudicio comparentis predictum Johannem Stunck ad dandum et recipiendum libellum in causa huiusmodi per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo . . . . magister Johannes de Tuicio eciam procurator dicti Jacobi Leonardi per eum de novo constitutus . . . . in iudicio comparens, predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in huiusmodi causa libellum dedit, idemque Jacobus auditor ad eiusdem Johannis de Tuicio instanciam predictum Johannem Stunck ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et de veritate dicenda, necnon ad dandum et per alteram partem dari videndum posiciones et articulos . . . . successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Johannes de Tuicio . . . . comparens, predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam predictum in ipsius Jacobi auditoris presencia prestitit iuramentum, necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huius-

modi in dictis terminis ad hoc statutis, prefatusque Jacobus auditor ad dicti Johannis de Tuicio instanciam predictum Johannem Stunck ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem quidquid vellet, necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse in huiusmodi causa uti vellent . . ., successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Johannes de Tuicio . . . . comparens, predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnullas litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit in dicto termino ad hoc deputato, idemque Jacobus auditor ad dicti Johannis de Tuicio instanciam predictum Johannem Stunck ad dicendum contra huiusmodi producta quidquid vellet necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi . . . . successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes: in quibus dicto Johanne de Tuicio . . . . comparente et predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusante . . . ., memoratus Jacobus auditor reputans eundem Johannem Stunck . . . contumacem, in eius contumaciam cum eodem Johanne de Tuicio . . . . conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc prefixo, et ad eiusdem Johannis de Tuicio instanciam predictum Johannem Stunck ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem; in qua dicto Johanne de Tuicio . . . . comparente et predicti Johannis Stunck non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Jacobus auditor reputans eundem Johannem Stunck . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Nicolaum episcopum, tunc auditorem, in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam . . . . confirmavit . . . ., ipsumque Michaelem in fructibus ex dicta ecclesia a tempore late sentencie predicti Nicolai episcopi tunc auditoris . . . . condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter Nicolaus episcopus tunc coram se in triginta quinque et Jacobus auditores prefati coram eo factas expensas huiusmodi in viginti florenis auri de camera boni et iusti ponderis in contumaciam dicti Johannis Stunck . . . . ad videndum taxari expensas huiusmodi . . . . successive citati et non curantis comparere . . . . successive providis moderacionibus taxaverunt, predicti Johannis de Tuicio super expensis ipsis iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis eorumdem Nicolai episcopi tunc et Jacobi auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem . . . . prefatus Jacobus Leonardi dubitet, ne eciam aliqui alii in dicta ecclesia se intruserint vel imposterum intrudant, pro parte ipsius Jacobi Leonardi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . , que super hiis ab eisdem Henrico et Nicolao episcopis tunc et Jacobo auditoribus provide facta sunt rata habentes et grata dictasque sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes . . . ., prefatum Jacobum Leonardi vel procuratorem suum . . . . in corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum amoto exinde dicto Michaeli inducatis et defendatis inductum, facientes sibi de ipsius ecclesie fructibus . . . . integre responderi et

de predictis perceptis fructibus et florenorum summis pro dictis expensis . . . . plenam et debitam satisfaccionem impendi, et insuper ad execucionem presencium eciam contra intrusos et intrudendos huiusmodi . . . . eadem auctoritate procedatis . . . . Ceterum si . . . . vobis constiterit, quod prefati Michaelis et aliorum . . . . presencia . . . . nequeat haberi, nos vobis moniciones . . . . et citaciones quaslibet per edicta publica locis infigenda publicis predicte ecclesie vicinis . . . . faciendi . . . . concedimus potestatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 246[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. [1] Cf. nr. 1382.

1527. *Episcopus Plocensis et praepositus ecclesiae s. Petri Cruszwicensis Vladislaviensis dioc. ac officialis Vratislaviensis conservatores Dobrogostii archiepiscopi Gneznensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. undecimo."*

Romae, 1399 Novembris 26.

R. Lat. 75 fol. 215[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1528. *Volframus archiepiscopus Pragensis quitatur de solutione partis sui communis servitii camerae apostolicae.*

Romae, 1399 Novembris 28.

Conradus [. . . . archiepiscopus Nicosiensis, domini pape camerarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Wolframus dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte partis sui communis servicii . . . . centum decem et octo florenos auri de camera, non facta divisione de minutis serviciis nec aliquid soluto sacro collegio . . . ., per manus honorabilis viri magistri Johannis de Tremosnicz litterarum apostolicarum scriptoris et abbreviatoris die date presencium . . . . [solvi fecit] . . . .; . . . . terminum faciende [solucionis residui . . . .] a festo purificacionis b. Marie virginis proxime futuro usque ad annum extunc proxime secuturum [prorogamus] . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo nono, indiccione septima, die vicesima octava mensis Novembris, pont. . . . . anno undecimo.

Oblig. et sol. 55 fol. 101[a]. — In fine: VISUM BAY[LARDINUS]; FL. V GR. V NICOLAUS.

1529. *Praeposito ecclesiae s. Petri in Bruna mandatur, quatenus Johanni Nicolai Tribenczerii parrochialem ecclesiam in Turan auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1399 Decembris 1.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Johannis quondam Nicolai Tribenczerii clerici Olomucensis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Durans Olomucensis diocesis tunc per liberam resignacionem . . . . magistri Petri Wsrob (*sic*) secretarii et familiaris nostri, cui dudum, qui eciam litterarum apostolicarum corrector et abbreviator existit, ut beneficia ecclesiastica . . . ., que tunc obtinebat et imposterum obtineret, in manibus cuiuscunque vel quorumcunque ordinarii vel ordinariorum locorum, sedis predicte super hoc licencia minime requisita, resignandi et ordinario seu ordinariis ipsis . . . . beneficia ipsa et eorum quodlibet personis ydoneis eciam unum vel duo beneficia ecclesiastica obtinentibus conferendi . . . . plenam et liberam per alias nostras litteras concessimus facultatem,[1]) per eum de illa, quam tunc temporis obtinebat, in manibus . . . . magistri Ade de Nezeticz archidiaconi Gradicensis in ecclesia Pragensi, decretorum doctoris, extra Romanam curiam sponte factam et per eundem archidiaconum habentem ad hoc a . . . . Johanne episcopo Olomucensi specialem potestatem huiusmodi potestatis vigore admissam, vacante, prefatus archidiaconus eandem ecclesiam parrochialem sic vacantem ipsi Johanni clerico dicte potestatis vigore contulit et de illa eciam providit, idemque Johannes clericus dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . [mandamus], quatenus . . . . ecclesiam parrochialem predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni clerico, auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., si nos dudum eidem Johanni clerico, ut asseritur, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . dicti episcopi [Olomucensis] et . . . . prepositi, decani, archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Olomucensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Johannes clericus dictam parrochialem ecclesiam . . . . fuerit pacifice assecutus, prefate littere . . . . et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Nos enim cum eodem Johanne clerico, qui in minoribus dumtaxat ordinibus constitutus existit, ut racione dicte parrochialis ecclesie usque ad biennium a tempore date presencium computandum ad subdiaconatus vel alios sacros superiores ordines se facere promoveri minime teneatur . . . ., dispensamus . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 56^{b} — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRÛARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXV DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 725.

1530. *Episcopo Concordiensi mandatur, quatenus Petrum de Prachaticz surroget ad omne ius, quod Pešikoni de Nadslav tempore eius obitus in quodam altari s. Georgii ecclesiae Boleslaviensis competebat.*

Romae, 1399 Decembris 2.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus de Prachaticz presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem pro parte quondam Pessikonis de Nadslaw presbyteri dicte diocesis nobis exposito, quod, cum olim . . . . Johannes archiepiscopus Pragensis altare s. Georgii situm in ecclesia ss. Cosme et Damiani Boleslauiensi dicte diocesis, tunc per obitum quondam Bohinkonis . . . . extra Romanam curiam defuncti vacans, prefato Pessikoni auctoritate ordinaria contulisset et providisset eciam de eodem, ac . . . . Cuniko de Raysicz, qui se gerit pro clerico dicte diocesis prefatum altare occuparet et detineret occupatum, dictusque Pessiko eundem Cunikonem super hoc, petendo altare ipsum sibi adiudicari et super eo ipsi Cunikoni perpetuum silencium imponi eundemque Cunikonem ab ipso altari amoveri seque in eius corporalem possessionem induci, coram . . . . vicario in spiritualibus generali prefati archiepiscopi non ex delegacione apostolica fecisset ad iudicium evocari, idem vicarius in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatum Cunikonem ab impeticione ipsius Pessikonis absolvit, sentenciam promulgarat, a qua pro parte ipsius Pessikonis fuerat ad sedem apostolicam appellatum, quodque nullus dictum altare obtinere poterat, nisi actu presbyter existeret, dictusque Cuniko tunc erat minor annis se faciendi ad sacerdocium promoveri: nos . . . . Johanni episcopo Lubicensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, per nostras litteras ad instanciam dicti Pessikonis dedimus in mandatis, ut causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis, quam idem Pessiko contra prefatum Cunikonem de et super dicto altari et eius occasione moveri intendebat, auctoritate nostra audiret et fine debito decideret, cum potestate citandi prefatum Cunikonem extra eandem curiam et ad partes, quociens opus esset, et nichilominus dictum altare . . . . eidem Pessikoni auctoritate predicta conferret et eciam assignaret . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, postquam idem episcopus tunc auditor ad nonnullos citacionis actus in causa huiusmodi, ut asseritur, processerat, dictus Pessiko, possessione dicti altaris per eum non habita, extra curiam predictam extiterit vita functus, nos . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatinus dictum Petrum . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Pessikoni tempore sui obitus in dicto altari seu ad illud quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus altare ipsum, cuius fructus . . . . sedecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S Petrum quarto nonas Decembris a. undecimo.

R. Lat 77 fol. 98v – Supra in marg. sin. A. DE PORTUGRUARIO, in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1531. *Ad supplicationem Vilhelmi marchionis Misnensis et consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis ecclesia Misnensis ac clerus et populus civitatis et diocesis Misnensium ab omni iurisdictione, dominio et potestate,*

quibus archiepiscopo Magdeburgensi iure metropolitico et archiepiscopo Pragensi, qui legatus natus existit, iure legationis aut alias quovis modo subesse noscuntur, penitus eximuntur, et sub b. Petri et sedis apostolicae protectione suscipiuntur, dictaeque sedi immediate subesse declarantur. „Sincere devocionis affectus" „Rome ap. S. Petrum II. idus Decembris pont. n. a. undecimo."

Romae, 1399 Decembris 12.

Originale in archivio ecclesiae Misnensis. Ed. Pelzel, Wenzel IV, Tom. II. Urkundenb p. 30. nr. 137; Friud, Kirchengeschichte Böhmens III p. 330; Gersdorf, Urkundenbuch des Hochstifts Meissen II (Cod. dipl. Saxoniae II) p. 284 nr 751. Excerptum Raynaldi „ex libro quarto de exhibitis, de beneficiis vacantibus, diversis formis, regularibus, confessionalibus a. XI" fol. 244. in codice Vatic. 6952 fol. 266b continetur.

1532. *Controversia inter Johannem Mülheim de Pardubicz et Johannem episcopum Litomyšlensem super quibusdam bonis dicto episcopo per Venceslaum regem ablatis, quae ei idem rex una cum praefato Johanne Mülheim et aliis fideiussoribus restituere promiserunt, in palatio apostolico nota annullatur, dictusque Johannes Mülheim ab omni fideiussione absolvitur.*

Romae, 1399 Decembris 13.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Decet, ut ea, que amicabili composicione racionabiliter semel finita fuerunt, ad recidive dubitacionis scrupulum minime relabantur, et si forte de ipsorum immutacione agatur, ne ex illis turbaciones et damna subsequantur, Romanus pontifex, qui ex incumbenti ei pastoralis officii debito Christi fidelium pacis et tranquillitatis pervigil procurator et conservator existit, quantum ei ex alto permittitur, illis remedio tenetur occurrere congruenti. Sane, sicut nuper accepimus fama publica referente, quod, cum olim humani generis hoste procurante inter carissimum in Chr. filium nostrum Wenceslaum regem Romanorum illustrem ex una parte, necnon diversos barones, milites, militares et proceres regni sui Boemie ac familiares et complices eorum super diversis negociis et articulis tunc expressis graves et hostiles guerre sive dissenciones, commociones et turbines suscitati, et incrassantibus ac durantibus dissencionibus ipsis hominum, terrarum, oppidorum et aliorum locorum diversorum invasiones, capciones, detenciones, incendia, rapine, calamitates et damna varia, que guerre parturiunt, subsecuta fuissent, ac inter hec castrum Landeskrona Luthomislensis diocesis, quod eciam in temporalibus ad episcopalem mensam Luthomislensem pertinet, et nonnulla oppida et bona cum iuribus et pertinenciis suis, in illis partibus consistencia et ad eosdem barones, milites, militares et proceres necnon familiares et complices coniunctim vel divisim pertinencia, tunc expressa, ad eiusdem regis manum sive forciam pervenissent, idemque rex illa detineret aliquandiu occupata: tandem partes mediante et ordinante carissimo in Chr. filio nostro Sigismundo rege Ungarie illustri, fratre dicti regis Romanorum ac arbitro et arbitratore et amicabili compositore per partes ipsas pro bono et tranquillo parcium ac regni huiusmodi, datore pacis annuente, electo, ad talem inter cetera concordiam devenerunt, videlicet, quod

prefatus rex Romanorum castrum ecclesie et episcopo, necnon oppida et bona huiusmodi cum eorum iuribus et pertinenciis antedictis baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus ipsis, prout illa pertinerent ad ipsos, infra certum tempus eciam tunc expressum restituere eosque ad possessionem et tenutam castri, oppidorum et bonorum predictorum cum eisdem iuribus et pertinenciis efficaciter ponere vellet ac deberet, et pro hiis firmius adimplendis idem rex Romanorum dilectum filium nobilem virum Johannem Mulheim de Pardubicz militem predicte diocesis, consiliarium suum, et plerosque alios fideiussores tunc nominatos episcopo, baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus ipsis dedit; qui quidem fideiussores una cum eodem rege Romanorum et pro eo ipso baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus eisdem promiserunt bona fide eciam sub vallacione certi obstagii, per eosdem fideiussores et eorum quemlibet in quibusdam locis dicti regni sub certis modo et forma similiter tunc expressis peragendi, quod ipse rex Romanorum huiusmodi premissa vellet et deberet attendere necnon efficaciter adimplere, quodque, si prefatus rex Romanorum durante huiusmodi obstagio castrum episcopo, oppida necnon alia bona cum eisdem iuribus et pertinenciis baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus ipsis non restitueret sive ad possessionem et tenutam huiusmodi non reponeret iuxta formam promissionis eiusdem, tunc predicti fideiussores peracto per eos huiusmodi obstagio infra certum tempus eciam tunc expressum omnia damna, que episcopus, barones, milites, militares, proceres, familiares et complices ex hoc, eciam quousque idem rex Romanorum castrum oppida et bona huiusmodi cum eisdem iuribus et pertinenciis episcopo, baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus ipsis restituisset, et ad possessionem ac tenutum huiusmodi efficaciter posuisset, incurrerent, que legitime et dolo cessante probari valerent, episcopo, baronibus, militibus, militaribus, proceribus, familiaribus et complicibus antedictis integraliter reddere ac de illis satisfacere tenerentur et vellent, datis et confectis super hiis eciam quibusdam litteris auttenticis, regis Romanorum, militis et aliorum fideiussorum predictorum sigillis munitis, et aliis cautionibus factis in talibus iuxta illius patrie morem fieri consuetis. Postmodum vero idem episcopus pretendens, quod predictus rex Romanorum prefatum castrum infra huiusmodi tempus super hoc statutum, ut prefertur, eidem episcopo non restituisset, sive ipsum episcopum ad predicti castri possessionem ac tenutam non posuisset, quodque propterea idem episcopus multa damna eciam tunc expressa incurrisset, eundem militem super hoc, petendo ipsum condemnari et compelli ad satisfaciendum sibi de dampnis eisdem, coram dilecto filio Henrico abbate monasterii b. Marie Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis, asserente se conservatorem eidem episcopo contra inferentes ei iniurias sive damna in bonis ad dictam mensam spectantibus a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputatum, et habentem cognoscendi de hiis, que iudicialem requirunt indaginem, specialem a sede predicta potestatem, pretextu earundem litterarum traxit in causam, dictusque abbas in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro eodem episcopo et contra dictum militem sentenciam promulgavit; a qua quidem sentencia dictus miles ad sedem appellavit eandem, et super appellacione sua huiusmodi nostras ad dilectum

filium decanum ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi, eius nomine proprio non expresso, sub certa forma litteras impetravit, dictumque episcopum fecit in causa appellacionis huiusmodi coram eodem decano pretextu litterarum predictarum ad eum obtentarum ad iudicium evocari. Cumque postea dictus episcopus, pretendens se ab eodem decano, postquam in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat, indebite fore gravatum, propterea ad sedem appellasset eandem, nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis dilecto filio magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti episcopi audiendam commisimus et fine debito terminandam, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanum curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, ipseque auditor in causa huiusmodi ad certos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem prefatus rex Romanorum, ut pro eius parte cerciores sumus effecti, episcopo et mense prefatis dudum predictum castrum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, eciam ad hoc dicto milite, quantum in eo fuit, operam dante et instante apud eundem regem, efficaciter restituerit, ipseque episcopus illud extunc tenuerit et possederit ac teneat et possideat pacifice et quiete, ipseque rex Romanorum paratus existat de huiusmodi damnis, si qua episcopus et mensa predicti occasione retardacionis commisse per eundem regem Romanorum in non restituendo forsan huiusmodi castrum infra idem tempus, quo restitui debebat, ut prefertur, iuxta promissionem memoratam, sustinuerit, de quibus tamen prefatus episcopus coram probis viris iuxta consuetudinem regni predicti hactenus in talibus observatam et iuxta fideiussionem antedictam legitime docuerit, satisfacere competenter, quodque, si huiusmodi causa coram eodem auditore pendens inter episcopum et militem predictos tractaretur ulterius, ex hoc, quod absit, grandia verisimiliter possent dispendia in eodem regno denuo exoriri, nos, quorum interest regis Romanorum et regni predictorum ac habitatorum et incolarum eiusdem regni quietis commoda et tranquillitatis amena procurare, quantum cum Deo possumus, delectati[b] ac reputantes eciam huiusmodi accionem episcopi memorati, qua eundem militem occasione fideiussionis eiusdem coram eodem auditore impetit, equitate pensata usquequaque non fore consonam racioni, ut ex premissis colligitur evidenter, ac statum omnium premissorum habentes presentibus pro expresso, motu proprio huiusmodi causam sive controversiam coram eodem auditore occasione premissorum, ut premittitur, pendentem, ex certa sciencia auctoritate apostolica extinguimus, cassamus et annullamus penitus per presentes, ac nichilominus dictum militem auctoritate predicta a fideiussione predicta, in quantum episcopum et mensam predictos sibique eciam in hoc adherentes concernit, plenarie absolvimus et totaliter liberamus, ita quod pretextu fideiussionis huiusmodi predictus miles aut eius successores et heredes per episcopum Luthomislensem pro tempore existentem et eandem mensam ac adherentes predictos deinceps inquietari,impeti vel molestari non possit nec debeat ullo modo in iudicio vel extra iudicium pretextu fideiussionis eiusdem sive alias occasione vel causa quacunque; ita tamen, quod prefatus rex Romanorum episcopo pro tempore existenti et mense ac adherentibus predictis huiusmodi damna, si qua Johannes episcopus, mensa ac adherentes prefati occasione commisse retardacionis forsan per eundem regem in non restituendo castrum

predictum cum eius iuribus et pertinenciis ipsis infra huiusmodi tempus ad hoc statutum post dictum terminum ad hoc datum, ut premittitur, sustinuerit, et de quibus tamen dictus episcopus existens pro tempore et adherentes eius iuxta consuetudinem memoratam coram huiusmodi probis viris et neutri parti suspectis in eisdem illis legitime docere teneatur, et sicut predicti probi viri duxerint ordinandum, super quo eciam dicti regis Romanorum consciencium oneramus, resarcire et de illis satisfacere integre teneatur. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. undecimo.

R. Lat. 79 fol. 33ᵃ — a) ‚peragendis' cod. b) ‚delectari' cod. — Supra in marg. sin: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO – Partim editum ap. Fraknói Monum. Hung. Vatic. ser. I tom. IV p. 159 nr. 296.

1533. *Judicibus mandatur, quatenus processus, in causa, inter Bertoldum de Camen rectorem in Vansor et habitatores villarum in Hermannivilla et Tempelfeld super quibusdam decimis exorta, per Andream praepositum ecclesiae Rudensis habitos, aggravare procurent.*

Romae, 1399 Decembris 18.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . Bertoldi de Camen rectoris parrochialis ecclesie in Wanszow Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse contra scultetos, scabinos, incolas et habitatores et cultores agrorum villarum Hermanniuilla et Tempilfelt dicte diocesis, qui super nonnullis bladorum, avene et siliginis quantitatibus ad eum racione decimarum ‚maldratarum' nuncupatarum nomine dicte ecclesie pertinentibus iniuriabantur eidem, apostolicas super hiis ad . . . . abbatem monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses, eius proprio nomine non expresso, in communi forma litteras impetravit eosdemque scultetos, scabinos, incolas, habitatores et cultores agrorum, qui tempore impetracionis dictarum litterarum et eciam tunc huiusmodi decimas ei dare et solvere legitime tenebantur, super hoc, petendo ipsos condemnari et compelli ad dandum et solvendum sibi huiusmodi decimas, coram . . . . Andrea preposito ecclesie Rudensis Gneznensis diocesis in civitate Wratislauiensi commorante, cui prefatus abbas super hiis commiserat vices suas, donec eas ad se duceret revocandas, vigore huiusmodi litterarum et commissionis fecit communiter ad iudicium evocari, dictusque prepositus in dicta civitate legitime in causa ipsa procedens, diffinitivam contra ipsos scultetos, scabinos, incolas, habitatores et cultores agrorum sentenciam promulgavit, et pro excecucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transiverat iudicatam, ad instanciam dicti rectoris nonnullos processus in talibus fieri consuetos contra ipsos scultetos, scabinos, incolas, habitatores et cultores agrorum fecit, per quos inter cetera eosdem scultetos, scabinos, incolas, habitatores et cultores agrorum monuit ac mandavit eisdem, ut infra

certum terminum peremptorium competentem tunc expressum huiusmodi rei iudicate parerent, alioquin in eos extunc excommunicacionis sentenciam promulgabat, et deinde prefatos sculletos, scabinos, incolas, habitatores et cultores agrorum declaravit propter eorum contumaciam manifestam excommunicacionis sentenciam incidisse, ipsosque mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipsi sculteti, scabini, incole, habitatores et cultores agrorum per annos et ultra predictas sentencias dampnabiliter sustinuerunt et sustinent animo indurato . . . ., pro parte dicti rectoris fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios legitimis super hiis per eundem prepositum habitis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome ap S. Petrum quinto decimo kal. Januarii a. undecimo.

R. Lat 80 fol. 61[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — Ad totum confer Heyne, Dokumentirte Geschichte des Bisthums und Hochstifts Breslau. Bd. II p. 523, et nr. 1478 supra.

1534. *Litomyślensis*[a] *et Pataviensis episcopi ac abbas monasterii Strahoviensis*[b] *Pragensis dioc. conservatores Sulconis prepositi et conventus monasterii Chotěšoviensis*[c] *per prepositum soliti gubernari Romanae ecclesiae immediate subiecti praemonstratensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Januarii a. undecimo.“*

Romae, 1399 Decembris 18.

R. Lat. 75 fol. 216[b] — [a] ‚Luthomusien'. [b] ‚Strahauien'. [c] ‚Chotyessouien'. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1535. *Episcopo Chiemensi*[a] *mandatur, quatenus Bartholomaeo Chawczel praeposito ecclesiae Soliensis Salzburgensis*[b] *dioc., magistro in artibus, perpetuam vicariam ‚praebendam imperatoris' nuncupatam in ecclesia Aquilegensi, in qua ad praesentationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, eiusdem vicariae patroni, per Anthonium patriarcham Aquilegensem auctoritate ordinaria institutus est, auctoritate apostolica conferat. „Dignum arbitramur“. „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. undecimo.“*

Romae, 1399 Decembris 22.

R. Lat. 78 fol. 151[a] — [a] ‚Chymen'. [b] ‚Salczeburgen'. — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1536. *Episcopo Ferentinatensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac decano ecclesiae Cineznensis mandatur, quatenus Andreae*

de Clonka praeposito ecclesiae b. Mariae in Kalis[a]) *Gneznensis dioc. canonicatum et praebendam in ecclesia Gneznensi vacantes conferant. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Jannuarii a. undecimo."*

Romae, 1398 Decembris 1.

R. Lat. 77 fol. 281 [a) Calis] Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, CANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO

1537. *Iudicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa inter Henricum abbatem et conventum monasterii Siloensis ac Jodocum marchionem Moraviae super iure patronatus ecclesiae in Iglavia exorta in palatio apostolico contra dictum marchionem latae sunt, exsequantur.*

Romae, 1400 Januarii 8.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Scotorum Vienensis Patauiensis diocesis ac . . decano ecclesie Pragensis . . . . Peticio dilectorum filiorum Henrici abbatis et conventus monasterii Siloensis premonstratensis ordinis Pragensis diocesis nobis exhibita continebat, quod, licet ius patronatus parrochialis ecclesie in Iglawia Olomucensis diocesis et presentandi rectorem ad ecclesiam ipsam ad abbatem dicti monasterii pro tempore existentem iusto titulo pertineret, ipseque Henricus et predecessores sui, abbates eiusdem monasterii, qui fuerunt pro tempore, fuissent in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi rectorem ad dictam ecclesiam a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tamen nobilis vir Jodocus marchio Morawie, falso asserens ius patronatus et presentandi rectorem huiusmodi ad se et marchiones Morawie pro tempore existentes pertinere ac eisdem abbati et conventui in premissis se opponens, impedivit, prout impedit, ac fecit et facit, quominus dictus abbas huiusmodi iuris posset pacifica possessione gaudere, et alias eosdem abbatem et conventum super iure huiusmodi et eius occasione multipliciter molestavit, vexavit ac eciam impeciit, ortaque propterea inter abbatem et conventum ac marchionem predictos huiusmodi materia questionis etc. (*sic*), nos igitur prefatorum abbatis et conventus supplicacionibus inclinati, que super hiis ab eisdem Nicolao episcopo tunc et Branda ac Johanne Prene auditoribus provide facta sunt, rata habentes et grata dictasque sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . premissa execucioni debite demandantes prefatasque sentencias, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis eosdem abbatem et conventum iuris patronatus et presentandi huiusmodi, amoto exinde dicto marchione, pacifica possessione gaudere, ipsisque de predictis florenorum summis pro dictis expensis iuxta prefatorum instrumentorum earundem condemnacionum et taxacionum tenores plenam et debitam satisfaccionem impendi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo. Datum Rome apud S. Petrum VI. idus Januarii pont. n. a. undecimo.

Copia abbreviata huius bullae transsumpto Hilarii de Litoměřicz ddto. 1463 Martii 26 continetur, cuius originale in archivio monasterii Siloensis sub nr. 55 exstat. Quo ex illustrissimi dom. E. Kadeřávek benevolentia Pragae uti potui.

1538. *Praeposito ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Sigismundo Czenekonis Dominik canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1400 Januarii 8.

Bonifacius .... preposito ecclesie Wratislauiensis .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Sigismundi Czenekonis Dominik clerici Wratislauiensis peticio continebat, quod olim ipse altare sanctorum Decem milium militum situm in cripta s. Crucis extra muros Wratislauienses et .... Wolfhardus Bernhardi de Cedelicz canonicatum et prebendam Wratislauiensis ecclesiarum, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos .... invicem permutare, in manibus .... Wenczeslai episcopi Wratislauiensis ex causa permutacionis huiusmodi extra Romanam curiam sponte et libere resignarunt, idemque episcopus resignacionibus huiusmodi extra dictam curiam per eum auctoritate ordinaria admissis, canonicatum et prebendam Sigismundo et altare predicta per huiusmodi resignaciones vacancia Wolfhardo prefatis dicta auctoritate contulit et providit eciam de eisdem, ipseque Sigismundus eosdem canonicatum et prebendam .... extitit assecutus, ac ipsos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem .... dictus Sigismundus dubitet collacionem et provisionem predictas sibi factas .... viribus non subsistere ...., nos volentes eundem Sigismundum, qui, ut asseritur, in duodecimo[a]) sue etatis anno vel citra constitutus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... predictos canonicatum et prebendam, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Sigismundo auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Januarii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 142[a] — [a]) Correctum in margine ex ‚quarto decimo' cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento." — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1539. *Cum Sigismundo Czenekonis Dominik, qui canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis obtinet et in duodecimo[a]) aetatis suae anno ac in minoribus ordinibus existit, dispensatur, ut ad subdiaconatus ordinem statutis a iure temporibus observatis promoveri possit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Januarii a. undecimo."*

Romae, 1400 Januarii 9.

R. Lat. 80 fol. 279[b] — [a]) Correctum in margine ex ‚quarto decimo' adiuncta nota: „Correctum de mandato die XXVIII Aprilis anno undecimo, N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1540. *Michaeli Crevois canonico Vratislaviensi, familiari apostolico, conceditur, ut quaecunque beneficia ecclesiastica, quae obtinet aut obtinebit, sine speciali sedis apostolicae licentia pro aliis beneficiis ecclesiasticis toties, quoties ei placuerit, permutare possit. „Grata tue devocionis" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Januarii a. undecimo."*

Romae, 1400 Januarii 11.

R. Lat. 80 fol. 132ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1541. *Abbati in Baumgartenberg mandatur, quatenus causam appellationis nonnullarum ecclesiasticarum personarum a mandato Venceslai patriarchae Anthioceni, iuxta quod decimam regi Venceslao a sede apostolica concessam solvere debent, audiat et decidat.*

Romae, 1400 Januarii 12.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Pungarstenberg Patauiensis diocesis . . . . Dudum ex certis causis tunc expressis carissimo in Chr. filio Wenceslao Romanorum et Boemie regi illustri decimam unius anni omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in regno Boemie et nonnullis aliis partibus tunc expressis consistencium infra certum terminum eciam tunc expressum solvendam et exigendam concessimus et imposuimus, certis sibi super hoc executoribus deputatis, ac voluimus inter cetera, quod hii, quorum facultates ad integram solucionem huiusmodi decime supportatis aliis oneribus consuetis non suppeterent, ultra quam iuxta suarum qualitatum huiusmodi exigenciam commode possent, illi vero, qui de ipsa decima nichil solvere possent, ad solvendum aliquid pretextu imposicionis huiusmodi nullatenus compellerentur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Georgii prepositi ecclesie Pragensis ac Johannis abbatis et conventus monasterii in Trzebon ord. s. Augustini ac Hostislai Dublebensis et in Krumpnow, Johannis Chinouiensis et in Tesna,[2]) Woyslai Wltamiensis ac in Miliczin, necnon Wenceslai Wolinensis decanatuum ruralium decanorum et in Bawarow, ac Wenceslai in Capplicz, Przibiconis in Depodolee,[3]) Johannis in Welesin, Wilhelmi in Rzecicz, Nicolai in Piklokoth,[4]) Johannis in Straz, Johannis in Prezicz, Przibsslai in Sedlecz, Nicolai in Sedlczan, Wenceslai in Kossowalzani[5]) et aliorum infra limites dictorum decanatuum consistencium parrochialium ecclesiarum rectorum Pragensis diocesis peticio continebat, licet ipsi propter guerras inter dictum regem et nonnullos nobiles regni Boemie in partibus illis vigentes sint plurimum afflicti et dampnificati, adeo quod ad solucionem decime huiusmodi ipsorum non suppetunt facultates, et propterea ac certis aliis de causis attento tenore dictarum litterarum nostrarum ad solucionem decime huiusmodi minime teneantur, tamen venerabilis frater noster Wenceslaus patriarcha Anthiocenus, asserens se ad hoc ab executoribus in dictis litteris deputatis specialem potestatem habere, eosdem prepositum, abbatem et conventum,

decanos et rectores sub excommunicacionis et aliis sentenciis atque penis tunc expressis monuit et mandavit eisdem, ut decimam huiusmodi integraliter solverent, prout eorum quemlibet contingebat, alioquin eos, quos extunc excommunicabat, mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari; propter que pro parte ipsorum prepositi, abbatis et conventus, decanorum et rectorum, sencienciuum exinde indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum ac nobis humiliter supplicatum, ut causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis alicui probo in partibus audiendam et fine debito terminandam committere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis audias et fine debito decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Januarii a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 142ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: X. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 158. [2]) i. e. Destná. [3]) i. e. Podol. [4]) i. e Klokoty, ubi tunc Nicolaus Šiška plebanus fuit. [5]) i. e. Kosova hora, ubi 1399 Febr. 28 Venceslaus plebanus institutas est; cf. Emler, Lib. conf. VI p. 2.

1542. *Episcopo Agrigentino mandatur, quatenus Bartholomaeum de Hořovicz surroget ad omne ius, quod Raczkoni de Heřmanicz tempore eius cessionis in quodam altari ecclesiae Pragensis competebat.*

Romae, 1400 Januarii 12.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Agrigentino in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Bartholomeus Petri de Horziewicz presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Bartholomei peticio continebat, quod, cum olim sibi de altari s. Catherine in cancellis sito in ecclesia Pragensi, tunc per obitum quondam Henzlini dicti Skrydlarz ipsius altaris rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, auctoritate apostolica graciose mandatum fuisset provideri,[1]) dictumque altare sibi huiusmodi gracie et mandati vigore deberet, ac . . . . Raczko Alberti de Hermanicz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, impediret et faceret, quominus gracia et mandatum huiusmodi debitum sortirentur effectum, et quominus ipsi Bartholomeo de predicto altari provideretur, ipsumque altare occuparet et detineret indebite occupatum, prefatus Bartholomeus eundem Raczkonem super hoc, petendo pronunciari, decerni et declarari graciam et mandatum predicta fuisse et esse canonica, dictumque altare sibi adiudicari et super eo predicto Raczkoni perpetuum silencium imponi, coram . . . Johanne Kbel officiali Pragensi, executore gracie et mandati predictorum, fecit ad iudicium evocari, idemque officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera altare predictum Raczkoni adiudicavit et super eo Bartholomeo prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Bartholomei fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis

huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ex instanciam dicti Bartholomei . . . . commisimus . . ., tuque in causa ipsa usque ad conclusionem inclusive inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . prefatus Raczko in possessione dicti altaris existens, liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in dicto altari seu ad illud quomodolibet competenti necnon possessioni ipsius altaris coram notario publico et certis testibus extra Romanam curiam sponte et libere cesserit, ipseque Bartholomeus possessionem dicti altaris de ipsius Raczkonis libero consensu apprehenderit, nos cessionem ratam et gratam habentes . . ., fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes . . ., mandamus, quatenus prefatum Bartholomeum . . . . in iure et ad ius huiusmodi auctoritate nostra surroges . . ., et nichilominus prefatum altare, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . trium marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., eidem Bartholomeo auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Januarii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 91a – Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO. – Cf. nr 1.500.

1543. *Judicibus mandatur, quatenus ad executionem sententiarum in palatio apostolico latarum, per quas Mathiae de [Lhota quaedam capella prope Velharticz adiudicata est, contra omnes in ipsa capella intrusos et intrudendos procedant.*

Romae, 1400 Januarii 12.

Bonifacius . . . . episcopo Pennensi et . . . . Nigropontensis et Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Mathei (*sic*) dicti Burdi (*sic*) de Wilharticz rectoris capelle ss Marie Magdalene et Dorothe prope Wilharticz Pragensis diocesis peticio continebat, quod dudum ipse in causa, per eum contra Jacobum dictum Miracz presbyterum dicte diocesis super capella predicta, quam dictus Mathias vigore quarundam litterarum nostrarum . . . . infra tempus legitimum acceptaverat et de ea sibi provisum fuerat, et quam idem Jacobus detinebat indebite occupatam, mota [et] in palacio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata,[1] duas pro se et contra dictum Jacobum, per quas inter cetera capella predicta dicto Mathie adiudicata, et super ea Jacobo prefatis perpetuum silencium impositum, ipse[que] Jacobus in expensis in causa huiusmodi legitime factis condemnatus fuerat, et quarum ultima nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, diffinitivas sentencias reportavit et super execucione sentenciarum et restitucione expensarum huiusmodi, que ad certas florenorum auri summas taxate fuerant, nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit, tuque, frater episcope, solus in huiusmodi execucionis procedens negocio, prout [ex] dictarum litterarum forma poteras, nonnullos processus fecisti in talibus fieri consuetos, monens inter cetera eundem Jacobum et mandans eidem, ut infra certum peremptorium terminum tunc expressum dictam capellam

eidem Mathie libere dimitteret et sibi de huiusmodi florenorum summa pro dictis expensis satisfaceret cum effectu, alioquin in eundem Jacobum ac eciam in contradictores et rebelles diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgabas. Et licet processus, monicio et mandatum huiusmodi ad indubitatam noticiam dicti Jacobi pervenisset, tamen idem Jacobus in reprobrum sensum datus, huiusmodi processibus, monicionibus et mandatis per eum vilipensis, capellam predictam prefato Mathie dimittere et sibi de huiusmodi florenorum summis pro dictis expensis satisfacere necnon dictum Mathiam ad possessionem pacificam dicte capelle admittere recusavit, penas et sentencias in prefatis processibus contentas damnabiliter incurrendo easque per annum et amplius dampnabiliter sustinendo . . . . Cum autem . . . . idem Mathias dubitet, ne aliqui alii in dicta capella se intruserint vel imposterum intrudant, pro parte ipsius Mathie fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus ad execucionem dictarum sentenciarum pro dicto Mathia, ut premittitur, latarum tam contra prefatum Jacobum quam contra alios in capella predicta forsan intrusos vel imposterum intrudendos perinde quoad possessionem duntaxat dicte capelle prefato Mathie tradendum auctoritate nostra procedatis, ac si dicte sentencie contra eos late fuissent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Januarii a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 180a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 647.

1544. *„Abbati et conventui monasterii s. Mariae in Pomuck cisterciensis ord. Pragensis dioc. unit perpetuo quasdam parrochiales ecclesias dictae dioc. etc. non obstantibus etc. Datum Romae ap. S. Petrum XVII. calendas Februarii a XI.“*

Romae, 1400 Januarii 16.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de regularibus, fructibus percipiendis, litteris dominorum cardinalium, provisionibus a. XI fol. 53“ in cod. Vaticano 6952 fol. 269b continetur Cf. infra nr. 1741, ubi litterarum papae Bonifatii „septimo (!) kal. Februarii a. undecimo“ data rum mentio fit, per quas monasterio Pomucensi parrochiales ecclesiae in Vrčan, Blovicz ac Zdemyslicz sunt unitae.

1545. *Ecclesiam parrochialem ss. Petri et Pauli ac aliorum apostolorum in Namslaw Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nr. 366 nominantur, ac die iovis in coena domini et feria sexta proxime sequente et in festivitatibus dominicae palmarum ac ss. Michaelis archangeli et Hedvigis) visitantibus et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Februarii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Januarii 17.

R. Lat. 73 fol. 36b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1546. *Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus cum Benešio[a]) barone baroniae de Benešov alias de Kvasicz[b]) et Elizabeth Jaroslai baronis baroniae de Czimburg alias de Hvězdlicz[c]) nata Olomucensis dioc., qui tertio et quarto consanguinitatis gradibus insimul sunt coniuncti, auctoritate apostolica dispenset, ut huiusmodi consanguinitatis impedimento non obstante matrimoniam inter se contrahere possint. „Oblate nobis" „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. undecimo".*

Romae, 1400 Januarii 18.

R. Lat. 73 fol. 221b. — [a]) Benessii. [b]) Benessaw alias de Quassicz. [c]) Czymburg alias de Hwyezdlicz. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

1547. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Venceslaum de Čakovicz neque Otticonem de Verona in capella s. Crucis sita prope ecclesiam Vyšehradensem ius habere, dicto Venceslao eam conferat.*

Romae, 1400 Januarii 18.

Bonifacius .... Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Wenceslaus de Czakowicz perpetuus vicarius ad altare s. Vitalis situm in ecclesia s. Petri Wissegradensi Pragensi .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et .... Otezikonem de Werona, qui se gerit pro presbytero Pragensis diocesis, super capella s. Crucis sita prope dictam ecclesiam, ad quam, tunc per obitum quondam Stiborii ultimi ipsius capelle rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Wenceslaus se per veros patronos .. . Wolframo archiepiscopo Pragensi infra tempus debitum presentatum fuisse canonice, ac eandem capellam vigore presentacionis huiusmodi sibi deberi, dictumque Otezikonem se presentacioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus idem Wenceslaus in rectorem dicte capelle institueretur. Oteziko vero predicti se per nonnullos alios, quos eciam veros patronos dicte capelle asserebat, prefato archiepiscopo similiter presentatum ipsamque capellam vigore presentacionis huiusmodi ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, coram .... Nicolao officiali Pragensi non ex delegacione apostolica materia questionis, quolibet eorum de se factam presentacionem huiusmodi fuisse et esse canonicam, seque in rectorem dicte capelle instituí illamque sibi adiudicari petente:[1]) idem officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatos presentatos hinc inde equalitatem vocum patronorum huiusmodi habere et propterea inter eosdem presentatos, quis eorum in rectorem dicte capelle institueretur, sortem poni debere pronunciavit, sentenciam promulgavit, a qua pro parte dicti Wenceslai fuit ad sedem

apostolicam appellatum; et deinde, cum per eosdem Wenceslaum et Otezikonem in nonnullos arbitros pendente appellacione huiusmodi compromissum foret, ipsique arbitri minime pronunciassent, nos compromisso ipso adhuc pendente causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Wenceslai commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . ab aliquibus asseratur neutri dictorum Wenceslai et Otezikonis in dicta capella seu ad eam ius competere, nos . . . . fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Wenceslai et Otezikonis in dicta capella seu ad eam ius habere, capellam ipsam, que sine cura est, et cuius fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . . . quod idem Wenceslaus, ut asserit, perpetuam vicariam ad altare predictum, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 116b – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1] Cf. Tadra, Acta ind. III. passim, et ibid. IV. p. 81, ubi noster Venceslaus de Čakovicz ‚Wenceslaus Fragmenta' vocatur.

1548. *Johanni de Mnišek providetur motu proprio de canonicatu et praebenda in ecclesia Olomucensi vacantibus.*

Romae, 1400 Januarii 19.

Bonifacius . . . . Johanni Johannis de Mnyssek canonico Olomucensi . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc per obitum quorumcunque capellanorum sedis apostolice vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Johannes Senging . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui capellanus dicte sedis existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui in registro supplicacionum fideliter scribis . . . ., motu proprio . . . . graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . ; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . predicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan de dictis canonicatu et prebenda sub quacunque forma vel expressione verborum providimus seu concessimus aut mandavimus provideri, cuiuscunque eciam dignitatis, gradus vel condicionis extiterint, quibus hac vice duntaxat motu simili ex certa sciencia deroga-

mus et derogari volumus, te . . . . volumus anteferri . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Februarii a. undecimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 76 fol. 177[a] — In fine DE MANDATO, N. DE BENEVENTO

1549. *Episcopus Vratislaviensis collector decimae omnium ecclesiasticorum redituum et proventuum in regno Poloniae et provincia Gneznensi consistentium deputatur; quae decima per unum annum a publicatione praesentium litterarum ab omnibus personis ecclesiasticis dictorum regni et provinciae praeter cardinales et familiares apostolicos necnon magistros, priores, praeceptores et fratres hospitalium s. Johannis Jerosolimitani et b. Marie Theutonicorum solvenda et in subsidium Vladislai regis Poloniae contra Tartaros eius regnum invadentes convertenda est. „Nonnullorum perversorum" „Rome ap. S. Petrum XIV. kal. Februarii pont. n. a. undecimo".*

Romae, 1400 Januarii 19.

R. Vat. 316 fol. 306[a] — In fine: (ad sin.) F. DE MONTEPOLICIANO; (ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JO. DE TREMOSNICZ. — Ed. Theiner, Monum. Poloniae historica I. p. 771 nr. 1042.

1550. *Episcopo Vratislaviensi motu proprio mandatur, quatenus, quidquid per se vel succollectores suos ratione decimae hodie per alias litteras apostolicas clero regni Poloniae et provinciae Gneznensis impositae*[1]) *receperit, Vladislao regi Poloniae vel eius procuratoribus integre assignari faciat. „Dum clare devocionis" „Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Februarii pont. n. a. undecimo."*

Romae, 1400 Januarii 19.

R. Vat. 316 fol. 308[a]. — In fine: (ad sin.) F. DE MONTEPOLICIANO; (ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JO. DE TREMOSNICZ. — Ed. Theiner, Monum. Poloniae historica I. p. 773 nr. 1043. — [1]) Cf. nr. 1549.

1551. *Judicibus [per litteras in registro cancellatas] mandatur motu proprio, quatenus Venceslao patriarchae Anthioceno archidiaconatum Preroviensem conferant.*

Romae, 1400 Januarii 22.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . s. Ambrosii ac . . Strachouiensis Pragensium monasteriorum abbatibus . . . . Personam venerabilis fratris nostri Wenczeslai patriarche Anthioceni . . . . paterna benivolencia prosequentes, illam libenter prosequimur favoribus gracie specialis. Ad nostrum siquidem per-

venit auditum, quod olim archidiaconatu Prerouiensi in ecclesia Olomucensi, quem quondam Sanderus . . . obtinebat, per ipsius Sanderi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus patriarcha vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas dudum sibi de uno vel . . . . tot beneficiis ecclesiasticis . . . ., quod eorum valor ad duo milia florenorum auri . . . . annuatim ascenderet . . . ., mandavimus provideri . . . .[1]), predictum archidiaconatum sic vacantem et [ad] collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . decani et capituli ecclesie Olomucensis . . . . pertinentem infra tempus legitimum acceptavit et de eo obtinuit provideri. Cum autem a nonnullis asseratur acceptacionem et provisionem huiusmodi viribus non subsistere, ... motu proprio . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo aut per obitum quondam Johannis Seging eciam extra dictam curiam defuncti . . . . vacet . . . ., eidem patriarche auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Nos enim cum eodem patriarcha, ut dictum archidiaconatum . . . recipere et una cum ecclesia Anthiocena et quibuscunque monasteriis . . . . et aliis beneficiis ecclesiasticis . . . . retinere . . . valeat . . . ., motu simili . . . . dispensamus . . . .Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Februarii a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 165ª, sed ibi copia istius bullae cancellata est, nec ulla nota causam huius rei affert. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXVI DE BENEVENTO. [1]) Vide nr. 1146.

1552. *Nicolao [de Kreuzburg] rectori ecclesiae s. Elizabeth Vratislaviensis eiusque successoribus indulgetur, ut ad altaria eiusdem ecclesiae canonicos ord. s. Augustini cruciferorum cum stella loci ordinario praesentare possint.*

Romae, 1400 Januarii 22.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Ex debito collati nobis divina largicione regiminis ad ea, que divini cultus augmentum et personarum ecclesiasticarum presertim sub regulari observancia divinis laudibus insistencium commoda et honores conspiciunt, sedulis studiis intendimus, et ut ad optatum perducantur effectum, libenter apponimus sollicitudinis nostre partes. Sane pro parte . . . . Nicolai rectoris parrochialis ecclesie s. Elizabeth Wratislauiensis nobis nuper exhibita [petitio] continebat, quod in eadem ecclesia, que a domo hospitalis s. Mathie Wratislauiensis ord. s. Augustini cruciferorum cum stella dependet et per canonicos eiusdem domus, cuius ipse Nicolaus canonicus eciam expresse professus existit, solet gubernari, sunt nonnulla altaria sine cura, ad que, dum vacant, iuxta ordinacionem et voluntatem patronorum eorundem altarium seu consuetudinem per rectores dicte ecclesie hucusque observatam capellani seculares in dicta ecclesia una cum rectore eiusdem ecclesie in divinis pro tempore deservientes per huiusmodi rectorem pro tempore existentem loci ordinario presentari et per eundem ordinarium in altaristas perpetuos ipsorum altarium institui et investiri consueverunt. Cum autem . . . . prefatus Nicolaus pro huiusmodi cultus augmento et

ut in dicta ecclesia in divinis officiis laudabilius deserviatur et animarum cura in ea diligencius exerceatur ac onera predicta commodius supportentur, nonnullos ydoneos canonicos dicti ordinis, qui sibi una cum dictis capellanis secularibus in huiusmodi divinis officiis diurnis pariter et nocturnis peragendis devote assistunt, eorundem capellanorum secularium consorcio duxerit aggregandos, pro parte eiusdem Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut, quod ipse et successores sui, rectores dicte ecclesie, qui pro tempore fuerint, de cetero ad singula altaria predicta, quocienscunque illa simul vel successive vacare contigerit, singulos ex canonicis dicti ordinis hactenus congregatis et in futurum forsan congregandis loci ordinario per eundem ordinarium in altaristas altarium predictorum instituendos et investiendos presentare valeant, eisdem rectori et successoribus licenciam concedere . . . . dignaremur. Nos igitur dignum censentes et racioni consonum, ut hii, qui pro una re onera perferunt et labores, ex ea pro virium facultatibus eciam commoda senciant et honores . . ., quod de cetero perpetuis futuris temporibus tam prefatus rector quam successores sui, rectores dicte ecclesie, qui pro tempore fuerint, ad singula altaria predicta, quocienscunque illa vacare contigerit, singulos ydoneos canonicos dicti ordinis hactenus, ut prefertur, aggregatos et in futurum aggregandos eidem ordinario per ipsum in eisdem altaribus instituendos et investiendos iuxta ordinem seu ordinacionem inter capellanos seculares huiusmodi in prefata ecclesia hucusque observatum seu observatam presentare libere et licite valeant . . . ., eisdem rectori et successoribus auctoritate apostolica indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Februarii a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 256b — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]: in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. In margine sinistro etiam adscriptum est: „Cancelletur alia, cum reperietur, quia per istam corrigitur. N. de Benevento."

1553. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni Richwini parrochialem ecclesiam in Uherčicz (Auerschitz), auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Januarii 27.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac officiali Olomucensi . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Richwini presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Aureziez dicte diocesis, quam quondam Albertus . . . . obtinebat, per ipsius Alberti obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... nobilis vir Petrus baro baronie de Crawar alias dictus de Plumpnaw eiusdem diocesis, verus patronus ipsius ecclesie, . . . prefatum Johannem . . . . Johanni episcopo Olomucensi ad dictam ecclesiam infra tempus legitimum presentavit, idemque episcopus eundem Johannem presbyterum in rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria instituit. Cum autem . . . . pre-

latus Johannes presbyter dubitet presentacionem et institucionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni presbytero auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Februarii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 130v — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO

1554. *Omnibus, qui solemni officio, ad laudem et honorem s. Erasmi et s. Annae in parrochiali ecclesia in Linz*[a] *Patariensis dioc. ex institutione Venceslai Thiem*[b] */de Nikolsburg/ rectoris eiusdem ecclesiae singulis diebus decantari consueto, interfuerint, trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur. „Splendor paterne" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Februarii a. undecimo."*

Romae, 1400 Januarii 27.

R. Lat. 72 fol. 104[a] — a) ‚Lyncz' b) ‚Thyem' — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1555. *Ottoni Martini Rup providetur de scholastria ecclesiae Cracoviensis, cum ipse canonicatum et praebendam in s. Aegidii ac altare s. Mariae nativitatis situm in maiore Cracoviensibus ecclesiis, quos obtinebat, per magistrum Nicolaum de Falkenberg canonicum Opoliensem*[a] *Vratislaviensis dioc., procuratorem suum, ex causa permutationis pro dicta scholastria apud sedem apostolicam resignaverit. „Apostolice sedis circumspecta" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Februarii a. undecimo." — Simili modo Petro Strelicz et Johanni Schaffranetz canonicis Cracoviensibus ac officiali Cracoviensi.*

Romae, 1400 Januarii 28.

R. Lat. 73 fol. 77[r] — a) ‚Opilien'. – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO. N DE BENEVENTO.

1556. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Venceslao patriarchae Anthioceno neque Nicolao de Janovicz in praepositura ecclesiae Vyšehradensis ius competere, dicto Venceslao eam conferat.*

Romae, 1400 Januarii 29.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Vordis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Dudum ecclesie Anthiocene tunc pastoris solacio destitute de persona . . . . Wenczeslai patriarche Antiocheni duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in patriarcham et pa-

storem; et nichilominus, cum idem patriarcha, sicut acceperamus, possessionem administracionis bonorum ad mensam patriarchalem Antiochenam pertinencium ex certis causis habere nequiret et propterea statum suum iuxta patriarchalis dignitatis decenciam tenere non posset, nos ipsi patriarche, ut omnia et singula dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas, ecclesias et alia beneficia ecclesiastica secularia et regularia cum cura et sine cura, que tunc temporis obtinebat, et in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competebat, quecunque, quotcunque et qualiacunque ac cuiuscunque valoris forent, et in quibuscunque ecclesiis sive locis consisterent, ... una cum dicta ecclesia Antiochena eciam post munus consecracionis per ipsum suscipiendum ac lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti, quoad viveret, retinere et eorum fructus, redditus et proventus percipere libere et licite valeret, eadem auctoritate concessimus. Et deinde preposituram ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam nobis et Romane ecclesie immediate subiecte, que nullius diocesis existit, quam quondam Johannes Benessii . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantem, prefato patriarche per eum, similiter quoad viveret, tenendam, regendam et eciam gubernandam auctoritate predicta concessimus in commendam. Et successive pro parte dicti patriarche nobis exposito, quod . . . . Wenczeslaus Romanorum et Boemie rex illustris, verus patronus dicte prepositure . . . . , eundem patriarcham seu eandem preposituram [ei] commendandam eciam dilectis filiis capitulo ipsius ecclesie s. Petri infra tempus legitimum presentaverat, iidemque capitulum, cum ad ipsos capitulum de antiqua . . . . consuetudine institucio prepositi eiusdem ecclesie s. Petri pertineret, eciam ipsum patriarcham in eandem preposituram auctoritate ordinaria instituerant, ac ipse patriarcha huiusmodi presentacionis et institucionis vigore ad possessionem ipsius prepositure receptus extiterat et admissus, quodque . . . . Nicolaus natus olim Borchardi dicti Sternad de Janouicz, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, et nonnulle alie persone ecclesiastice et laicales ipsum patriarcham contra iusticiam et de facto impediebant, quominus ipse possessionem nonnullorum censuum, decimarum, reddituum et proventuum necnon possessionum et certorum aliorum bonorum, ad dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas ac alia beneficia, que, ut premittitur, obtinebat, necnon ad preposituram predictam communiter ac divisim pertinencium, adipisci posset, dictusque Nicolaus per se et alios certa possessiones et bona ad eandem preposituram pertinencia occupabant et detinebant ac ex eis et dicta prepositura quamplures fructus percipiebant, et tunc percipere non verebantur, nos certo iudici tunc expresso nostris dedimus litteris in mandatis, ut prefatum Nicolaum ac omnes et singulas alias personas huiusmodi sub certis penis tunc eciam expressis moneret et mandaret eisdem, ut infra certum terminum tunc similiter expressum ab huiusmodi impedimentis penitus et omnino desisterent, ac huiusmodi redditus, census, decimas, proventus, possessiones et alia bona et eorum possessionem predicto patriarche libere et omnino dimitterent, ac eciam ut ipse Nicolaus omnes et singulos fructus per eum ex dicta prepositura aut eius possessionibus, decimis, censibus et aliis bonis a tempore, quo eidem patriarche dicta prepositura commendata fuit, ut prefertur, perceptis integre restituere procuraret cum effectu . . . .[1]) Postmodum vero, sicut nuper nobis innotuit, prefatus Nicolaus a nonnullis processibus vigore predictarum

litterarum contra eum fulminatis ac huiusmodi commende vigore ad sedem apostolicam appellavit, ortaque deinde inter patriarcham et Nicolaum predictos super dicta prepositura, quam patriarcha se ut premittitur assecutum fuisse canonice illamque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Nicolaum se postmodum assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus ipse patriarcha preposituram eandem posset pacifice possidere, seque in nonnullis bonis dicte prepositure, ut prefertur, intrusisse, illaque occupasse ac detinuisse et detinere indebite occupata, Nicolaus vero predicti preposituram ipsam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem predictam ad eandem sedem legitime introducta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi ad instanciam dicti Nicolai . . . commisimus . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, a non nullis asseratur neutri dictorum patriarche et Nicolai in dicta prepositura seu ad eam ius competere, nos . . . . personam prefati patriarche nobis et dicte sedi devotam suis exigentibus meritis paterna benivolencia prosequi volentes, motu proprio . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum eorundem patriarche et Nicolai in dicta prepositura seu ad eam ius habere, preposituram ipsam, que curata et dignitas principalis in dicta ecclesia s Petri existit, et cuius fructus . . . . sexcentarum marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., prefato patriarche per eum iuxta tenorem commende huiusmodi tenendam, regendam et eciam gubernandam auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 23a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1069 et 1370.

1557. *Paulo abbati monasterii Lubensis cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut, cum eum pro negotiis monasterii peragendis extra eius saepta egredi contigerit, cum duodecim fratribus eiusdem monasterii, quos secum assumpserit, carnibus vesci possit. „Exigit“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Januarii 29.

R. Lat. 81 fol. 160b — Supra in marg sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

1558. *Nicolao [Henrici] de Borsnicz providetur motu proprio de canonicatu et praebenda Vratislaviensis ecclesiae ac de parrochiali ecclesia in Domslau.*

Romae, 1400 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Nicolao de Borsnicz canonico Wratislauiensi, familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochialis ecclesia in Domesla Wratislauiensis diocesis per liberam resignacionem . . . . magistri Bartholomei de Barbatis . . . . scriptoris et familiaris nostri, per eum, qui eciam apostolicarum abbreviator et penitenciarie nostre litterarum scriptor necnon cubicularius ac acolitus noster existit, de canonicatu et prebenda, de quibus dudum sibi tunc certo modo vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis fuit apostolica auctoritate provisum, illorum possessione per ipsum non habita, ac de parrochiali ecclesia predictis, quam obtinet[1]), in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem predictam vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existis . . . ., graciam facere specialem, canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eciam si . . . . super ipsis canonicatu et prebenda ac parrochiali ecclesia vel aliquo ipsorum lis . . . . in predicto palacio vel alibi inter ipsum Bartholomeum et . . . . Conradum dilecti filii nobilis viri Conradi ducis de Olsna, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, aut quoscunque alios eciam per appellacionem pendeat seu remanserit indecisa aut causa sit commissa . . . ., motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . . Nos enim tecum, ut eandem parrochialem ecclesiam recipere et una cum parrochiali ecclesia s. Petri in Legnicz predicte diocesis, quam obtines, quoad vixeris, retinere ipsasque tociens, quociens tibi placuerit, ex causa permutacionis vel alias dimittere et loco dimisse vel dimissarum alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., motu simili dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. undecimo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . decano ecclesie Lubucensis ac officiali Wratislauiensi.

R. Lat. 83 fol. 165ᵛ — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1397.

1559. *Jacobo Johannis Glokener rectori altaris Corporis Christi et b. Mariae virginis ac Omnium Sanctorum siti in capella praetorii Wratislaviensis indulgetur, ut dictum altare, cuius fructus 8 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, retinere valeat, non obstante aetatis defectu, quem patitur, cum in decimo sexto aetatis suae anno constitutus existit, et „quod in fundacione predicti altaris dicitur canonice fore ordinatum, quod predictum altare, quociens ipsum vacare contigerit, conferri debet actu sacerdoti vel persone ydonee, que se infra annum ad huiusmodi sacerdocium promoveri facere teneatur." „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. undecimo".*

Romae, 1400 Februarii 1.

R. Lat. 75 fol. 38ᵃ. Supra in marg. sin.: CANCELLARIA. A. DE PORTUGRUARIO: in fine: N. XXII. DE BENEVENTO.

1560. *Ecclesiam domus fratrum ord. praedicatorum in oppido Wismar Razeburgensis dioc. certis diebus anni visitantibus illae indulgentiae conceduntur, quas ecclesiam s. Petri prope Pragam in corporis domini et b. Michaelis archangeli festivitatibus ac in ostensione partis pepli b. virginis, quae inibi summa reverentia conservari et certis diebus populo ostendi dicitur, aliis autem diebus illae, quas ecclesiam s. Mariae ad heremitas Constantiensis dioc. in festo exaltationis s. crucis visitantes quomodolibet consequuntur.* „*Licet is*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. undecimo.*“

Romae, 1400 Februarii 1.

R. Lat. 80 fol. 104ᵃ. Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO: in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1561. *Praeposito ecclesiae Olomucensis committitur, quatenus oppidanis oppidi Iglaviae Olomucensis dioc. aliqua altaria sive perpetua beneficia ecclesiastica in parrochiali ecclesia dicti oppidi et in capella hospitalis s. Elizabeth, siti extra muros eiusdem oppidi, pro certis rectoribus sive presbyteris saecularibus ibidem instituendis fundandi licentiam largiatur, cum abbas et conventus monasterii Siloensis praemonstratensis ord. Pragensis dioc., qui se ius praesentandi rectorem ad dictam parrochialem ecclesiam praetendunt habere, et Wenceslaus monachus eiusdem monasterii pro rectore sive perpetuo vicario eiusdem ecclesiae se gerens, quamvis rogati, id noluerint concedere, utque ipsis oppidanis ius patronatus altarium praedictorum reservet.* „*Justis et humilibus*“ „*Rome ap. S. Petrum III. nonas Februarii pont. n. a. undecimo.*“

Romae, 1400 Februarii 3.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XIII. p. 8 nr. 7. — Excerptum Raynaldi „ex libro quarto de exhibitis, de beneficiis vacantibus, diversis formis, regularibus, confessionalibus a XI. fol. 200“ in codice Vaticano 6952 fol. 266ᵇ continetur.

1562. *Iudicibus mandatur, quatenus concordiam inter Johannem patriarcham Alexandrinum, olim archiepiscopum Pragensem, et Volframum nunc archiepiscopum Pragensem factam confirmantes, eidem Volframo licentiam largiantur assignandi dicto patriarchae loco pensionis quaedam bona et possessiones ad mensam archiepiscopalem Pragensem spectantia.*

Romae, 1400 Februarii 13.

Bonifacius .... Patauiensi et Luthomuslensi episcopis ac .... abbati monasterii in Alto Vado Pragensis diocesis .... Honestis supplicum votis, pre-

sertim ecclesiasticorum prelatorum commodum, pacem et concordiam concernentibus, libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem, cum . . . . Johannes patriarcha Alexandrinus, tunc archiepiscopus Pragensis, omni regimini et administracioni ecclesie Pragensis, cui tunc preerat, ex certis racionabilibus causis animum suum moventibus in manibus . . . . Cosmati tituli s. Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis apud sedem apostolicam sponte et libere cessisset, ac idem cardinalis de speciali mandato nostro facto sibi super hoc vive vocis oraculo cessionem ipsam apud sedem admisisset antedictam, nosque eidem ecclesie de persona . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis auctoritate apostolica duxissemus providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in archiepiscopum et pastorem, nos prefato Johanni patriarche, tunc episcopo, ut statum suum posset tenere decenter, de alicuius subvencionis auxilio providere volentes, castrum dictum Helfinburg Pragensis diocesis ad mensam archiepiscopalem Pragensem eciam in temporalibus pleno iure pertinens cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Johanni patriarche, tunc episcopo, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et gubernandum concessimus, sibique annuam pensionem duorum milium florenorum auri de camera et sexcentarum mensurarum siliginis, avene et ordei tunc expressarum de fructibus, redditibus et proventibus eciam ad mensam predictam spectantibus, per dictum Wolframum archiepiscopum ac eius successores, archiepiscopos Pragenses, qui essent pro tempore, dicto patriarche, tunc episcopo, persolvendam, per nostras litteras duximus assignandam. Et deinde, cum prefatus Wolframus archiepiscopus in solucione pensionis huiusmodi remissus existeret, nos eidem patriarche, tunc episcopo, super solucione pensionis eiusdem per Wolframum archiepiscopum et successores ipsius pro tempore certis anni temporibus et sub penis et modis tunc expressis pro tempore facienda quosdam executores deputavimus et alia indulta circa hoc fecimus oportuna.) Et cum postmodum de persona dicti Johannis patriarche, tunc episcopi, ecclesie Alexandrine tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio providissemus, preficiendo ipsum dicte Alexandrine ecclesie in patriarcham et pastorem, nos eidem Johanni patriarche, cum de fructibus ad patriarchalem mensam Alexandrinam spectantibus statum suum iuxta patriarchalis dignitatis decenciam commode tenere non posset, castrum prefatum cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis sibi per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et eciam gubernandum auctoritate predicta de novo concessimus, ac nichilominus annuam pensionem supradictam de ipsis fructibus, redditibus et proventibus ad mensam archiepiscopalem predictam spectantibus eidem Johanni patriarche in eisdem terminis per Wolframum archiepiscopum et successores predictos annis singulis persolvendam de novo duximus assignandam, prout in diversis aliis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, predicti patriarcha et Wolframus archiepiscopus super premissis omnibus certum modum concordie utrique parti convenientem et honestum reppererunt, ipseque Wolframus archiepiscopus ad hoc, quod idem patriarcha de pensione predicta pro tempore melius cercioratus et communitus existat, aliqua ‚fumalis' nuncupata et quedam possessiones et alia immobilia bona presertim oppidum Tyn Horsso uiensem cum eius castro dicte diocesis ad eandem mensam spectancia loco pensionis eiusdem assignare proponat patriarche memorato, eciam per eum, quoad

vixerit, tenenda cum omnibus iuribus, fructibus, pertinenciis et emolumentis ac mero et mixto imperio et dominio eiusdem oppidi cum ipsius castro predicto, et alias dictum patriarcham desideret de ipsa pensione pro tempore sibi solvenda eciam ob sedis eiusdem reverenciam ad ipsius patriarche arbitrium et voluntatem reddere bene tutum, si de licencia sedis eiusdem hoc procedat: nos huiusmodi laudabile propositum dicti Wolframi archiepiscopi in domino merito commendantes et eidem patriarche, ne de cetero pretextu non solute pensionis eiusdem alias forte gravetur, utiliter providere volentes, motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eidem Wolframo archiepiscopo assignandi huiusmodi bona necnon possessiones et oppidum cum eius castro ac iuribus, fructibus, pertinenciis et emolumentis meroque et mixto imperio ac dominio eiusdem vel illa ex eis, de quibus partes ipse hactenus forte concordaverunt aut duxerint concordare, eidem patriarche ac per eundem patriarcham loco pensionis eiusdem, quoad vixerit, eciam cum eodem castro Helfinburg possidenda, tenenda ac eciam gubernanda auctoritate nostra licenciam largiamini, confirmando eciam eadem auctoritate cauciones, promissiones et pacta quelibet racionabilia et honesta, si qua circa hec per easdem partes facta hactenus fuerint aut fieri contigerit vel haberi. Nos enim prefato patriarche, si eidem Wolframo archiepiscopo huiusmodi licenciam duxeritis concedendam, ut oppidum cum eius castro sive possessiones et alia bona huiusmodi seu illa ex eis, que dictus Wolframus archiepiscopus eidem patriarche pro eadem pensione duxerit assignanda, cum huiusmodi iuribus et pertinenciis, fructibus, emolumentis, mixto imperio et dominio ac redditibus et proventibus ipsorum recipere ac cum eodem castro Helfinburg, quamdiu miseracione divina vitam duxerit in humanis, loco pensionis eiusdem retinere ac huiusmodi fructus, redditus et proventus et emolumenta in suos usus convertere pro tempore libere et licite possit et debeat, plenam et liberam auctoritate presencium concedimus facultatem, alienacione tamen oppidi cum eius castro, possessionum et aliorum bonorum huiusmodi seu eorum pro ipsis, que dictus Wolframus archiepiscopus eidem patriarche loco dicte pensionis assignare duxerit, ut prefertur, et huiusmodi iurium ad illa quomodolibet pertinencium dicto patriarche penitus interdicta; inducentes eundem patriarcham vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem oppidi cum eius castro predicto et possessionum ac aliorum bonorum iuriumque et pertinenciarum huiusmodi sive illorum ex eis, que dictus Wolframus archipiescopus dicto patriarche assignabit, auctoritate predicta, et defendentes inductum, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac facientes ipsum patriarcham vel dictum procuratorem pro eo ad oppidum cum eodem ipsius castro et possessiones ac alia bona huiusmodi seu ad ea ex ipsis, que prefatus Wolframus archiepiscopus dicto patriarche loco pensionis eiusdem forsan duxerit assignanda, cum huiusmodi iuribus, fructibus, redditibus, proventibus et emolumentis per ipsum patriarcham, quoad vixerit, tenenda, regenda et eciam gubernanda, ut prefertur, admitti, sibique de huiusmodi oppidi cum predicto eius castro et possessionum ac aliorum bonorum sive illorum, que dicto patriarche per eundem Wolframum archiepiscopum assignata fuerint nomine pensionis eiusdem, ut prefertur, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi . . . . Per hoc autem, si prefatus

Wolframus archiepiscopus contra dictam concordiam aliquid postea, quod absit, temere attemptaret, dicto patriarche nolumus aliquod preiudicium generari, quin eo casu predicti executores vigore predictarum aliarum litterarum per nos eidem patriarche super dicte pensionis solucione in eisdem terminis alias facienda, ut premittitur, deputati perinde contra Wolframum archiepiscopum et eciam eius successores eosdem, si et quociens expedierit, procedere, servatis tenoribus earundem litterarum aliarum, libere possint et debeant, ac si huiusmodi nostre littere minime processissent. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Februarii a. undecimo.

R. Lat. 72 fol. 105. — Supra in marg. sin.: JO DE BONONIA. C[ANCELLARIA]: in fine: N. L DE BENEVENTO — 1) Cf. nr. 1328.

1563. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus Andreae Potenbrunner clerico Pataviensis dioc., ex utroque parente de militari genere procreato et perpetuam vicariam parrochialis ecclesiae in Traismauer*[a]*) obtinenti, canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, quorum fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantes per obitum Johannis Senging capellani apostolici extra Romanam curiam defuncti, conferat.*

„Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum idibus Februarii a. undecimo.“

Romae, 1400 Februarii 13.

R. Lat. 76 fol. 276[1] — a) Traysenmauer. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1564. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Venceslao Thiem neque Nicolao de Volaria neque Jacobo [de] Habelschwerdt in canonicatu et maiore praebenda ecclesiae Vratislaviensis ius competere, ipsos canonicatum et praebendam dicto Jacobo conferat.*

Romae, 1400 Februarii 15.

Bonifacius .... magistro Brande de Castelliono cappellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Jacobus Habilswerde rector ecclesie b. Marie Magdalene Wratislauiensis .... commendatur .... nos inducunt, ut sibi reddamur ... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, quod orta dudum inter .... Wenczeslaum Thyem pro rectore parrochialis ecclesie in Lincz Olomucensis (!) diocesis et Nicolaum de Walauia pro preposito ecclesie s. Egidii Wratislauiensis se gerentibus super canonicatu et maiori prebenda maioris ecclesie Wratislauiensis, quos, tunc per obitum quondam Henrici Lobschitz ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantes, quilibet videlicet Wenceslai et Nicolai predictorum ad se de iure spectare asserebat, materia questionis: nos causam ipsam, cum partes ipse in dicta curia presentes existerent, tibi ad instanciam prefati Wenczeslai .... commisimus .... Et deinde, postquam in causa ipsa ad nonnullos actus inter

ipsos Wenczeslaum et Nicolaum processeras, nos ad instanciam dicti Jacobi, asserentis sua interesse ipsosque canonicatum et prebendam ut premittitur vacantes auctoritate quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse et de illis sibi provisum fuisse canonice ipsosque vigore gracie, acceptacionis et provisionis huiusmodi ad se de iure spectare, tibi commisimus, ut eundem Jacobum ad prosecucionem et defensionem cause huiusmodi in eo statu, in quo causam ipsam inveniret, pro huiusmodi suo admitteres interesse, tuque, predicto Jacobo per te ad prosecucionem et defensionem huiusmodi admisso, inter eosdem Wenczeslaum ac Nicolaum et Jacobum in causa huiusmodi ad nonnullos alios actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur, neutrum dictorum Wenczeslai ac Jacobi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Wenczeslai et Nicolai ac Jacobi in prefatis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Jacobo auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . ., quod idem Jacobus, ut asserit, ecclesiam parrochialem predictam, cuius centum florenorum auri, obtinet, et super archidyaconatu eiusdem maioris ecclesie, cuius quadraginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, in dicta curia litigat,[1]) ac secum, ut archidyaconatum predictum, si illum evinceret, recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad triennium insimul retinere libere et licite valeat, auctoritate fuit apostolica dispensatum. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . prefatus Jacobus eosdem canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas illos acceptavit, ... et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Marcii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 229ᵛ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1468.

1565. *Auditori apostolico mandatur, quatenus a Venceslao Thiem resignationem iuris, quod ei in canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis competit, recipiat et ad dictum ius Laurentium Michaelis surroget.*

Romae, 1400 Februarii 16.

Bonifacius . . . . magistro Brande de Castelliono capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Laurencius quondam Michaelis clericus Olomucensis diocesis [. . . . . commendatur . . . .], nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Laurencii peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Wenczeslaum Thyem rectorem parrochialis ecclesie in Lincz dicte diocesis (!) et Nicolaum de Wolauia, qui se gerit pro pre-

posito ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, super canonicatu et prebenda maioris ecclesie Wratislauiensis, quos, tunc per obitum quondam Henrici de Lobschicz ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantes, ... Marquardus episcopus Constanciensis, tunc electus Mindensis, [1]) antequam ad ecclesiam Mindensem promoveretur, vigore quarundam litterarum nostrarum . . . ., prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptarat et de illis sibi fecerat provideri, et de quibus, cum ipsos per promocionem de persona dicti episcopi, tunc electi, possessione ipsorum canonicatus et prebende per eum non habita, ad ecclesiam Mindensem tunc pastore carentem per nos factam et munus consecracionis impendendum eidem aut per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus deffiniti vel alias quovis modo preterquam per ipsius episcopi, tunc electi, obitum vacare contingeret, Wenczeslaus sibi auctoritate apostolica graciose et canonice mandatum fuisse provideri, dictumque Nicolaum se gracie et mandato huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus . . . . ipsi Wenczeslao de dictis canonicatu et prebenda provideretur, Nicolaus vero prefati eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, materia questionis: nos causam ipsam, cum partes ipse in dicta curia presentes existerent, tibi ad instanciam Wenczeslai prefati . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cumautem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Wenczeslaus liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competenti libere cedere proponat . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus ab eodem Wenczeslao vel procuratore suo . . . . huiusmodi cessionem . . . . auctoritate nostra hac vice duntaxat recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, prefatum Laurencium . . . . in iure et ad ius huiusmodi eadem auctoritate surroges . . . ., ac nichilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti octo marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Laurencio auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Laurencius, ut asserit, super parrochiali ecclesia in Mawtarn dicte diocesis (!), cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, in dicto palacio noscitur litigare . . . . [2]). Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Marcii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 227a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Marquardus de Randegg 1398 Mart. 27 in episcopum Mindensem et 1398 Dec. 10 in episcopum Constantiensem electus est. [2]) Cf. nr. 1228.

1566. *Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus cum Hankone ae Lubschicz et Catherina Martini super matrimonio contracto dispenset.*

Romae, 1400 Februarii 18.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi . . . . Oblate nobis pro parte Hankonis Stephani de Lupschicz laici et Caterine Martini mulieris tue diocesis [peticionis] series continebat, quod olim ipsi non ignorantes se tercio consanguinitatis gradu fore coniunctos, bannis et solemnitatibus, secundum morem patrie in illis par-

tibus consuetis servari, matrimonium in facie ecclesie inter se contraxerunt per verba legitime de presenti illudque carnali copula consumarunt. Cum autem ipsi Hanko et Caterina in huiusmodi matrimonio sic contracto remanere nequeant, dispensacione super hoc apostolica non obtenta, et .... si divorcium fieret inter eos, exinde possent scandala gravia et pericula exoriri, pro parte dictorum Hankonis et Caterine nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis de absolucionis beneficio providere ab excommunicacionis sentencia, quam propter premissa incurrerunt, [et] de opportune dispensacionis gracia .... dignaremur. Nos igitur .... fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatenus prefatis Hankone et Caterina ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, ipsos, si hoc humiliter pecierint, ab huiusmodi excommunicacionis sentencia, quam propterea incurrisse noscuntur, auctoritate nostra hac vice absolvas in forma ecclesie consueta ...., et nichilominus, si tibi expediens videatur, quod huiusmodi sit dispensacio concedenda, dictaque Caterina propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Hankone et Caterina, ut impedimento, quod ex huiusmodi affinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem de novo contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Volumus autem, quod ille ex eisdem Hankone et Caterina, qui alterum supervixerit, perpetuo remaneat innuptus. Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Marcii a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 9[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1567. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Dobrogostium archiepiscopum Gneznensem quitat de pecunia, quam pro quatuor integris minutis servitiis Johannis praedecessoris sui per manus Nicolai de Volavia[a]) praepositi ecclesiae s. Aegidii Vratislaviensis camerae apostolicae solvi fecit. „Rome [ap. S. Petrum] indiccione octava, die decima octava mensis Februarii, pont. .... a. undecimo."*

Romae, 1400 Februarii 18.

Oblig. et sol. 55 fol. 91[b] — [a]) ‚Olania'. — In fine: VISUM, BAY[LARDINUS]; FL. III GR. III, N. DE DAMMIANO. — In Oblig. et sol. 59 fol. 196[a] litterae Henrici s. Anastasiae presbyteri cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarii, registratae sunt, per quas eundem Dobrogostium archiepiscopum quitat de pecunia, quam pro complemento sui communis servitii et communis servitii Johannis praedecessoris sui necnon pro uno integro servitio dicti praedecessoris per manus Nicolai de ‚Walauia' praepositi s. Aegidii Vratislaviensis camerae sacri collegii solvi fecit. Illic in data dies et mensis deficiunt, sed cum illis, qui praesentibus litteris insunt, concordare videntur.

1568. *Cosmato s. Crucis in Jerusalem cardinali mandatur, quatenus Johannem Pes surroget ad omne ius, quod Pileo episcopo Tusculano in canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis tempore eius renuntiationis competebat.*

Romae, 1400 Februarii 19.

Bonifacius . . . . Cosmato tituli s. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Pes canonicus Warmiensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem nobis innotuit, quod orta dudum inter ipsum Johannem et . . . . Pileum episcopum Tusculanum super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos, tunc per obitum quondam Petri Cunczendorff . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantes, Johannes se auctoritate apostolica assecutum fuisse canonice illosque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, episcopus vero prefati ad se de iure spectare asserebant, materia questionis[1]: nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad instanciam prefati episcopi . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem prefatus episcopus liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competenti hodie in manibus nostris sponte et libere renunciarit, nosque renunciacionem huiusmodi duxerimus admittendum . . . ., motu proprio . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus eundem Johannem in omni iure et ad omne ius, quod prefato episcopo tempore renunciacionis huiusmodi in predictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Johanni auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Marcii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 186a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1360 et 1511.

1569. *Archidiaconus Gradicensis in locum praepositi Maguntini magistrorum et scholarium universitatis studii Pragensis conservator instituitur.*

Romae, 1400 Februarii 28.

Bonifacius . . . . archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi . . . . In supreme dignitatis specula . . . . Sane dudum dilectorum filiorum magistrorum, doctorum et scolarium universitatis studii Pragensis conquestione per nos accepto, quod nonnulli . . . . occuparant et occupari fecerant castra, villas et alia loca, terras, domus, possessiones, iura et iurisdicciones necnon fructus, census, redditus et proventus universitatis studii predicti et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad magistros, doctores et scolares huiusmodi studii communiter vel divisim pertinencia . . . ., nos . . . . preposito Maguntine et Wratislauiensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis, eorum propriis nominibus non expressis, aliis nostris dedimus litteris in mandatis, [quatenus] ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, eciam si forent extra loca, in quibus deputati essent, conservatores et iudices prefatis magistris, doctoribus et scolaribus efficacis defensionis presidio

assistentes, non permitterent eos super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus . . . . indebite molestari . . . . prout in dictis litteris plenius continetur;[1]) et quia, ut asseritur, prepositus Maguntinus extra partes illas in remotis est agens et ad huiusmodi execucionem litterarum propter etatis defectum impotens, tuque ex subdelegacione dilecti filii Blasii dicti Lupus decani dicte ecclesie hactenus nonnullas causas dictarum litterarum vigore iudicasti, nos igitur ex hiis et certis causis aliis ad id nostrum inducentibus animum prefatum prepositum ab omni potestate, exercicio et iurisdiccione sibi in dictis litteris per nos traditis tenore presencium usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum suspendimus et amovemus, teque in locum ipsius prepositi, quoad execucionem dictarum litterarum dumtaxat, in omnibus et per omnia iuxta ipsarum litterarum tenorem faciendam surrogamus, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi beneplacito durante, et quociens pro parte magistrorum, doctorum et scolarium predictorum super hoc fueris requisitus coniunctim vel divisim, [ac] eisdem id expediens et utile fuerit, ad execucionem litterarum ipsarum una cum collegis tuis in eis deputatis, ut prefertur, iuxta tenorem litterarum huiusmodi auctoritate nostra perinde procedas, quociens fuerit oportunum, ac si tu in litteris ipsis executor et conservator una cum dictis collegis per nos specialiter existeres deputatus; non obstantibus omnibus, que in dictis litteris voluimus non obstare. Per hoc autem processibus et aliis per prepositum et collegas predictos alias tamen legitime vigore litterarum huiusmodi forsan habitis et factis nolumus nec intendimus aliquatenus derogare. Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Marcii a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 234b — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. Alia copia valde abbreviata eiusdem bullae in R. Lat. 75 fol 219v inter conservatorias habetur, sed cancellata est adiuncta nota: „Alibi registrata est de diversis formis.“ — [1]) Cf. nr. 1076.

1570. *Praeposito et conventui monasterii Montis s. Mariae in Glacz Pragensis dioc. indulgetur, ut cedente vel decedente perpetuo vicario parrochialis ecclesiae ss. Petri et Pauli apostolorum in Kostomlat eorum monasterio canonice unitae, quae de iure patronatus eiusdem monasterii existit et per unum e canonicis dicti monasterii hactenus regi consuevit, liceat eis de cetero perpetuis futuris temporibus dictam ecclesiam, debitis ipsius oneribus supportatis, per unum ex huiusmodi canonicis loci ordinario praesentandum et ad nutum dictorum praepositi et conventus amovendum gubernari facere. „Rome ap. S. Petrum VI. idus Marcii pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Martii 10.

Ed. ex originali ap. Volkmer und Hohaus, Geschichtsquellen der Grafschaft Glatz I. p. 300. — Excerptum Raynaldi „ex libro secundo de regularibus, de fructibus percipiendis, de litteris dominorum cardinalium, de provisionibus praelatorum a. XI° fol. 26v in codice Vaticano 6952 fol. 269a habetur.

1371. *Statuitur, ut de omnibus praebendis ecclesiae Vratislaviensis ad aequalitatem reductis in singulis vacationibus earum taxa decem marcarum camerae apostolicae persolvatur.*

Romae, 1400 Martii 11.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum quo summus universis orbis ecclesiis obligati, assidue nos compellit, ut circa statum huiusmodi ecclesiarum presertim cathedralium et personarum ipsarum prospere dirigendum et salubriter et utiliter conservandum paterna sollicitudine intendamus, consulendo earundem personarum necessitatibus et oportunitatibus providendo. Dudum siquidem pro parte . . . . Wenceslai episcopi et . . . . capituli Wratislauiensis nobis exposito, quod prebende canonicales in ecclesia Wratislauiensi multum inequales existebant, nos . . . . Johanni episcopo Lubicensi (*sic!*) per nostras litteras commiseramus et mandaveramus, ut . . . . equalitatem prebendarum huiusmodi auctoritate nostra in dicta ecclesia institueret . . . ., et deinde pro parte dictorum Wenceslai episcopi et capituli nobis significato, quod prefatus Iohannes episcopus pretextu earundem litterarum statuerat, ut canonici tunc prebendas in ipsa ecclesia obtinentes corpora prebendarum huiusmodi, quoad viverent, tenere valerent, et quociens aliquem ex ipsis cedere vel decedere contingeret, successor ad huiusmodi prebendam admittendus pro tempore duodecim marchas grossorum boemicalium numeri polonici consueti duntaxat . . . eidem per capitulum predictos assignandos habere deberet, residuum vero illius prebende inter canonicos in ipsa ecclesia residentes . . . . divideretur, quodque prefati Wenceslaus episcopus et capitulum considerantes statutum huiusmodi congruum non fore . . . ., in generali capitulo . . . statuerant et eciam ordinaverant, ut omnes et singule prebende eiusdem ecclesie deinceps valoris annui triginta marcharum huiusmodi existere deberent . . . ., ac pro parte dictorum Wenceslai episcopi et capituli nobis humiliter supplicato, ut ultimo statuto et ordinacioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adiicere . . . . dignaremur, nos ultimum statutum et ordinacionem predictam . . . . auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmavimus et litterarum nostrarum scripti patrocinio communivimus, prout in predictis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Wenceslai episcopi et capituli predictorum peticio continebat, si circa dictas prebendas ad equalitatem huiusmodi iam forsan reductas vel imposterum reducendas taxa ab antiquo illis imposita in solvendis decimis et imposicionibus, ac si in pristina earum condicione permansissent, deberet observari, alique ex prebendis eisdem nimium gravarentur, alique vero minora quam conveniens esset onera deferrent, ac propterea, ut facultatibus onera sint conformia et e contra, pro parte eorundem Wenceslai episcopi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut taxam huiusmodi congruo moderamine ad equalitatem reducere, et quod de cetero circa quamlibet ex prebendis antedictis ad equalitatem huiusmodi reductis et in futurum reducendis in solvendis de imis taxa decem marcharum similium observetur, statuere et ordinare . . . dignaremur. Nos igitur dignum censentes et racioni consonum, ut onera beneficiis ecclesiasticis incumbencia pro facultatum viribus equo moderamine supportentur . . . ., auctoritate apostolica . . . . irrefragabiliter statuimus et eciam ordinamus, quod [tam] de illis, que iam reducte sint quam de aliis

non reductis prebendis huiusmodi, postquam reducte fuerint ad equalitatem supradictam, taxa decem marcharum huiusmodi et non ultra in singulis vacacionibus earundem persolvatur, ipsamque taxam decem marcharum circa prebendas huiusmodi perpetuis futuris temporibus volumus inviolabiliter observari, mandantes nichilominus gentibus camere prefate ac collectoribus et succollectoribus fructuum et proventuum eidem camere debitorum in illis partibus deputatis et deputandis, presentibus et futuris, ne ullo unquam tempore contra statutum et ordinacionem nostram huiusmodi venire quoquo modo presumant, non obstantibus apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitucionibus necnon statutis et consuetudinibus ac observanciis contrariis quibuscunque . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 107[a]. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1] Vide nr. 932.

1572. *Statuitur, ut in locis diocesis Vratislaviensis, ad quae personae a loci ordinariis excommunicatae declinaverint, etiam aliquot dies post earum recessum iuxta tenorem processuum contra eos latorum interdictum servetur.*

Romae, 1460 Martii 11.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. In eminenti apostolice dignitatis specula de supreme altitudinis providencia constituti, prout nobis ex debito ministerii pastoralis incumbit, ad ea vigilanter intendimus, que sacrorum canonum observacionem concernunt, et per que delinquencium temeritas moderatur. Sane peticio . . . . Wenzeslai episcopi Wratislauiensis nobis nuper exhibita continebat, quod nonnulla universitates, collegia ac singulares persone tam ecclesiastice quam seculares diversorum locorum civitatis et diocesis Wratislauiensium dudum per inoportunam eorum instanciam a sede apostolica impetrarunt, [quod], postquam quedam persone, que ex eo, quod redditus et census annuos Wratislauiensi et aliis ecclesiis ac monasteriis et personis ecclesiasticis civitatis et diocesis predictarum debitos non persolverunt, et propter alios earum excessus iuxta canonicas sanciones a locorum ordinariis excommunicate fuerunt, et quibus ingressus ecclesie erat interdictus, ac propter quas in universitatibus, collegiis et aliis locis huiusmodi, ad que declinabant, post eorum recessum per aliquos dies iuxta tenorem processuum contra ipsos factorum interdictum servabatur, ab eisdem universitatibus, collegiis seu locis recederent, statim post huiusmodi earum recessum in ipsis universitatibus, collegiis et locis divina officia resumi et celebrari ac interdictum huiusmodi iuxta tenorem eorundem processuum minime observari deberet, quodque propterea ipse persone sic excommunicate huiusmodi excommunicacionis et interdicti et alias sentencias in eas propterea latas animis induratis diucius sustinerent non curantes ad ecclesie unitatem redire, in animarum suarum periculum et iurisdiccionis locorum ordinariorum vilipendium, propter que diversa scandala et animarum pericula oriuntur. Nos igitur volentes huiusmodi scandalis et periculis remediis oportunis obviare, volumus et auctoritate apostolica mandamus, quod in huiusmodi universitatibus, collegiis et locis, ad que huiusmodi

persone sic excommunicate et sentenciis ipsis ligate declinaverint, huiusmodi interdictum eciam post recessum ipsarum per dies in processibus huiusmodi contentos, dummodo ipsum interdictum alias rite positum fuerit, iuxta tenorem eorundem processuum perinde servetur et teneatur, ac si universitatibus, collegiis et personis ipsis huiusmodi indulta a predicta sede minime concessa forent, quodque quecunque indulta similia pro ipsis universitatibus, collegiis et singularibus personis in futurum impetranda, nisi de verbo ad verbum de presentibus nostris litteris plenam et expressam fecerint mencionem, eis in aliquo nullatenus suffragentur, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis contrariis, eciam si in presentibus de tenore ipsarum de verbo ad verbum habenda esset mencio specialis, non obstantibus quibuscunque. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 103a – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1573. *Monasterio s. Mariae in Jaroměř*[a]) *canonicorum regularium per praepositum solito gubernari ord. s. Augustini Pragensis dioc., cuius fructus 80 marcarum argenti valorem annuum non excedant, unitur in perpetuum parrochialis ecclesia in Trebešov*[b]) *eiusdem dioc., quae ad collationem praepositi et conventus dicti monasterii pertinere dinoscitur, et cuius fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, ita, ut cedente vel decedente rectore praedictae ecclesiae, praepositus et conventus praefati eam per canonicum dicti monasterii regi facere possint. „Sacre religionis" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. undecimo".*

Romae, 1400 Martii 11.

R. Lat. 81 fol. 82a. — a) ‚Jermir' b) ‚Trezebessaw'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1574. *Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao [de Trebnicz] parrochialem ecclesiam in Thomaskirch conferant.*

Romae, 1400 Martii 12.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . cantori ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Bartnick rector altaris s. Trinitatis siti in ecclesia monasterii in Trebnicz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Domeskirche dicte diocesis, quam quondam Gregorius . . . obtinebat, per ipsius Gregorii obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus Nicolaus vigore quarundam litterarum apostolicarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, consuetum clericis secularibus

assignari, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis, necnon . . . . abbatisse et conventus dicti monasterii . . . pertinens, expectabat . . . .[1]) eandem parrochialem ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dictarum abbatisse et conventus . . . . pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi obtinuit provideri. Cum autem . . . idem Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam parrochialem predictam, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . ., non obstantibus . . . ., quod prefatus Nicolaus, ut asserit, altare predictum obtinet, et super quadam perpetua vicaria in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, que sine cura sunt, et quorum omnium fructus . . . . sexdecim marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio predicto noscitur litigare . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Marcii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 137b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf nros. 1356 et 1401.

1575. *Venceslaus dictus Volek*[a]) *canonicus Pragensis in familiarem apostolicum recipitur.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. undecimo*“.

Romae, 1400 Martii 15.

R. Vat. 317 fol. 13b. — [a]) ‚Wolek‘. — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO: (ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, P. DE LAPRESSA.

1576. *Nicolao de Kreuzburg*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae s. Elizabeth Vratislaviensis [per litteras in registro cancellatas] ad decennium indulgetur, ut ipse per se vel alium idoneum presbyterum ecclesiae suae in divinis servientem, quem duxerit eligendum, confessiones omnium parrochianorum utriusque sexus dictae parrochialis ecclesiae audire eisque pro commissis debitam absolutionem impendere possit.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Aprilis a. undecimo.*“

Romae, 1400 Martii 17.

R. Lat. 80 fol. 289b, ubi autem copia praesentis bullae cancellata est adiuncta in margine nota: CANCELLATA, QUIA DE ANNO DECIMO ALITER EST REGISTRATA. — [a]) ‚Cruceborg‘ — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1577. *Ecclesiam s. Nicolai in Pěčín*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, et in festivitate s. Nicolai) visitantibus trium anno-*

rum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. praesentibus litteris perpetuis futuris temporibus duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Aprilis a. undecimo.“[b])

Romae, 1400 Martii 19.

R. Lat. 80 fol. 92a — a) ‚Pyeczyn‘ b) Correctum ex ‚sexto kal. Marcii a. undecimo‘. — Supra in marg. sin.. A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1578. *Episcopo Concordiensi et abbati monasterii Scotorum in Norimberga*[a]) *Bambergensis dioc. ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus sententias in palatio apostolico latas executioni demandantes, Johannem Phister in corporalem possessionem parrochialis ecclesiae in Gnotzheim*[b]) *Eichstaedtensis* [c]) *dioc. inducant. „Exhibita nobis“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Aprilis a. undecimo.“*

Romae, 1400 Martii 19.

R. Lat. 74 fol. 30[1] – a) ‚Nurenberga‘ b) ‚Gnotzheym‘ c) ‚Eysteten‘. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1579. *Episcopo Lucerino mandatur, quatenus Francisco s. Susannae cardinali, archidiacono Legnicensi, et Ruperto duci Silesiae conferat iura patronatus quarundam parrochialium ecclesiarum Vratislaviensis diocesis, quae invicem permutare desiderant.*

Romae, 1400 Martii 24.

Bonifacius . . . . episcopo Lucerino . . . . Apostolice sedis circumspecta benignitas . . . . Cum itaque, sicut accepimus, ... Franciscus tituli s. Susanne presbyter cardinalis s. Sepulcri dominici, quod ad eum racione archidiaconatus in Legnicz in ecclesia Wratislauiensi, quem ex concessione et dispensacione sedis predicte obtinet, ac nobilis vir Rupertus dux Slezie in Rischenstein parrochialium ecclesiarum Wratislauiensis diocesis, quod ad eum pertinere noscuntur, iura patronatus et presentandi rectores ad easdem parrochiales ecclesias desiderent ex certis racionabilibus causis invicem permutare, nos . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eisdem cardinali et duce vel procuratoribus suis . . . . resignaciones iuris patronatus et presentandi rectorem huiusmodi hinc inde . . . . auctoritate nostra recipias et admittas, eisque per te receptis et admissis, in Rischenstein ad cardinalem et successores suos, archidiaconos in Legenicz in dicta ecclesia Wratislauiensi, et s. Sepulcri dominici ecclesiarum iura patronatus et presentandi rectores huiusmodi ad ducem prefatos ac eius heredes et successores auctoritate nostra hinc inde transferas, eisque ius huiusmodi hinc inde conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios cardinalem videlicet in Rischenstein et ducem prefatos vel procuratores suos

eorum nominibus in s. Sepulcri dominici ecclesiarum predictarum iura patronatus et presentandi rectores huiusmodi eadem auctoritate et defendens inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus aio eisdem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kalendas Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 71 fol. 218v. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1580. *Magistro et fratribus domus hospitalis s. Spiritus in Glogovia conceditur, ut in sua ecclesia divina officia celebrare, pauperibus et infirmis ecclesiastica sacramenta ministrare et verbum dei proponere atque corpora mortuorum sepulturae tradere possint.*

Romae, 1400 Martii 30.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sacre religionis, sub qua . . . . magister et fratres domus hospitalis s. Spiritus in Glogouia Wratislauiensis diocesis devotum et sedulum exhibent altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum . . . . favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos, ... ut ipsi in eorum ecclesia missas et alia divina officia per se vel alium seu alios sacerdotes idoneos legere seu eciam alta voce celebrare vel facere celebrari ac omnibus et singulis Christi pauperibus et infirmis in dicta domo pro tempore degentibus ecclesiastica sacramenta ministrare ac eorum et aliorum quorumcunque fidelium corpora mortuorum id eligencium in cimiterio dicte ecclesie ecclesiastice tradere sepulture ac verbum dei pauperibus et infirmis proponere et proponi facere, quociens eis visum fuerit expedire, libere et licite valeant, diocesani loci ac rectoris parrochialis ecclesie s. Nicolai in Glogouia dicte diocesis, infra cuius limites domus ipsa consistit, aut alicuius alterius super hoc licencia minime requisita, quibuscunque pactis, convencionibus et composicionibus super hiis inter magistrum et fratres ac rectorem huiusmodi forsan initis et celebratis ac constitucionibus apostolicis et aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . licenciam elargimur. Volumus autem, quod propter premissa prefato rectori in censu duarum marcharum grossorum Pragensium, quem annuatim a dictis magistro et fratribus recipit, nullum omnino preiudicum generetur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 97v. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1581. *Scholastico ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Johanni Ditwini parrochialem ecclesiam in Maifriedsdorf, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1400 Martii 30.

Bonifacius . . . . scolastico ecclesie Wratislauiensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Johannis Ditwini monachi monasterii in Camencz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Memsirsdorp dicte diocesis, quam quondam Johannes Mirkil de Franckinstein . . . . obtinebat, per eiusdem Johannes Merkil (*sic*) obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... abbas dicti monasterii, cum ad abbatem ipsius monasterii pro tempore existentem dicte ecclesie collacio et provisio de antiqua . . . . consuetudine pertineant, eandem ecclesiam . . . . dicto Johanni Dytwini auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit. Cum autem . . . . prefatus Johannes Dytwini dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . . nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni Ditwini . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus quibuscunque constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis . . . . Nos enim eidem Johanni Dytwini, ut a dicta ecclesia, si sibi eam presencium vigore conferri contigerit, ut prefertur, a quoquam absque racionabili causa nequeat amoveri predictis statutis ac consuetudinibus ac aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . concedimus per presentes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 276b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO. C[ANCELLARIA]: in fine: N. XXV DE BENEVENTO.

1582. *Ecclesiam s. Viti Pragensem visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia Pragensis, que, ut asseritur, in honore s. Viti dedicata existit, in eadem (*sic*) corpora ss. Wenceslai, Adalberti, Sigismundi et aliorum diversorum sanctorum requiescunt, congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epyphanie, resurreccionis, cene domini, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi, penthecostes, et nativitatis, annunciacionis, purificacionis, assumpcionis et visitacionis b. Marie virginis et nativitatis b. Johannis Baptiste et beatorum Petri et Pauli ac Viti, Wenceslai, Adalberti, Procopii, Sigismundi, quinque fratrum et Ludmille ac translacionis s. Wenceslai, necnon ipsius ecclesie et capelle dicti s. Wenceslai site in eadem ecclesia dedicacionum festivitatibus ac celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis et assumpcionis b. Marie virginis et nativitatis b. Johannis Baptiste ac apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies predictam festivitatem penthecostes immediate sequentes eandem ecclesiam devote visitaverint et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis illam

indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica tenore presencium concedimus, quam omnes et singulas ecclesias et alia loca ecclesiastica civitatis Pragensis et in eius circuitu ad duo miliaria consistentes certis diebus et festivitatibus annuatim visitantes quomodolibet consequuntur, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam Pragensem visitaverint et adiutrices manus porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis pont. n. a. undecimo.

Originale cum bulla in filo serico in arch. capituli eccl. Prag. sub XX, 26 exstat. Supra plicam ad dext: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, ECKARDUS; sub plica ad dext: JO. DE BONONIA. A tergo: R[EGISTRATA] JAC. [DE TERAMO], et in margine superiore: N. HENSLINI DE OLOMUCZ. – Registratum in R. Lat. 73 fol. 244[a], ubi supra in marg. sin. legitur: JO. DE BONONIA; subscriptio registratoris in fine autem deest. — Ed. Pešina, Phosphorus septicornis p. 202, et Balbin, Miscellanea dec. I lib. VI p. 139 nr. 81.

1583. *Ecclesiam b. Mariae virginis in Legnicz Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (prout in nro. 366 nominantur) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris perpetuis futuris temporibus duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. undecimo[a]“.*

Romae, 1400 Aprilis 1.

R. Lat. 72 fol. 242[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1584. *Ad reparationem ecclesiae Glatoviensis manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . universis . . . . Ecclesiarum fabricis . . . . Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia b. Marie virginis in Glatouia Pragensis diocesis, que admodum ruinosa existit, reparacione non modicum sumptuosa indigere noscatur, nos cupientes, ut eadem ecclesia congrue reparetur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente in remissionem peccaminum vobis iniungentes, quatenus de bonis a deo vobis collatis pro reparacione ecclesie huiusmodi pias elemosinas ac grata caritatis subsidia erogetis . . . . Nos enim . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post quinquennium minime valituris, quas mitti posse per questuarios[a]) et Christi fidelibus cum solemnitate proponi per Pragenses et Patauienses ac Ratisponenses civitates et dioceses harum serie licenciam concedimus . . . . Et nichilominus, ut fideles ipsi indulgenciam huiusmodi uberius consequi possint, ... rectori dicte ecclesie pro tempore existenti

quatuor vel plures presbyteros ydoneos seculares vel regulares in civitatibus et diocesibus predictis, qui confessiones huiusmodi Christi fidelium ad huiusmodi reparacionem manus porrigencium adintrices audire ipsisque pro commissis debitam absolucionem impendere et iniungere penitenciam salutarem valeant, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, ponendi et deputandi . . . . licenciam elarginur. Datum Rome ap S. Petrum kal. Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 214. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1385. *Decano capellae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Sazemae de Vsk, a quo prima uxor eius ante septennium recessit, cum alia muliere matrimonium contrahendi licentiam concedat.*

Romae, 1400 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . decano capelle regie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Humilibus et honestis . . . . Sane peticio pro parte . . . . Sazeme de Vsk laici Pragensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipse et . . . . Catherina Pauli de Vsk mulier dicte diocesis servatis solemnitatibus secundum consuetudinem patrie servari consuetis communi consanguineorum et amicorum interveniente tractatu matrimonium in facie ecclesie contraxerunt illudque postmodum carnali copula consumarunt et per nonnulla tempora ut veri coniuges simul habitarunt. Postmodum vero dicta Catherina ab eodem Sazema, viro suo, nulla causa legitima subsistente recessit, eidem amplius cohabitare ac eum coniugali affeccione tractare temere recusando, ipsoque dampnabiliter derelicto non sine pudoris coniugalis magna infamia per patriam evagando, propter quod idem Sazema videns se hominum obloquucionibus expositum et scandala incurrere quamplurima, eandem Catherinam sic ut premittitur vagabundam perquiri fecit ac illa tandem inventa cum communibus consanguineis et amicis eam dulcibus et allectivis verbis requisivit, ut ad eum rediret sibique cohabitaret et eum coniugali affeccione, prout tenebatur, pertractaret, dicta Catherina Sazeme et amicorum consanguineorumque predictorum spretis requisicionibus id facere publice expressa voce penitus recusavit, in hec videlicet verba vel similia prorumpendo: quod, ex quo idem Sazema eandem Catherinam pro sue libito voluntatis vivere non permittebat neque permittere volebat, se pocius a patria et ipso Sazema alienaret, quam ad eum vellet quoquo modo redire aut cum eo quomodolibet habitare; sicque recessit et se absentavit, ut sciri omnino nequeat, ubinam gencium commoretur. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Sazema iam est summe septennium, a quo ipsius Catherine, que utrum sit viva vel mortua, penitus ignoratur, reditum fuerit prestolatus, pro parte ipsius Sazeme nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi contrahendi matrimonium cum alia muliere licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis . . . . noticiam non habentes, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis te diligenter

informes, et si per informacionem huiusmodi premissa inveneris veritate fulciri, ... eidem Sazeme, ut cum alia muliere matrimonium libere contrahere et in eo, dummodo aliquod canonicum non obsistat, licite remanere possit, licenciam auctoritate nostra concedas, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 177ᵛ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1586. *Concessio apostolica abbati et conventui monasterii Opatovicensis alias facta, ut parrochialem ecclesiam in Wahlstatt per monachum dicti monasterii ad eorum libitum instituendum et revocandum gubernari facere possint, confirmatur.*

Romae, 1400 Aprilis 5.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis divina providencia pastorali officio ad ea, que monasteriorum et personarum ecclesiasticarum sub religionis observancia divinis laudibus deditarum commodum et profectum conspiciunt, sollicitis studiis intendimus, illis, quantum cum deo possumus, favorem apostolicum impertimur. Dudum siquidem fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii Oppatowicensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis exposito, quod ius patronatus parrochialis ecclesie ‚prepositure' nuncupate in Walstet Wratislauiensis diocesis et presentandi rectorem ad eandem ecclesiam ad ipsos legitime dinoscebatur pertinere, et quod idem abbas et conventus unum de monachis dicti monasterii ad ipsam ecclesiam, cum eam vacare contingebat, episcopo Wratislauiensi pro tempore existenti per eundem episcopum in ipsius ecclesie rectorem instituendum presentare solebant, quodque huiusmodi monachus ex eo, quod per dictum episcopum in ipsius ecclesie rectorem instituebatur, iurisdiccione, potestate et correccione dicti abbatis videbatur esse exemptus et propterea sepius scandala subsequebantur, ac pro parte abbatis et conventus predictorum eidem predecessori supplicato, ut ipsis quod cedente vel decedente rectore ipsius ecclesie vel eandem ecclesiam alias quomodolibet dimittente unum ex monachis dicti monasterii, de quo eisdem abbati et conventui videretur, in rectorem ipsius ecclesie, quociens eam vacare contingeret, instituendi, ipsumque, quocieus abbati et conventui predictis videretur, destituendi, et ab eadem ecclesia amovendi et ad claustrum ipsius monasterii revocandi ac rectorem predictum, qui tunc erit, de excessibus per eum hactenus forsan commissis et imposterum committendis corrigendi facultatem concedere de benignitate apostolica dignaretur, idem predecessor prefatis abbati et conventui faciendi premissa auctoritate apostolica per suas litteras concessit facultatem, prout in eisdem litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum abbatis et conventus peticio continebat, ecclesia predicta, quam quondam Johannes Hrstka . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, abbas et conventus prefati, nonnullis proclamacionibus in talibus fieri consuetis habitis,

. . . . Onssonem monachum dicti monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum huiusmodi litterarum et concessionis vigore in eiusdem ecclesie rectorem instituerunt et de illa eciam investierunt, ipseque Onsso vigore institucionis et investiture predictarum eandem ecclesiam assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis ceterique credentes sua interesse dubitent indultum huiusmodi et inde secuta esse surrepticia, frivola atque falsa ac viribus non subsistere, pro parte dictorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteris et concessioni prelictis robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eosdem abbatem et conventum in eorum libertatibus et indultis eis concessis confovere cupientes . . . ., litteras et concessionem predictas eadem auctoritate apostolica et ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus et de novo concedimus, supplentes eadem auctoritate ex simili sciencia omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 81 fol. 63ᵇ. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N XXX DE BENEVENTO.

1587. *Ecclesiam hospitalis b. Mariae virginis ante oppidum Habelschwerdt Pragensis dioc. certis diebus anni visitantibus indulgentiae trium annorum et totidem quadragenarum resp centum dierum conceduntur. „Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Aprilis 5.

Ed. Volkmer und Hohaus, Geschichtsquellen der Grafschaft Glatz I. p. 301.

1588. *Praepositi Vratislaviensis et s. Nicolai extra muros Patavienses ac scholasticus Colbergensis Caminensis dioc. ecclesiarum conservatores Michaelis Legenicz de Gubin archidiaconi Lusatiae in ecclesia Misnensi usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Aprilis a. undecimo.*

Romae, 1400 Aprilis 6.

R. Lat. 75 fol. 221. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N XXX DE BENEVENTO.

1589. *Rectori altaris Corporis Christi siti in ecclesia parrochiali in Krappitz indulgetur, ut singulis feriis quintis ad dictum altare sacramentum in vase perlucido portare et tunc ibi divina officia celebrare possit.*

Romae, 1400 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Immensa divine largitatis beneficia, que dominus noster Jesus Christus de hoc mundo transiturus ad patrem, in passionis et mortis sui memoriam carnem suam in cibum et sanguinem suum in poculum tribuens, reliquit et exhibuit populo christiano, decet Christi fideles pro devocionis reminiscencia venerari. et panem angelorum celestem, quo nos specialiter reficit, veluti nostre peregrinacionis, qua redimus ad patriam, viaticum devotis mentibus ex intimis pectoris precordiis adorare. Hinc est, quod nos dilecti filii . . rectoris altaris Corporis Christi siti in parrochiali ecclesia in Crapitz Wratislauiensis diocesis supplicacionibus in hac parte inclinati, eidem rectori, qui est et erit pro tempore, sacramentum ad dictum altare singulis septimanis semel tantum cum reverencia debita in feria quinta de mane in vase perlucido ad id congruo et apto portandi inibique tunc per se vel alium sacerdotem ydoneum eciam alta voce et in cantu missam et alia divina officia celebrandi, licencia seu consensu ordinarii loci et alterius super hoc minime requisitis, ac inhibicione dicti ordinarii in contrarium forsan facta non obstante, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus (*sic*), iure dicte ecclesie et alterius cuiuscunque in omnibus semper salvo. Et nichilominus . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui sacramentum predictum in dicta feria devote visitaverint et huiusmodi misse interfuerint, unum annum et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a undecimo.

R. Lat. 73 fol. 247 a. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1590. *Ecclesiam parrochialem in Jaromĕřicz visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Aprilis 8.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia s. Margarete in Germericz Olomucensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo eiusdem s. Margarete a primis vesperis usque ad secundas vesperas necnon per duas dies dictum festum immediate sequentes eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi annuatim quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . rectori dicte parrochialis ecclesie, qui nunc est, et successoribus suis . . . ., ut singulis annis durante indulgencia huiusmodi sex presbyteros ydoneos seculares aut religiosos . . . . annuatim in confessores eligere possint, qui confessiones omnium et singulorum Christi fidelium in festivitate s. Margarete necnon duobus diebus sequentibus predictis ad eandem parrochialem ecclesiam confluencium .... eadem auctoritate audire et pro commissis debitam eis absolucionem impendere valeant, nisi forte talia forent, propter que sedes

apostolica esset merito consulenda, auctoritate apostolica . . indulgemus. Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 72 fol. 240 r. — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1591. *Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao de Ivančicz capellam s. Nicolai sitam in foro inferiore in Brunna conferant.*

Romae, 1400 Aprilis 11.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Scotorum in Wyenna Patauiensis diocesis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Petri de Ewanczicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim capella s. Nicolai sita in foro inferiori in Brunna dicte diocesis, quam quondam Albertus . . . . obtinebat, per ipsius Alberti obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus Nicolaus vigore quarundam litterarum apostolicarum in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus, sibi concessarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . rectoris plebanie nuncupati ecclesie s. Jacobi in Brunna dicte diocesis pertinens, expectabat, eandem cappellam, sic vacantem et ad collacionem dicti rectoris pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit. Cum autem . . . . prefatus Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . capellam predictam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 123[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1592. *Iudicibus mandatur motu proprio, quatenus Maczeo de Lamberto canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1400 Aprilis 16.

Bonifacius . . . archiepiscopo Nicosiensi et . . . . cantori ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata dilecti filii Maczei de Lamberto rectoris ecclesie s. Cipriani de Forcilla Neapolitane familiaritatis et devocionis obsequia . . . . nobilitas quoque generis . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Ad audienciam nostram pervenit, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Vlricus Boemus . . . . obtinebat, per ipsius Vlrici obitum, qui

extra Romanam curiam diem clausit extremum,[1]) vacantibus, dictus Maczeus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas unum, duo et tria beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, eciam si canonicatus et prebende ac dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura . . . . forent . . . ., ad quorumcunque seu quarumcunque collatorum seu collatricum in civitate et diocesi ac provincia Gneznensibus collacionem . . . . pertinencia, expectabat, nosque voluerimus eundem Maczeum omnibus aliis . . . . preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus . . . . anteferri, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit sibique provideri fecit de eisdem. Cum autem a nonnullis asseratur acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . ., nos volentes eidem Maczeo, qui clericus camere apostolice et fructuum et proventuum eidem camere debitorum in regno Polonie ac provincia Gneznensi collector et, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, graciam facere specialem, motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Maczeo . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illi vel illis, cui vel quibus de dictis canonicatu et prebenda ut premititur vacantibus providissemus aut mandavissemus provideri, prefatum Maczeum . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Maii a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 217[1] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1]) Iste Ulricus Bohemus idem esse videtur ac ille Ulricus de Schwamberg, qui in nro. 1593 commemoratur.

1593. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Jacobo Leonardi canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1400 Aprilis 18.

Bonifacius . . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii b. Marie in Arena Wratislauiensis ac decano ecclesie s. Crucis Wratislauiensis . . . . Grata familiaritatis et devocionis obsequia, que . . . . Jacobus Leonardi canonicus Esculanus, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Vlricus de Swanberg . . . . obtinebat, per ipsius Vlrici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Jacobus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas dudum sibi de uno vel duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis in civitate vel diocesi Wratislauiensi . . . . vacantibus vel vacaturis graciose mandavimus provideri, ipsumque omnibus, eciam auctoritate nostra cum simili vel dissimili seu alia quavis antelacionis prerogativa huiusmodi beneficia expectantibus . . . . preterquam . . . . cardinalibus et

. . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus . . .. volui mus anteferri,[1]) canonicatum et prebendam predictos . . . . infra tempus legitimum acceptavit et de eisdem sibi obtinuit provideri illosque huiusmodi acceptacionis et provisionis vigore assecutus, eos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem . . . dictus Jacobus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si forsan alii vel aliis persone vel personis de dictis canonicatu et prebenda per nos seu auctoritate litterarum nostrarum provisum aut mandatum seu concessum fuerit provideri,[2]) eciam si ille vel illi auctoritate litterarum nostrarum seu graciarum ei vel eis sub quacunque facultate vel alia forma aut expressione verborum antea factarum eosdem canonicatum et prebendam . . . . acceptaverint et de illis sibi fecerit seu fecerint provideri. Nos enim nostre intencionis fuisse et esse ipsi Jacobo dumtaxat et nulli alteri . . . . voluisse et velle providisse et providere . . . ., necnon provisionem seu provisiones et concessiones ac mandata per nos . . . . cuicunque seu quibuscunque alii vel aliis eciam sub quavis diei data . . . . facta vel imposterum facienda irrita . . . . existere . . . . eadem auctoritate . . . . decernimus et eciam declaramus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Maii a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 38[c] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1402. — [2]) Cf. nr. 1592.

1594. *Judicibus mandatur, quatenus sententias in causa super quadam domo Pragensi in palatio apostolico latas exsequantur.*

Romae, 1400 Aprilis 20.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Noue ciuitatis Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Johannis alias dicti Hankonis presbyteri ac Sigismundi dicti Kapun clerici Pragensium peticio continebat, quod, cum . . . . Jacobus de Bawarow et quondam Nicolaus Caluus de Bawarow fratres canonici Pragenses in causa per eos contra quondam Hirzkonem dictum Hirdek de Brodecz armigerum Pragensis diocesis super quadam domo sita in acie fori s. Galli Pragensis,[1]) que ad quondam Pelungum dictum Pilunk laicum, dum viveret, spectabat, et tunc ad eosdem fratres racione personarum suarum communiter et legitime pertinebat, quamque iidem fratres aliquamdiu tenuerant et possederant pacifice et quiete, et qua idem armiger dictos fratres contra iusticiam spoliaverat et in ea se intruserat illamque occupaverat ac detinuerat, prout detinebat, indebite occupatam, ac ipsos fratres, qui de eadem domo a mense Junii anni nativitatis domini nostri Jesu Christi millesimi trecentesimi octuagesimi tercii citra computando singulis annis triginta sexagenas grossorum Pragensium nomine pensionis percipere potuerant, impedi-

verat et impediebat, quominus ipsi fratres huiusmodi pensionem a dicto mense citra percipere possent, mota et in palacio causarum apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tres pro se et contra dictum armigerum, per quas inter cetera fratres ad possessionem dicte domus restituti et reintegrati ac armiger prefati in certis grossorum Pragensium summis et in expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnatus extiterunt, diffinitivas sentencias reportassent, et super execucione sentenciarum necnon restitucione summarum grossorum et satisfaccione expensarum huiusmodi, que quidem expense ad certas florenorum auri summas taxate fuerunt, nostras ad vos sub certa forma litteras impetrassent, et cum armiger et Nicolaus prefati sentenciis huiusmodi nondum execucioni demandatis viam fuissent universe carnis ingressi, prefatus Jacobus domum ipsam, que tunc ad eum dumtaxat pertinebat, Johanni et Sigismundo prefatis cum omnibus iuribus et pertinenciis ac grossorum et florenorum summarum huiusmodi percepcione libere et omnino donavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ... Johannes et Johannes ac Hirzko nati ac . . . Margareta et Dorothea nate ipsius armigeri domum ipsam detineant indebite occupatam, ac iidem Johannes Mauricii et Sigismundus dubitent, ne eciam aliqui alii post prefati armigeri obitum se in dicta domo intruserint vel imposterum intrudant, pro parte predictorum Johannis Mauricii et Sigismundi nobis fuit humiliter supplicatum, ut sentencias huiusmodi pro eis et contra natos et natas huiusmodi et eorum tutores necnon alios quoscunque heredes dicti armigeri ac intrusos et intrudendos huiusmodi execucioni demandari mandare et alias eis in premissis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ad execucionem sentenciarum huiusmodi contra natos, natas, tutores et heredes in omnibus et per omnia necnon contra alios intrusos et intrudendos huiusmodi, quoad possessionem dumtaxat ipsius domus prefatis Johanni Mauricii et Sigismundo tradendam, perinde auctoritate nostra procedatis, ac si sentencie ipse pro Johanne Mauricii et Sigismundo predictis et contra natos, natas, tutores et heredes ac intrusos et intrudendos huiusmodi late fuissent; et nichilominus legitimos super hiis per vos habendos processus decerni et eosdem, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kalendas Maii a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 251b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. [1] In Antiqua civitate Pragensi, ubi nunc sunt domus nr. 503 et 470. Cf. Tomek, Základy starého místopisu Pražského I. p. 115.

1595. Conrado tertio duci Silesiae diversae gratiae conceduntur.

Romae, 1400 Aprilis 22.

Bonifacius . . . . nobili viro Conrado tercio duci Slesie . . . . Exposit tue devocionis integritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, ut ad ea solite benignitatis extendamus affectum, que ex causa devocionis placere novimus votis tuis. Cum itaque, sicut ex oblate pro te nobis peticionis serie accepimus, tu

zelo devocionis accensus singulis diebus dominicis quadragesime necnon quinta et sexta feriis septimane sancte ac vigilia et die festivitatis pasche singulis annis eucharistie sacramentum suscipere, et quociescunque huiusmodi sacramentum tibi ministrari contigerit, ad evitandum pericula et pro ampliori devocione calicem tuis propriis et nudis manibus tenere desideres, nos tuis devotis supplicacionibus inclinati, ut capellanus tuus vel quilibet alius presbyter ydoneus secularis aut religiosus singulis dominicis et aliis diebus predictis huiusmodi sacramentum tibi ministrare, tuque eisdem et aliis diebus, quibus sacramentum ipsum tibi ministrari contigerit, calicem huiusmodi tuis propriis et nudis manibus tenere libere et licite possis, ac nichilominus, ut confessor tuus uno ex quatuor diebus predictis, scilicet quinta et sexta feriis ac vigilia et die pasche, singulis annis tibi ac duodecim personis, quas ad hoc elegeris, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, ea vice tantum plenam remissionem vobis, in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devocione nostra vel successorum nostrorum, Romanorum pontificum, canonice intrancium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, devocioni tue tenore presencium indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. undecimo.

R. Lat. 73 fol. 102ª — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS. C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — Cf. nr. 1417

1596. *Ecclesiam s. Aegidii Vratislaviensem, per praepositum solitam gubernari, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, ac in festivitatibus s. Aegidii, s. Crucis, s. Nicolai, s. Martini, s. Mariae Magdalenae, s. Hedvigis, s. Catherinae, s. Barbarae, s. Elizabeth et omnium apostolorum necnon in singulis diebus dominicis) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris perpetuis futuris temporibus duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Maii a. undecimo."*

Romae, 1400 Aprilis 26.

R. Lat. 71 fol. 274ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO

———

1597. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum Pragensis mandatur, quatenus Franciscum de Benešov excommunicatum nuntiet.*

Romae, 1400 Aprilis 27.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Conquestus est nobis Andreas de Broda Theutunicali canonicus ecclesie Olomucensis, quod Franciscus de Benessow archidiaconus ecclesie Pragensis manus iniecit in eum usque ad sanguinis effusionem dei timore postposito ausu sacri-

lego temere violentas. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictum sacrilegum tamdiu appellacione remota excommunicatum publice nuncies et facias ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam super hiis satisfecerit competenter et a te debite beneficium absolucionis merucrit obtinere, non obstante, si eidem Francisco a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possit . . . ., et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdiccionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc ipsi nolumus aliquatenus suffragari. Datum Rome ap. S. Petrum V. kal. Maii pont. n. a. undecimo.

Originale fuit involucrum codicis cuiusdam et nunc in archivio capituli eccl. Pragensis sub XXI. 8 asservatur. Sigillum abscissum est.

1598. *Judicibus mandatur, quatenus Johannem Westfali et alios in canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis, de quibus Venceslao Thiem auctoritate apostolica fuit provisum, intrusos et intrudendos moneant, ut possessionem eorundem canonicatus et praebendae dicto Venceslao dimittant.*

Romae, 1400 Aprilis 29.

Bonifacius . . . Tudensi et . . Frisingensi episcopis ac . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in Wyenna Patauiensis diocesis . . . . Dudum . . . . Wenczeslao Thyem canonico Wratislauiensi de Patauiensis et Wratislauiensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis, quos quondam Johannes de Senging . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui, familiaris noster existens et eosdem canonicatus et prebendas tunc obtinens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, de quibus nullus preter nos ea vice disponere potuerat sive poterat reservacione obsistente supradicta, per nostras litteras duximus graciose providendum, vobis sibi super hoc executoribus deputatis . . . .[3]) Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, . . . Johannes Westfali, qui se gerit pro canonico Pragensi, contra reservacionem predictam in ipsis canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis se intruserit illosque occupaverit et detinuerit ac detineat indebite occupatos, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . tam predictum Johannem Westfali quam eciam quoscunque alios in ipsis canonicatibus et prebendis iam forsan intrusos seu imposterum intrudendos seu illos alias qualitercunque occupantes auctoritate nostra moneatis, ut infra certum peremptorium competentem terminum, de quo vobis videbitur, et quem ipsis ad hoc duxeritis prefigendum, corporalem et realem possessionem canonicatuum et prebendarum ac iurium predictorum Wenczeslao prefato seu eius legitimo procuratori ad hoc per eum deputato efficaciter et omnino dimittant sub pena privacionis beneficiorum ipsorum ecclesiasticorum, que obtinent seu imposterum obtinebunt, necnon inhabilitacionis ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda . . . . ac dilectos filios capitula ecclesiarum predictarum necnon subditos et colonos

ipsorum canonicatuum et prebendarum sub excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentenciis ac aliis formidabilibus penis et sentenciis, de quibus vobis videbitur, quas contrafacientes ipso facto incurrant, auctoritate nostra moneatis et mandetis eisdem, ut infra certum terminum peremptorium competentem, quem eis eciam ad hoc duxeritis prefigendum, capitula videlicet eundem Wenczeslaum ad canonicatuum et prebendarum iuriumque et pertinenciarum ipsorum corporalem possessionem admittant amotis prefato Johanne Westfali et quibuslibet aliis detentoribus ab eisdem, subditi vero et coloni prefati ut Wenczeslao et non alii vel aliis racione ipsorum canonicatuum et prebendarum de cetero pareant et intendant ac de fructibus, redditibus et proventibus eorundem canonicatuum et prebendarum studeant integraliter respondere. Alioquin lapsis terminis huiusmodi sublato quocunque appellacionis obstaculo Johannem Westfali ac intrusos et intrudendos necnon capitula, colonos et subditos predictos in penas et sentencias prefatas incidisse publice nuncietis et ab aliis faciatis nunciari. Et nichilominus si prefatus Johannes Westfali monicioni vestre huiusmodi infra dictum terminum non paruerit cum effectu, vos extunc huiusmodi fructus, redditus et proventus dictorum canonicatus et prebende ecclesie Wratislauiensis auctoritate nostra sequestrare et sub arto sequestro, donec vobis constiterit legitime nos predicto Wenczeslao et nulli alteri de predictis canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis intendisse et intendere ac voluisse et velle prouideri, reservare, ac legitimis super hiis per vos habitis et habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare curetis, exhibituri id, quod de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus et proventibus debitis eorum supportatis oneribus superesse contigerit, eidem Wenczeslao vel eius procuratori predicto, postquam de intencione nostra fueritis plenarie informati antedicta, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus constitucionibus apostolicis ac stilo dicte curie et aliis contrariis quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii pont. n. a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 245 [a] — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1] Cf. autem nr. 1563.

1599. *Cum Ada de Nežetic dispensatur, ut archidiaconatum Gradicensem in Pragensi et cancellariam in Vratislaviensi ecclesiis, quoad vixerit, insimul retinere possit.*

Romae, 1400 Aprilis 29.

Bonifacius . . . . Ade de Nezeticz archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi, decretorum doctori . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum . . . . Dudum siquidem unum in Pragensi et alium in Wratislauiensi ecclesiis canonicatus cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate contulimus et de illis eciam providimus, necnon unam et unam vel unum in Pragensi ac aliam et aliam vel aliud in Wratislauiensi prebendas ac dignitates vel officia seu eciam cum ipsis prebendis unum in Pragensi vel unum personatum in Wratislauiensi

ecclesiis predictis, eciam si dignitates ipse curate et in ipsis ecclesiis maiores post pontificales existerent, et ad eas consuevissent qui per eleccionem assumi, si que vel si qui aut si qua vacabant tunc, vel cum simul vel successive vacarent . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus, ac tecum, ut dignitates huiusmodi recipere et insimul usque ad biennium retinere libere et licite valeres, auctoritate apostolica per nostras litteras graciose duximus dispensandum, ita tamen, quod alteram dignitatum huiusmodi infra dictum biennium pro alio beneficio cum earum reliqua compatibili permutare, alioquin illam, quam prius assequereris . . . ., omnino dimittere tenereris . . . .; tuque postmodum, sicut accepimus, archidiaconatum Gradicensem in Pragensi ac cancellariam in Wratislauiensi ecclesiis predictis, qui dignitates, non tamen principales, in eisdem ecclesiis existunt, tunc certis modis vacantes, dictarum litterarum vigore tibi successive collatos, fuisti pacifice assecutus. Nos igitur volentes te, qui eciam, ut asseritur, in artibus magister existis . . . ., favoribus prosequi gracie amplioris, motu proprio . . . . tecum, ut archidiaconatum et cancellariam predictos, quorum fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eciam postquam dictum biennium lapsum fuerit, quoad vixeris, insimul retinere, necnon archidiaconatum et cancellariam huiusmodi, eciam si ad eas consueverint qui per eleccionem assumi, eisque cura immineat animarum, simul vel successive tocies, quocies tibi placuerit, simpliciter vel ex causa permutacionis dimittere et loco dimissi vel dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, eciam si dignitates, personatus et officia in metropolitanis, cathedralibus vel collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad eas consueverint qui per eleccionem assumi, recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. undecimo.

R. Lat. 79 fol. 122ª - Supra in marg. sin : JO. DE BONONIA ; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1600. Cum Luca Monetarii dispensatur super irregularitate.

Romae, 1400 Aprilis 29.

Bonifacius . . . . dilecto filio Luce Monetarii laico litterato Wratislauiensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tu, tunc in vicesimo quarto vel circa tue etatis anno constitutus, cum quadam muliere, que tunc virgo existebat, in oppido Crossin Wratislauiensis diocesis de consilio et voluntate amicorum et parentum tuorum matrimonium contraxisti per verba legitime de presenti carnali copula inde secuta; et quod subsequenter, cum per dominum tuum temporalem in consulem primo et deinde in locumtenentem capitanei seu iudicis eiusdem oppidi per eundem capitaneum usque ad certum tempus deputatus fuisses, tu negociis secularibus te immiscendo et huiusmodi capitanei seu iudicis officium

exercendo una cum aliis ad hoc deputatis quosdam latrones, predones, fures, homicidas et alios male condicionis homines pro rei publice et iusticie conservacione, prout ad dictum spectabat officium, ultimo supplicio iuxta delicti exigenciam puniendos condempnasti, et eorundem hominum captivacioni in campo cum consulibus dicti oppidi interfuisti et ad premissa auxilium, consilium prestitisti et favorem, nullum tamen manu proprio captivando aut occidendo seu aliquas litteras, propter quarum execucionem aliqui ultimo supplicio huiusmodi puniti seu membris mutilati fuerunt, scribendo, legendo seu eciam dictando. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefata mulier postea debitum nature persolvit, tuque, de premissis dolens ab intimis, cupias ex singularis fervore devocionis ad omnes eciam sacros ordines promoveri et in illis domino perpetuo famulari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi tuoque statui super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos . . . . te ab huiusmodi homicidiorum reatibus ac excessibus predictis auctoritate apostolica tenore presencium absolvimus ac tecum super irregularitate per te premissorum occasione contracta, quodque ad omnes eciam sacros ordines promoveri et in illis, postquam sic promotus fueris, ministrare ac quecunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura . . . . recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., auctoritate predicta . . . . dispensamus et abolemus omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. undecimo.

R. Lat. 72 fol. 99ᵃ – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1601. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac praeposito [ecclesiae] s. Jacobi Gluszynensis Poznaniensis dioc. mandatur, quatenus Petro de Kobylin canonico Gneznensi canonicatum et praebendam in ecclesia Vladislaviensi vacantes conferant.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. undecimo*“.

Romae, 1400 Aprilis 29.

R. Lat. 83 fol. 115ᵇ [illegible] de Cobilino. – Supra in marg.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1602. *Ecclesiam s. Nicolai Saccusem visitantibus indulgentiae concedantur.*

Romae, 1400 Aprilis 30.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia s. Nicolai in preurbio Zacensi Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festivitate s. Spiritus et per octo dies dictam festivitatem immediate sequentes ipsam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad eius reparacionem et fabricam manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam

et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, que visitantibus ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festivitate ascensionis domini nostri Jesu Christi hactenus per Romanos pontifices quomodolibet est concessa; et nichilominus . . . . rectori dicte ecclesie, qui erit pro tempore, et octo presbyteris ydoneis tam secularibus quam religiosis vel pluribus per eundem rectorem annuatim eligendis, prout expediens fuerit, ut ipsi confessiones omnium et singulorum Christi fidelium . . . . confluencium in festivitate et diebus predictis et per duos dies ante festivitatem huiusmodi auctoritate apostolica audire et . . . . pro commissis eis debitam absolucionem impendere valeant . . . . indulgemus, |presentibus| perpetuis temporibus duraturis. Volumus autem, quod oblaciones, que ex hoc deo duce provenient, in reparacionem et fabricam ecclesie predicte penitus convertantur. Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Maii pont. n. a. undecimo.

R. Lat. 79 fol. 3ᵛ — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1603. *Ecclesiam s. Blasii Olomucensem certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, ac in festivitatibus s. Bartholomaei et s. Blasii) visitantibus trium annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap S. Petrum kal. Maii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 1.

R. Lat. 80 fol. 96ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1604. *Cum Jacobo Leonardi familiari apostolico motu proprio dispensatur, ut ratione parrochialium ecclesiarum s. Laurentii de Arnario Aprutinensis et b. Mariae in Legnicz Vratislaviensis dioc., quas ex dispensatione sedis apostolicae noscitur obtinere,*[1] *aut quorumcunque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum vel sine cura, quae forsan assecutus fuerit, usque ad quintum decimum annum*[a] *a data praesentium litterarum ad subdiaconatus et alios superiores ordines, cum in minoribus dumtaxat ordinibus constitutus existat, se facere promoveri minime teneatur. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 1.

R. Lat. 74 fol. 221ᵃ — [a]) Correctum in margine loco cancellati: ‚septennium‘ cum nota: „Corrigitur de mandato, Jac.“ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1526.

1605. *Judicibus mandatur, quatenus in parrochiali ecclesia in Fenes Saxonicali, quam aliquamdiu Johannes [Conradi] Bohemus detinuit, intrusos inde amoveant et Ladislaum Thomae in dictae ecclesiae possessionem restituant.*

Romae, 1400 Maii 5.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii s. Marie Closmonstra Transiluane diocesis ac archidiacono de Zonoc in ecclesia Transiluana . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . Ladislai Thome rectoris parrochialis ecclesie Omnium Sanctorum de Fenes Saxonicali Transiluane diocesis peticio continebat, quod, licet olim ipse dictam ecclesiam tunc certo modo vacantem, auctoritate apostolica sibi collatam, assecutus fuisset canonice illamque aliquamdiu tenuisset et possedisset et tunc eciam teneret et possideret pacifice et quiete, tamen postmodum . . . . Gregorius dictus Ron, qui se gerit pro presbytero Pragensis diocesis, quorundam laicorum et aliorum ipsius in hac parte complicium fultus presidio eundem Ladislaum dicta ecclesia spoliavit illamque aliquamdiu occupavit et detinuit indebite occupatam, et deinde dicto Gregorio vita functo dictoque Ladislao per . . . . capitulum ecclesie Transiluane ad possessionem dicte parrochialis ecclesie, tunc vacante episcopali sede Transiluana, ad dictam ecclesiam admisso et restituto, . . . Johannes Bohemus, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, associatis sibi nonnullis armigeris et aliis personis curiam sive dotem dicte parrochialis ecclesie vi et armata manu intravit et dictum Ladislaum cum suo executore et notario publico dictam ecclesiam parrochialem invadi et ingredi volentem crudeliter verberavit et verberari procuravit, ei quatuor dentes eruendo, eumque dicta parrochiali ecclesia et aliis diversis bonis spoliavit; et successive cum dictus Ladislaus contra eundem Johannem et eius in hac parte complices nonnullos processus fulminari fecisset, ipseque Johannes bonis dicte ecclesie, que habere potuit, recollectis ab eadem ecclesia se absentasset, quidam ex complicibus huiusmodi et certi alii laici, prefati Ladislai emuli, ... Johannem dictum capellanum, qui se gerit pro presbytero Transiluane diocesis, in eadem parrochiali ecclesia temeritate propria intruserunt, qui ecclesiam ipsam eciam post excommunicacionis in eum et interdicti sentencias in ecclesiam eandem propterea latas detinuit, prout detinet, et divina inibi celebravit . . . . Quare pro parte dicti Ladislai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . si vocatis dicto Johanne presbytero et aliis, qui fuerint evocandi, premissa per summariam informacionem ita esse reppereritis, predictum Ladislaum ad corporalem possessionem dicte parrochialis ecclesie auctoritate nostra restituatis et reintegretis, amoto exinde dicto Johanne presbytero et quolibet alio detentore, ac faciatis ipsum Ladislaum dicte parrochialias ecclesie pacifica possessione gaudere; et nichilominus prefatum Johannem presbyterum et quoscunque alios in dicta parrochiali ecclesia iam forsan intrusos vel intrudendos auctoritate nostra moneatis et mandetis eisdem, ut infra alicuius brevis temporis spacium eis per vos ad hoc peremptorie prefigendum possessionem dicte parrochialis ecclesie cum fructibus per eos inde perceptis et levatis libere et omnino dimittant et restituant . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Maii a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 5v. Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO. – Ed. partim ap. Fraknói, Monum. Vat. Hung. ser. I tom. IV p. 206 nr. 255. — Cf. nr. 1624.

1606 *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Otticoni de Verona neque Wenceslao de Čakovicz in capella s. Crucis prope ecclesiam Vyšehradensem ius competere, capellam ipsam dicto Otticoni conferat.*

Romae, 1400 Maii 12.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Ottico de Verona presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Otticonis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Wenceslaum de Czakowicz, qui se gerit pro perpetuo vicario ad altare s. Vitalis situm in ecclesia s. Petri Wissegradensi Pragensi, super capella s. Crucis sita prope dictam ecclesiam, ad quam, tunc per obitum quondam Stiborii ultimi ipsius capelle rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Ottico se per veros patronos . . . . Wolfframo archiepiscopo Pragensi infra tempus debitum presentatum fuisse canonice ipsamque cappellam vigore presentacionis huiusmodi sibi deberi, dictumque Wenceslaum se presentacioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus idem Ottico in rectorem dicte cappelle institueretur, Wenceslaus vero predicti se per nonnullos alios, quos eciam vero[s] patronos dicte cappelle asserebat, prefato archiepiscopo similiter presentatum ipsamque cappellam vigore presentacionis huiusmodi ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, coram . . . . Nicolao officiali Pragensi non ex delegacione apostolica materia questionis, quolibet eorum de se factam presentacionem fuisse et esse canonicam seque in rectorem dicte cappelle institui illamque sibi adiudicari petente: prefatus officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatos presentatos hinc inde equalitatem vocum patronorum huiusmodi habere et propterea inter eosdem presentatos, quis eorum in rectorem dicte cappelle institueretur, sorte poni debere pronunciavit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte Otticonis fuit ad sedem apostolicam appellatum: et deinde, cum per eosdem Otticonem et Wenceslaum in nonnullos arbitros pendente appellacione huiusmodi compromissum foret, ipsique arbitri minime pronunciassent, nos compromisso ipso adhuc pendente causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi, tunc cappellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ... commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur neutri dictorum Otticonis et Wenceslai in dicta cappella seu ad eam ius competere, nos . . . . fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Otticonis et Wenceslai in dicta cappella seu ad eam ius habere, cappellam ipsam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . duodecim marcarum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Otticoni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Maii pont. n. a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 11ª In fine: N. XXVI DE BENEVENTO — Cf. nr. 1547.

1607. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Ulrico de Spira praecentoriam capellae b. Mariae ecclesiae Vratislaviensi annexae, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1400 Maii 12.

Bonifacius . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . Exhibita siquidem nobis pro parte . . . . Vlrici de Spira canonici ecclesie s. Sepulcri dominici Legnicensis Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim precentoria[a]) capelle b. Marie virginis ecclesie Wratislauiensi annexe tunc per obitum quondam Nicolai Seckil extra Romanam curiam defuncti vacante, prefatus Vlricus eandem precentoriam[a]) auctoritate ordinaria sibi collatam extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Vlricus dubitet collacionem et assecucionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos collacionem et provisionem predictas ratas et gratas habentes . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . precentoriam[a]) predictam, que curata et dignitas principalis in dicta capella existit, cuiusque fructus . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Vlrico auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Vlricus, ut asserit, canonicatum et prebendam predictos necnon s. Hedewigis Bregensis et s. Marie Othmuchouiensis dicte diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Maii a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 14[c] — [a]) ‚preceptoria' cod.; cf. nr. 2045 — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

1608. *Monasterio Vallis s. Mariae in Oslavia cisterciensis ord. Olomucensis dioc. ecclesia s. Jacobi in Brunna dictae dioc., iam dudum auctoritate apostolica eidem monasterio unita,*[1]) *quam vero praepositus et capitulum ecclesiae s. Petri in Brunna per quasdam praetensas litteras apostolicas eidem ecclesiae s. Petri unitam fuisse asserunt,*[2]) *ad petitionem regis Venceslai de novo unitur, ita ut liceat exnunc eisdem abbatissae et conventui corporalem ipsius ecclesiae s. Jacobi possessionem apprehendere. „Ad hoc Romanus" „Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. undecimo". — Simili modo mandatur abbatibus Scotorum in Vienna et Velehradensis monasteriorum Pataviensis et Olomucensis dioc. ac officiali Pragensi, quatenus dictos abbatissam et conventum in corporalem possessionem praefatae ecclesiae s. Jacobi auctoritate apostolica inducant.*

Romae, 1400 Maii 15.

Ed. Cod. dipl. Moraviae XIII p. 38 sq. nr. 29 et 30. — Excerptum Raynaldi „ex libro primo de prachendis et dignitatibus vacaturis, de diversis formis, de regularibus, de curia a. XI fol. 221" in cod. Vatic. 6952 fol. 268[a] exstat. — [1]) Cf. nr. 1339. [2]) Cf. nr. 1378. — Ad totum cf. Bretholz, Die Pfarrkirche St. Jakob in Brünn, 1901, p. 18 sq.

1609. *Parrochialem ecclesiam in Sobeslav visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Maii 18.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia beatorum Petri et Pauli apostolorum in Sobyeslaw Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur ...., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo corporis domini nostri Jesu Christi et per octo dies dictam festivitatem immediate sequentes ipsam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad eius reparacionem, fabricam et conservacionem manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem omnium peccatorum auctoritate apostolica .... concedimus, que visitantibus ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festivitate ascensionis domini nostri Jesu Christi hactenus per Romanos pontifices quomodolibet est concessa; et nichilominus .... rectori dicte ecclesie, qui erit pro tempore, et octo presbyteris ydoneis, tam secularibus quam religiosis, aut pluribus per eundem rectorem eligendis, prout expediens fuerit et sibi videbitur expedire, ut ipsi confessiones omnium et singulorum Christi fidelium huiusmodi causa huiusmodi indulgencie assequende confluencium ad dictam ecclesiam in festivitate et octo diebus predictis auctoritate apostolica audire et .... pro commissis debitam absolucionem impendere valeant ...., predicta auctoritate .... concedimus per presentes et indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis .... Datum Rome ap. S. Petrum XV. kal. Junii pont. n. a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 217ª — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1610. *Judicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa inter Nicolaum [de Misa] et Nicolaum Tongwol alias de Colonia super quadam perpetua vicaria in ecclesia s. Aegidii Pragensi exorta in palatio apostolico latae fuerunt, executioni demandantes, eundem Nicolaum [de Misa] in corporalem possessionem dictae vicariae inducant.*

Romae, 1400 Maii 21.

Bonifacius .... abbati monasterii s. Jeronimi Slavorum Noue ciuitatis Pragensis et decano ecclesie Nigropontensis ac officiali Pragensi .... Exhibita nobis pro parte .... Nicholay Jacobi perpetui vicarii in ecclesia s. Egidii Pragensi peticio continebat, quod, licet olim ipse perpetuam vicariam ‚sacristie' sive ‚vicarie decani' in eadem ecclesia nuncupatam, tunc per obitum quondam Symonis dicti Sich .... vacantem, vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de illa sibi provisum fuisset canonice, tamen .... Nicholaus Tongwol alias de Colonia, qui se gerit pro presbytero Pragensis dyocesis, falso asserens eandem vicariam ad se spectare ac gracie, acceptacioni et provisioni predictis contra iusticiam se opponens, impedivit et impedit ac fecit et facit, quominus gracia, acceptacio et provisio predicte debitum sortite fuerint et sorci-

antur effectum, dictamque vicariam occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiendo ex eadem, et alias eundem Nicolaum Jacobi occasione predicte vicarie multipliciter molestavit, perturbavit et vexavit; ortaque propterea inter eosdem Nicholaum Jacobi et Nicholaum Tongwol super eadem ecclesia et eius occasione materia questionis, nos causam huiusmodi . . . . Nicolao electo Agrigent[in]ensi, tunc capellano nostro ac auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dicti Nicholay Jacobi . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, et cum potestate citandi eundem Nicolaum Tongwol extra eandem curiam et ad partes, quociens opus esset. Denique electus, tunc auditor, ad instanciam predicti Nicolay Jacobi coram eo in iudicio comparentis eundem Nicolaum Tongwol per suas certi tenoris litteras citari fecit ad partes, ut coram eo [in] certo termino peremptorio competenti tunc expresso cum omnibus iuribus et munimentis suis causam huiusmodi contingentibus in iudicio compareret ad procedendum in causa huiusmodi, prout existeret racionis. In quo quidem termino magister Rotgerus Balhorn procurator eiusdem Nicolay Jacobi . . . . comparens et de citacione huiusmodi coram eodem electo, tunc auditore, fidem faciens per legitima documenta, predicti Nicholay Tongwol non comparentis contumaciam accusavit, prefatusque electus, tunc auditor, ad instanciam predicti Ro[t]gerii eundem Nicholaum Tongwol ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda necnon dandum et per eandem alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, in audiencia publica, ut est moris, citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus predictus Rotgerius . . . . comparens, predicti Nicholay Tongwol non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius auditoris presencia prestitit iuramentum necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huiusmodi in dictis terminis ad hec datis; et deinde . . . . magister Johannes Turnoc substitutus per . . . . Bartholomeum de Swetza procuratorem predicti Nicolay de Tongwol . . . . in iudicio comparens, contra posiciones et articulos partis adverse predictos nonnullas excepciones pro parte sua in huiusmodi causa dedit, prefatusque electus, tunc auditor, eisdem Rotgerio et Johanni coram eo in iudicio constitutis ad producendum et produci videndum hinc inde omnia iura et munimenta, quibus partes ipse uti vellent in causa huiusmodi, certum terminum peremptorium competentem assignavit; in quo prefatus Rotgerius . . . . comparens, predicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras . . . apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit, et deinde prefatus Johannes . . . . in iudicio comparens, contra producta predicta nonnullas excepciones pro parte sua in huiusmodi causa dedit; postmodum vero eisdem Rotgerio et Johanne . . . . in iudicio comparentibus dictoque Rotgero in causa huiusmodi concludi petente, prefatus electus, tunc auditor, cum eodem Rotgerio in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in termino ad hoc dato. Tandem vero eisdem Rotgerio et Johanne . . . . in iudicio comparentibus dictoque Rotgerio diffinitivam sentenciam in causa huiusmodi ferri petente in certa die ad hoc data, sepedictus electus, tunc auditor, ... per suam

diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in ipso libello petita fuerant: graciam, acceptacionem et provisionem predictas et omnia inde secuta fuisse et esse canonica summque debuisse et debere sortiri effectum, dictamque vicariam ad dictum Nicholaum Jacobi spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere de iure sibique cum omnibus iuribus et pertinenciis suis adiudicandam fore et adiudicavit, predictoque Nicholao Tongwol nullum ius in dicta vicaria seu ad eam competeisse aut competere, dictumque Nicholaum Tongwol ab occupacione et detencione dicte vicarie amovendum fore et amovit, dictumque Nicholaum Jacobi in et ad corporalem possessionem dicte vicarie inducendum fore et induxit, necnon opposiciones, molestaciones, perturbaciones, vexaciones, fructuum percepciones et impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, predictoque Nicolao Tongwol . . . . perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, predictumque Nicolaum Tongwol in fructibus ex dicta vicaria a tempore mote litis huiusmodi citra perceptis necnon in expensis in huiusmodi causa coram eo legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi in posterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti Nicolay Tongwol fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc capellano nostro et auditori causarum palacii predicti . . . ., commisimus . . . .; qui ad instanciam dicti Rotgerii . . . . eundem Johannem ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi . . . . successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus prefatus Rotgerius . . . . comparens, predicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum . . . . prestitit iuramentum . . . . Postmodum vero, cum dictus episcopus, tunc auditor, se ab eadem curia tunc absentasset, nos . . . . magistro Johanni Prene capellano nostro et auditori causarum palacii predicti commisimus, ut huiusmodi causam usque ad reditum dicti episcopi, tunc auditoris, ad eandem curiam audiret et fine debito terminaret. Coram quo eisdem Rotgerio et Johanne Turnoc in iudicio comparentibus quilibet eorum nonnullos posiciones et articulos pro parte sua in huiusmodi causa dedit in certo termino ad hoc dato, et deinde predictus episcopus, tunc auditor, tunc ad eandem curiam reversus, ad instanciam predicti Rotgerii . . . . eundem Johannem Turnoc ad respondendum dictis posicionibus et ad dicendum contra eosdem articulos quidquid vellet necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse in causa huiusmodi uti vellent, ... successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus prefatus Rotgerius . . . . comparens, predicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit, prefatusque episcopus, tunc auditor, ad instanciam dicti Rotgerii eundem Johannem ad dicendum contra eadem producta quidquid vellet . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo predictus Rotgerius . . . . comparens, predicti Johannis Turnoc non comparentis contumaciam accusavit. Postmodum vero predicto Rotgerio et magistro Tilemanno Herbort, per ipsum Johannem Turnoc tamquam dominum litis ad huiusmodi

causam constituto, ... in iudicio comparentibus, ac Rotgerio in causa huius modi concludi petente, Tilemanno vero prefatis in ea concludere recusante et nullam racionabilem causam, quare in ea concludi non deberet, allegare curante, prefatus episcopus, tunc auditor, reputans eundem Tilemannum quoad hoc, prout erat merito, contumacem, in eius contumaciam cum eodem Rotgerio in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in termino ad hoc dato. Tandem vero eisdem Rotgerio et Tilemanno . . . . in iudicio comparentibus dictoque Ro[t]gerio diffinitivam sentenciam in causa huiusmodi ferri petente . . . ., sepedictus episcopus, tunc auditor, ... per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: [per] eundem electum, tunc auditorem, in causa huiusmodi bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit; et ab eadem sentencia ipsius electi, tunc auditoris, male fuisse et esse appellatum, ipsumque Nicolaum Tongwol in fructibus a tempore dicte late sentencie ipsius electi, tunc auditoris, citra perceptis condempnandum fore et condempnavit. Et subsequenter prefatus electus, tunc auditor ad instanciam predicti Rotgerii eundem Tilemannum ad videndum taxari expensas huiusmodi . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo prefato Rotgerio . . . . comparente et predicti Tilemanni non comparentis contumaciam accusante . . ., memoratus electus, tunc auditor, reputans eundem Tilemannum . . . . contumacem, in eius contumaciam predictas expensas coram se in huiusmodi causa factas in quinquaginta florenis auri de camera boni et iusti ponderis provida moderacione taxavit, predicti Rotgerii super eisdem expensis iuramento secuto, prout in instrumentis publicis inde confectis electi tunc et episcopi tunc auditorum predictorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur, quod dictus Nicolaus Tongwol lite huiusmodi adhuc indecisa pendente seu postquam predicta sentencia lata fuit, ut prefertur, eandem vicariam dimiserit, dictusque Nicolaus Jacobi dubitet, ne aliqui in eadem vicaria se postea intruserint vel intrudant, pro parte dicti Nicolay Jacobi fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissa execucioni demandare sibique alias in premissis peroportune providere de speciali gracia dignaremur. Nos itaque . . . . que super hiis ab eisdem electo tunc et episcopo tunc auditoribus provide facta sunt rata habentes et grata ipsasque sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes, eundem Nicolaum Jacobi vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem predicte vicarie iuriumque et pertinenciarum ipsius amoto exinde dicto Nicolao Tongwol inducatis auctoritate nostra . . . ., facientes . . . . sibi . . . . de predictis perceptis fructibus necnon florenorum summa pro eisdem expensis . . . . plenam et debitam satisfaccionem impendi, necnon eciam contra eosdem intrusos et intrudendos quoad possessionem predicte vicarie eidem Nicolao Jacobi tradendam perinde procedatis, ac si predicta sentencia contra eosdem lata foret . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii pont. n. a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 190 a — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1611. *Iudicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa inter Sigismundum Johannis Hartlebi et universitatem oppidi Opariae super quibusdam pecuniarum summis exorta in apostolico palatio latae fuerunt, exsequantur.*

Romae, 1400 Maii 21.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . preposito ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis ac officiali Wratislauiensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Sigismundi Johannis Hartlebi clerici Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse contra . . . . consules, scabinos et universitatem oppidi Troppow Olomucensis diocesis, qui eidem Sigismundo super quibusdam annuis censibus, pecuniarum summis et rebus aliis iniuriabantur, apostolicas super hiis ad . . . . prepositum monasterii s. Marie in Glacz per prepositum soliti gubernari Pragensis diocesis in communi forma litteras impetravit, prefatosque consules, scabinos et universitatem, qui tempore impetracionis predictarum litterarum eciam tunc annuum censum viginti marcharum cum dimidia grossorum Pragensium cum quinque grossis et duobus denariis Polonici numeri et monete Boemicalis singulis annis ex causa legitima tunc expressa solvere tenebantur et eundem censum sibi per nonnulla tempora preterita tunc expressa contra iusticiam solvere recusaverant, super hoc, petendo pronunciari, decerni et declarari ipsos teneri ad solvendum eidem Sigismundo pro temporibus preteritis centum et tres marchas et viginti duos denarios prefate monete ipsosque condempnari et compelli ad solvendum ipsi Sigismundo singulis annis futuris censum huiusmodi viginti marcharum cum dimidia grossorum Pragensium cum quinque grossis et duobus denariis, coram prefato preposito vigore litterarum huiusmodi fecit ad iudicium evocari, idemque prepositus cognitis cause huiusmodi meritis et iuris ordine observato in huiusmodi causa legitime procedens, pro dicto Sigismundo et contra prefatos consules, scabinos et universitatem diffinitivam sentenciam promulgavit ipsosque in expensis in huiusmodi causa factis condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte prefatorum consulum, scabinorum et universitatis, asserencium eam iniquam fore, fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi et desercionis ipsius . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam predictorum consulum, scabinorum et universitatis . . . . commisimus . . . . Coram quo magister Petrus Groschil procurator prefatorum consulum, scabinorum et universitatis in iudicio comparens, quoddam sue procuracionis mandatum in huiusmodi causa produxit et nichilominus vigore eiusdem mandati magistrum Rotgherum Balhorn ibidem presentem et onus substitucionis huiusmodi in se sponte suscipientem . . . . in huiusmodi causa substituit; idemque auditor, postquam in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat, ad instanciam . . . . magistri Conradi de Lapide procuratoris prefati Sigismundi . . . ., asserentis appellacionem huiusmodi fuisse et esse desertam, prefatum Rotgherum ad docendum de diligencia prosecucionis appellacionis huiusmodi . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo dictus Conradus . . . . comparens dicti Rotgheri non comparentis contumaciam accusavit, nonnulla instrumenta publica aliaqua iura et munimenta . . . . produxit necnon quandam peticionem

summariam in eadem causa dedit, idemque auditor ad dicti Conradi instanciam prefatum Rotgherum ad dicendum contra huiusmodi producta quidquid vellet . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem: in quo prefatus Conradus . . . . comparens, prefati Rotgheri non comparentis contumaciam accusavit, idemque auditor ad dicti Conradi instanciam prefatum Rotgherum ad suam in causa huiusmodi sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Conrado . . . . comparente et prefati Rotgheri non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam dictam appellacionem fuisse et esse desertam pronunciari et sentenciam ipsam ferri petente, memoratus auditor reputans eundem Rotgherum . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: appellacionem huiusmodi a dicta sentencia ipsius prepositi interpositam fuisse et esse desertam, prefatosque consules, scabinos et universitatem in expensis in huiusmodi causa factis condemnandos fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia ipsius auditoris pro parte prefatorum consulum, scabinorum et universitatis ad sedem predictam fuit appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia ipsius auditoris interposite . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc capellano nostro et causarum predicti palacii auditori, ... commisimus . . . . Qui ad instanciam dicti Conradi . . . . predictum Rotgherum ad impugnandum processum coram ipso Jacobo auditore habitum et iustificandum appellacionem huiusmodi et per alteram partem iustificari processum et impugnari appellacionem huiusmodi videndum . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Conradus . . . . comparens, predicti Rotgheri non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam omnia acta et habita in causa ipsa ad iustificandum processum et impugnandum appellacionem huiusmodi produxit, idemque episcopus, tunc auditor, ad dicti Conradi instanciam prefatum Rotgherum ad suam in huiusmodi causa sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Conrado . . . . comparente et dicti Rotgheri non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, prefatus episcopus, tunc auditor, reputans eundem Rotgherum . . . . contumacem, in eius contumaciam per suam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Jacobum auditorem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum et sentenciatum, ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dictorum consulum, scabinorum et universitatis ab eadem sentencia ipsius Jacobi auditoris male fuisse et esse appellatum. Et subsequenter prefatus Jacobus auditor ad prefati Conradi instanciam prefatum Rotgherum ad videndum taxari expensas coram se factas . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dicto Conrado . . . . comparente et prefati Rotgheri non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, prenominatus Jacobus auditor reputans eundem Rothgerum . . . . contumacem, in eius contumaciam predictas expensas in quindecim florenis auri de camera boni et iusti ponderis provida moderacione taxavit, predicti Conradi super expensis ipsis iuramento secuto, prout in instrumentis publicis inde confectis predictorum Jacobi et episcopi tunc auditorum sigillis munitis dicitur plenius con-

tineri. Nos igitur . . . . que super hiis ab eisdem Jacobo et episcopo tunc auditoribus provide facta sunt rata habentes et grata, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes, vocatis prefatis consulibus, scabinis et universitate et aliis, qui fuerint evocandi, expensas huiusmodi coram prefato preposito, ut dicitur, factas provida moderacione et iuramento dicti Sigismundi vel procuratoris sui . . . . super eis subsecuto taxantes, necnon Jacobi et episcopi tunc auditorum predictorum sentencias huiusmodi, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, prefato Sigismundo vel procuratori suo eius nomine huiusmodi summam centum et trium marcharum et viginti duorum denariorum pro tempore preterito ac in futurum de huiusmodi censu viginti marcharum et dimidie et quinque grossis et duobus denariis (*sic*) singulis annis persolvi integre faciatis, sibique de dictorum florenorum summa pro dictis expensis . . . . plenam et debitam satisfaccionem impendi . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 81[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1612. *Ecclesiam hospitalis Omnium Sanctorum in Fulneck*[a]) *Olomucensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitatibus ss. Bartholomaei et Laurentii) visitantibus et ad sustentationem Christi pauperum in dicto hospitali degentium manus adiutrices porrigentibus trium annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. undecimo“.*

Romae, 1400 Maii 21.

R. Lat. 79 fol. 49[a] — [a]) Fulnecke. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1613. *Episcopo Concordiensi et praeposito ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Maczeo de Lamberto rectori ecclesiae s. Cipriani de Forcilla Neapolitanae, familiari apostolico, clerico camerae apostolicae ac fructuum et proventuum eidem camerae debitorum in regno Poloniae ac provincia Gneznensi collectori, de nobili genere procreato, canonicatum et praebendam ecclesiae Vladislaviensis per obitum Jacobi Steube vacantes, quas ipse Maczeus vigore apostolicae gratiae exspectativae acceptavit, auctoritate apostolica conferant. „Grata dilecti“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 21.

R. Lat. 78 fol. 266[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1614. *Episcopus Litomyślensis*[a]) *et abbas monasterii Milocensis Pragensis dioc. ac decanus ecclesiae Vratislaviensis conservatores abbatis et conventus monasterii Teplensis praemonstratensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 21.

R. Lat. 75 fol. 224[c] — a) ‚Luthomusleñ'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1615. *Ecclesiam s. Johannis Baptistae in Dražicz*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, et in s. Crucis ac ss. Catherinae, Dorotheae et Margarethae virginum et s. Bartholomaei aliorumque apostolorum festivitatibus ac die parasceves) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuis temporibus valituris. „Splendor paterne“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Junii a. undecimo.*

Romae, 1400 Maii 23.

R. Lat. 72 fol. 123[b] — a) ‚Drazzicz'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]. P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1616. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Jacobo de Chotěbudicz*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae in Penčicz*[b]) *Olomucensis dioc. conferat perpetuam vicariam in ecclesia Vratislaviensi per obitum Nicolai Lanctirgeyst apud sedem apostolicam defuncti vacantem, quae sine cura est, cuiusque fructus 5 marcarum argenti valorem annuum non excedunt; non obstante, quod dictus Jacobus dictam parrochialem ecclesiam in Penčicz, cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Junii pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 27.

R. Lat. 82 fol. 28[a] — a) ‚Chotyebudycz' b) ‚Penczycz'. — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

1617. *Cum Jaroslao [de Bezměř] episcopo Sareptensi dispensatur, ut aliquod beneficium curatum recipere possit.*

Romae, 1400 Maii 28.

Bonifacius . . . . Jaroslao episcopo Sareptensi . . . . Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam graciam tibi favorabiliter impendimus, per quam tuis necessitatibus possit congrue pro-

videri. Cum ecclesia tua Sareptensis, que per infideles occupatur, non habeat aliquos fructus sive redditus, unde valeas sustentari, nos, ne propterea paupertate graveris, providere tibique specialem graciam facere volentes, tecum, ut parrochialem ecclesiam aut aliud curatum beneficium . . . . recipere et, quoad vixeris, retinere illamque sive illud simpliciter vel ex causa permutacionis dimittere et loco dimisse vel dimissi aliam parrochialem ecclesiam vel aliud curatum beneficium recipere et retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica . . . . dispensamus, quod fratrum ordinis minorum professor existis, necnon constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii pont. n. a undecimo.

R. Lat. 72 fol. 145b — Supra in marg. sin.: P DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1618. *Ecclesiam s. Aegidii Pragensem visitantibus et praedicationem bohemicam ibidem audientibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Maii 29.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia s. Egidii Antique ciuitatis Pragensis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui singulis dominicis et sabbatis diebus, necnon in nativitatis, circumcisionis, epiphanie, resureccionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi ac penthecostes, necnon in nativitatis, concepcionis, annunciacionis, purificacionis, visitacionis et assumpcionis b. Marie virginis et nativitatis ac decollacionis b. Johannis Baptiste ac Petri et Pauli . . . . et omnium aliorum apostolorum et beatorum martirum Laurencii, Stephani, Viti, Wenceslai, Adalberti, Stanislai, Georgii, Cristofori, Benedicti et fratrum eius et Sigismundi ac ss. Nicolai, Egidii, Martini, Procopii, Leonardi, Gregorii, Jeronimi, Augustini, Ambrosii, Anthonii et Allexii confessorum, necnon ss. Anne, Marie Magdalene, Elizabeth, Ludmille, Katherine, Margarethe, Barbare, Dorothee, Agnetis, Lucie, Agathe, Appolonie, Vrsule cum sodalibus et Scolastice ac in dedicacione ipsius ecclesie festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epiphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri, ac nativitatis et assumpcionis b. Marie, necnon nativitatis b. Johannis et apostolorum Petri et Pauli et omnium aliorum apostolorum et predictorum sanctorum festivitatum octavas ac per sex dies dictam festivitatem penthecostes immediate sequentes predictam ecclesiam devote visitaverint et sermonem divinum per predicatorem ibidem in predictis dominicis et festivis diebus pronunciantem in lingua bohemica devote audierint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum et celebritatis et sermonis divini pronunciacionis septem annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus . . . . centum dies de iniunctis eis penitenciis in domino misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. undecimo.

R. Lat. 72 fol. 120b. Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1619. *Parrochialem ecclesiam b. Mariae virginis in Plana super flumen Miza Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, et in festivitatibus s. Andreae apostoli ac beatorum martirum Laurentii, Viti, Venceslai, Adalberti et Sigismundi et ss. Nicolai, Martini, Procopii, Aegidii et Leonardi, necnon ss. virginum Catherinae, Margarethae, Barbarae, Agnetis, Dorotheae, Luciae et Agathae) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 29.

R. Lat. 72 fol. 120a. — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1620. *Episcopus Vratislaviensis et abbates monasteriorum Strahoviensis Pragensis ac Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. conservatores abbatis et conventus monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. usque ad viginti annos instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. undecimo.“*

Romae, 1400 Maii 29.

R. Lat. 75 fol. 225a. Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1621. *Abbati monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. indultum insignium pontificalium, benedicendi etc. Datum Rome ap. S. Petrum 4. calendas Junii a. XI.*[4]

Romae, 1400 Maii 29.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro primo de praebendis et dignitatibus vacaturis, de diversis formis, de regularibus, de curia a. XI° fol. 203“ in codice Vatic. 6952 fol. 267b continetur.

1622. *Daliborius de Honzovicz eximitur ab omni iurisdictione ordinariorum.*

Romae, 1400 Maii 31.

Bonifacius . . . . Daliborio de Honczowicz canonico Olomucensi . . . . Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut ea tibi favorabiliter concedamus, per que quieti et tranquillitati tue salubriter consulatur. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati et eciam certis de causis racionabilibus, animum nostrum ad id inducentibus, te cum

canonicatibus et prebendis necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura et bonis tuis quibuscunque, que impresenciarum obtines et imposterum dante domino poteris adipisci, quoad vixeris, ab omni iurisdiccione et potestate, dominio et superioritate . . . . archiepiscopi Pragensis et aliorum archiepiscoporum, episcoporum et ordinariorum iudicum necnon superiorum tuorum quorumcunque auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presencium eximimus et eciam liberamus ac sub b. Petri et sedis apostolice proteccione suscipimus atque nostra, teque et huiusmodi canonicatus et prebendas ac beneficia et bona libera esse volumus, nobisque et successoribus nostris, Romanis pontificibus, ac dicte sedi immediate subesse, ita quod archiepiscopi, episcopi, ordinarii iudices ac superiores supradicti, eciam racione delicti seu contractus aut rei, de qua ageretur, ubicunque committatur delictum, iniatur contractus aut res ipsa consistat, nulla in te, canonicatus et prebendas ac beneficia et bona supradicta possint iurisdiccionem, potestatem seu dominium exercere, sed duntaxat coram dicta sede vel eius delegatis tenearis de te conquerentibus de iusticia respondere, fel rec. Innocencii pape III. predecessoris nostri et alia qualibet constitucione apostolica contraria non obstante. Decernimus insuper irritos et inanes omnes et singulos processus et excommunicaciones, suspensiones et interdicta, quos et quas seu que contra te occasione canonicatuum et prebendarum aut beneficiorum sive bonorum huiusmodi vel alias habere contigerit seu eciam promulgari. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Junii a. undecimo.

Simili modo: Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac officiali Wratislauiensi . . . . Quocirca discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . predictum Daliborium in possessione exempcionis huiusmodi auctoritate nostra pro tempore conservare curetis, non permittentes eum contra huiusmodi exempcionis nostre tenorem per archiepiscopos, episcopos, ordinarios iudices seu alios quoscunque indebite molestari, contradictores auctoritate nostra appellacione postposita compescendo . . . .

R. Lat. 72 fol 216ª — Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: DE MANDATO, JA DE TERAMO.

1623. *Petro de Esculo providetur motu proprio de quibusdam beneficiis ecclesiasticis per obitum Henrici Ruwe vacantibus.*

Romae, 1400 Junii 10.

Bonifacius . . . . magistro Petro Vannis de Esculo canonico ecclesie Wisegradensis prope Pragam, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . . . si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Wisegradensis prope Pragam et Bechemensis ac s. Lebuini Dauentriensis cum supplemento Monasteriensis et Traiectensis diocesium ecclesiarum canonicatus et prebende, quos quondam Henricus Ruwe . . . . obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui, scriptor noster existens, apud

dictam sedem diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui camere apostolice clericus et eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... graciam facere specialem, canonicatus et prebendas cum supplemento predictos, quorum omnium fructus . . . . octuaginta quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . ., motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, [eciam] illi vel illis, cui vel quibus hodie de eisdem canonicatibus et prebendis ac supplemento providissemus aut providere mandavissemus, te . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Junii pont. n. a. undecimo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Stragouiensis Pragensis ac officiali Traiectensi . . . .

R. Lat. 76 fol. 97r – Supra in marg. sin. A DE PORTUGRUARIO; in fine PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO. — Altera copia ibidem fol. 145r continetur, sed cancellata est adiuncta in margine nota: „Cancellata, quia propter sui nimiam correctionem alibi registrata est. N. de Benevento.“

1624. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni Conradi neque Ladislao Thomae in parrochiali ecclesia in Fenes Saxonicali ius competere, eandem ecclesiam dicto Johanni conferat.*

Romae, 1400 Junii 13.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Johannes Conradi clericus Pragensis diocesis, magister in artibus, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Ladislaum Thome, qui se gerit pro presbytero Transiluane diocesis, super parrochiali ecclesia Omnium Sanctorum de Fenes Saxonicali eiusdem Transiluane diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Gregorii Pesoldi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Johannes se per . . . . parrochianos dicte ecclesie, veros patronos eiusdem ecclesie . . ., bone memorie Materno episcopo Transiluano [1]) ad ipsam ecclesiam infra tempus legitimum presentatum seque per eundem episcopum in rectorem eiusdem ecclesie auctoritate ordinaria institutum fuisse canonice, dictumque Ladislaum se presentacioni et institucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus idem Johannes dictam ecclesiam posset pacifice possidere, Ladislaus vero predicti ecclesiam ipsam ad se iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis [2]) et causa huiusmodi per appellacionem dicti Johannis ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi ad instanciam dicti Johannis . . . . commisimus . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos citacionis et inhibicionis

actus contra eundem Ladislaum dicceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Johannis et Ladislai in dicta ecclesia seu ad eam ius competere, nos . . . . discrecioni tue . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Johannis et Ladislai in dicta ecclesia seu ad eam ius habere, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni . . . . auctoritate nostra conferas et assignes; non obstantibus . . . ., quod prefatus Johannes, ut asserit, ydeoma, quod parrochiani dicte ecclesie communiter loquuntur, non bene intelligit nec intelligibiliter loqui scit. Nos enim eidem Johanni, ut ecclesiam predictam, si illam sibi presencium vigore conferri contigerit, recipere et retinere libere et licite valeat . . . ., auctoritate apostolica concedimus per presentes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Junii a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 142b – Supra in marg. sin.: P. DE ZAMBECARIIS; in fine: N. XXVII DE BENEVENTO. — [1] Maternus episcopus an. 1395–1399 fuit. [5] Cf. nr. 1605.

***1625**. *Judicibus mandatur, quatenus Paulo de Mezirici parrochialem ecclesiam in Svratka, per Venceslaum patriarcham Anthiocenum ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Junii 18.

Bonifacius . . . . preposito Olomucensis et decano s. Apollinaris Pragensis ecclesiarum ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Paulus Weliconis de Mezyrzicz clericus Olomucensis diocesis . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Pauli peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Swaratka dicte diocesis, quam . . . . Wenceslaus patriarcha Anthiocenus ex commissione et dispensacione sedis apostolice tunc obtinebat, per liberam resignacionem dicti patriarche per ipsum de illa coram quibusdam notario publico et testibus extra Romanam curiam sponte factam vacante, idem patriarcha, habens a nobis sua beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que tunc habebat et postea eum habere contingeret, coram quibuscunque notariis et testibus extra eandem curiam resignandi necnon illa per huiusmodi resignacionem pro tempore vacancia personis ydoneis, de quibus sibi videretur, conferendi et de illis providendi per nostras litteras potestatem, eandem ecclesiam sic vacantem predicto Paulo vigore potestatis eiusdem contulit et de illa eciam providit, ipseque Paulus vigore collacionis et provisionis predictarum eandem ecclesiam extitit assecutus. Cum autem . . . idem Paulus dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . predictam ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Paulo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Julii a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 189c – Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: X. XX DE BENEVENTO.

1626. *Cosmato s. Crucis in Jerusalem cardinali providetur motu proprio de praepositura ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1400 Junii 22.

Bonifacius . . . . Cosmato tituli s. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali . . . . Dum exquisitam . . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica . . . quorumcunque sedis apostolice capellanorum tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . . , si secus . . . . contingeret attemptari . . . . Cum itaque postmodum prepositura ecclesie Wratislauiensis, quam quondam Jacobus Steube . . . obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui, dicte sedis capellanus et sacri palacii apostolici causarum auditor existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, . . . nos . . . . dictam preposituram, que dignitas curata maior post pontificalem in ipsa ecclesia existit, et ad quam quis per eleccionem consuevit assumi, cuiusque fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . . , motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . Nos enim tecum, ut dictam preposituram libere recipere et una cum ecclesia s. Crucis in Jerusalem de Urbe, que titulus tui cardinalatus existit, et . . . . aliis beneficiis ecclesiasticis . . . . retinere libere et licite valeas, ... motu simili . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Julii a. undecimo.

Simili modo . . . . Cracouiensi et . . Tudensi ac . . Concordiensi episcopis . . . .

R. Lat. 75 fol. 201a - Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

— — —

1627. *Petro Johannis de Hotzenplotz*[a]) *[per litteras in registro cancellatas] providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Vladislaviensis, per obitum Jacobi Steube capellani apostolici et causarum palatii apostolici auditoris extra Romanam curiam defuncti vacantibus,*[1]) *non obstante, „quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie s. Marie Maioris-Glogouie Wratislauiensis diocesis et altare s. Gothardi situm in capella b. Marie virginis annexa ecclesie Wratislauiensi, quod quidem altare sine cura est, obtines,*[2]) *et super parrochiali ecclesia in Piczin dicte Wratislauiensis diocesis in palacio apostolico nosceris litigare,*[3]) *quorum omnium fructus . . . . triginta duarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, et quod nos dudum tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi et capituli . . . . ecclesie Wratislauiensis [pertinente] . . . . per nostras litteras graciose mandavimus prouideri.“ „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Julii a. undecimo.“ — Simili modo episcopo Concordiensi et abbati monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1400 Junii 22.

R. Lat. 84 fol. 140[r]. nota registratoris autem ibi deest et litterae ipsae cancellatae sunt. — [a]) ‚Hoczimplocz'. — [b]) Cf. nr. 1613. — [c]) Cf. nr. 186. — [d]) Cf. nr. 1675. In eodem codice fol. 139[b] initium alius bullae similiter cancellatae legitur, per quam Petro Johannis de Hotzenplotz providetur de perpetua vicaria sine cura ecclesiae Vratislaviensis, vacante per obitum Jacobi de Volavia (‚Olauia') apud sedem apostolicam defuncti, cuius fructus 8 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt (Cf. nr. 1675).

1628. *Concordiensi et Zagrabiensi episcopis ac praeposito ecclesiae s. Laurentii de Haj*[a]) *Colocensis dioc. mandatur, quatenus Jacobo Stephani de Ebeczk*[b]) *presbytero Strigoniensis dioc. canonicatum et praebendam ecclesiae Bacchiensis, per Johannis de Buda, necnon custodiam in eadem ecclesia, per Brictii dicti Bohemi liberas resignationes vacantes et per Nicolaum archiepiscopum Colocensem auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferant.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Julii a. undecimo*".

Romae, 1400 Junii 22.

R. Lat. 78 fol. 232[a] — [a]) ‚Haii' [b]) ‚Ebech' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1629. *Declaratur omnes provisiones de parrochiali ecclesia in Vansov aliis quam Johanni de Strelicz forsan factas nullius esse roboris.*

Romae, 1400 Junii 24.

Bonifacius . . . . Johanni Helferi de Strelicz rectori parrochialis ecclesie s. Floriani in Wansaw Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Hodie siquidem tibi de parrochiali ecclesia s. Floriani in Wansaw Wratislauiensis diocesis, tunc certo modo vacante et antea disposicioni apostolice reservata, per nostras litteras graciose duximus providendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes, quod prefate littere plenum sorciantur effectum . . . . ‚motu proprio . . . . auctoritate apostolica . . . . declaramus: nostre intencionis et voluntatis fuisse et esse tibi dumtaxat et nulli alteri . . . . hodie de dicta ecclesia voluisse et velle graciam fecisse et facere, et quod, si forte reperiri contingat per nos seu auctoritate nostra de eadem ecclesia alicui seu aliquibus alii seu aliis hodie vel sub cuiuscumque alterius diei data provisum fuisse aut mandatum seu concessum provideri, eciam si ille vel illi auctoritate litterarum nostrarum . . . . dictam ecclesiam . . . . acceptarit vel acceptarint et sibi de illa fecerit seu fecerint provideri, huiusmodi provisiones, concessiones et mandata alii vel aliis . . . . factas seu facta . . . . exnunc cassamus . . . ., prefatasque litteras, per quas tibi de dicta ecclesia providimus . . . ., perinde valere . . . . decernimus, ac si provisiones, concessiones et mandatum huiusmodi pro alio vel aliis a nobis minime processissent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Julii a. undecimo.

R. Lat. 72 fol. 172[r] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1630. *Praeposito et conventui monasterii Chotěsoviensis aliisque personis ibi degentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1400 Julii 1.

Bonifacius . . . . preposito et conventui monasterii Chothiessowicensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Pragensis diocesis ac . . . . priorisse et monialibus eiusdem monasterii ac conversis et servitoribus ac servitricibus aliisque personis utriusque sexus in dicto monasterio degentibus presentibus et futuris . . . . Sincere devocionis . . . . Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicacionibus inclinati . . . . vobis et cuilibet vestrum penitentibus et confessis, qui in festivitate corporis Christi et per eius octavam ecclesiam eiusdem monasterii devote visitaveritis annuatim, illam indulgenciam et remissionem omnium peccatorum vestrorum auctoritate apostolica concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo penthecostes quomodolibet consecuntur. Et nichilominus, ut indulgenciam huiusmodi uberius consequi possitis, preposito eiusdem monasterii, qui est et erit pro tempore, et tribus aliis presbyteris secularibus vel regularibus per eundem prepositum annuatim eligendis, ut ipsi confessiones omnium et singulorum vestrum audire et . . . . pro commissis vobis debitam absolucionem impendere valeant . . . ., predicta auctoritate . . . . per presentes indulgemus perpetuis temporibus duraturas . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Julii anno undecimo.

R. Lat. 82 fol. 139ᶜ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1631. *Parrochialem ecclesiam ss. Petri et Pauli in Svéraz*[a]*) Pragensis dioc. in festo nativitatis b. Mariae virginis et per eius octavam visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini quomodolibet consequuntur, atque rectori eiusdem ecclesiae et sex vel pluribus presbyteris per eundem rectorem eligendis indulgetur, ut Christi fidelium ad dictam ecclesiam huiusmodi indulgentiae assequendae causa confluentium confessiones auctoritate apostolica audire possint, praesentibus litteris perpetuo duraturis.* „*Licet is*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Julii a. undecimo.*“

Romae, 1400 Julii 1.

R. Lat. 82 fol. 139ᵃ — a) ‚Sweras‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC. DE TERAMO.

1632. *Cum Stiborio electo monasterii Siloensis dispensatur, ut parrochialem ecclesiam in Ledeč una cum dicto monasterio ad vitam suam retinere possit.*

Romae, 1400 Julii 7.

Bonifacius . . . . Stiborio electo monasterii Siloensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Hinc est, quod nos tuis in hac

parte supplicacionibus inclinati tibi, ut ecclesiam parrochialem in Ledecz Pragensis diocesis, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, quam canonice obtinebas, prout obtines, et que de iure patronatus laicorum existit, una cum monasterio Siloensi premonstratensis ord. dicte diocesis, cuius canonicus expresse professus fuisti, prout es, postquam administracionis bonorum eiusdem monasterii [possesionem] pacifice adeptus fueris, dummodo tempore date presencium non sit in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam alicui specialiter ius quesitum, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas — Lateranensis concilii et quibuscumque aliis constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis . . . . nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Julii pont. n. a. undecimo.

Copia ex originali archivii monasterii Siloensis nr. 39 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali bulla plumbea in filo serico appendet et hae notae ei inscriptae sunt: (in plica dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JO. DE TREMOSNICZ; (sub plica dext.) A. DE PORTUGRUARIO; (in tergo) R[EGISTRATA].

1633. *Monasterium S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc., quod a sua primaeva fundatione abbati monasterii S. Crucis eiusdem ord. Pataviensis dioc. tamquam patri abbati et visitatori immediate subesse consueverat, sed postea propter guerras inter habitatores regni Bohemiae et ducatus Austriae a iurisdictione dicti abbatis exemptum et abbati monasterii in Plass praefati ord. Pragensis dioc. submissum fuit, ab omni iurisdictione, visitatione, oboedientia, correctione et superioritate abbatis in Plass eximitur, et statuitur ipsum monasterium S. Coronae extunc in perpetuum abbati monasterii S. Crucis tamquam patri abbati et visitatori subesse debere. „Pro singulorum fidelium“ „Rome ap. S. Petrum nonis Julii pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Julii 7.

Ed. e transsumpto notarili ddto. 1661 Aug. 27 ap. Pangerl, Urkundenb. von Goldenkron (Fontes rer. Austr. Abth. II. Bd. 37) p. 320 nr. 131. Pangerl istam bullam suspectam (verdächtig) denotat putans eam nonnisi saec. XVII. confectam fuisse, nullam autem huius suspicionis sufficientem rationem adducit. In litteris ipsis nihil invenio, quod contra stilum cancellariae apostolicae repugnet.

1634. *Monasterio s. Mariae ad S. Coronam cisterciensis ord. Pragensis dioc., cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur in perpetuum parrochiales ecclesiae s. Venceslai in Netolicz[a]) et s. Nicolai in Boleticz ac. s. Mariae in Kájov[b]) necnon s. Mariae Magdalenae in Černicz[c]) atque in Chvalšin[d]) Pragensis dioc., quae de iure patronatus praedicti monasterii existunt, et quarum fructus 60 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, ita ut cura animarum ecclesiarum praedictarum per idoneos monachos praefati monasterii ad nutum abbatis ponendos et removendos gubernetur. „Magne devocionis“ „Rome ap. S. Petrum nonis Julii pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Julii 7.

Ed. Pangerl, Urkundenb. von Goldenkron nr 132. — a) ‚Noteliz'. b) ‚Keyow'. c) ‚Scher nicz'. d) ‚Chwalsungen'.

1635. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus a Johanne de Gützkow*[a]*) familiari apostolico resignationem canonicatus et maioris praebendae ecclesiae Colbergensis Caminensis dioc. recipiat, ipsosque canonicatum et praebendam, quorum fructus 10 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, Vincentio Holk clerico Lubicensi, baccalario in artibus*[1]*), conferat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Augusti a. undecimo."*

Romae, 1400 Julii 16.

R. Lat. 76 fol. 234[c] — [a] ‚Gaczecow'. — Supra in marg. sin: F. DE MONTEPOLICIANO: in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Vincentius Holk 1397 Sept. 27 in universitate Pragensi ad gradum baccalariatus in artibus admissus est. (Monum. univ. Prag. I, I. pag. 323

1636. *Valthero de Kokeritz providetur de archidiaconatu Lusatiae in ecclesia Misnensi.*

Romae, 1400 Julii 20.

Bonifacius . . . . Walthero de Kokericz archidiacono Lusacie in ecclesia Misnensi . . . . Nobilitas generis, vite ac morum . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura quorumcunque curialium peregrinacionis, infirmitatis aut recreacionis seu alia quacunque causa de Romana curia ad quevis loca secedencium, si, antequam ad dictam curiam redirent, in locis ultra duas dietas legales ab eadem curia non remotis, dummodo ibidem eorum proprium domicilium non existeret, iam forsan decessissent vel eos imposterum contingeret de medio summoveri, per obitum huiusmodi tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum archidiaconatus Lusacie in ecclesia Misnensi, quem quondam Michahel Legenicz de Gubbin . . . . obtinebat, per ipsius Michahelis obitum, qui curialis existens et de Urbe, in qua tunc cum nostra curia residebamus, prout residemus, ad locum Vicarelli Sutrine diocesis utique ultra duas dietas legales a dicta curia non remotum ex certa causa secedens, iuxta dictum locum, ubi proprium domicilium non habebat, diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existis . . . . , graciam facere specialem . . ., archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt . . . . , motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., si forsan hodie alii vel aliis de ipso archidiaconatu providerimus aut mandaverimus seu concesserimus provideri.[1]) Nos enim . . . . provisiones seu mandata et concessiones huiusmodi, per nos

seu auctoritate nostra cuicunque seu quibuscunque alii vel aliis et presertim .... Johanni Westfali clerico Caminensis diocesis de ipso archidiaconatu eciam sub quacunque forma vel expressione verborum eciam motu proprio factas et facta, irrita .... fuisse et esse predicta auctoritate motu simili .... decernimus et declaramus per presentes .... Nos insuper tecum, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias incompatibile, eciam si dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem vel collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi .... recipere et una cum dicto archidiaconatu quoad vixeris, retinere ac archidiaconatum et beneficium huiusmodi .... tociens quociens tibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia .... beneficia .... ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et eciam, quoad vixeris, retinere .... valeas ...., dispensamus .... Datum Rome ap. S., Petrum tredecimo kal. Augusti a. undecimo.

Simili modo .... episcopo Concordiensi et .... abbati monasterii in Doberluk Misnensis diocesis ac officiali Misnensi ....

R. Lat. 82 fol. 15ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1637 et 1670.

1637. *Nicolao Kersebom decretorum doctori, officium causarum curiae camera apostolicae regenti, providetur motu proprio de canonicatu et praebenda ecclesiae Lubucensis*[a]) *ac archidiaconatu Lusatiae in ecclesia Misnensi vacantibus per obitum Michaelis Legenicz de Gubin, „qui, curialis existens et de alma Urbe .... ad castrum seu balneum Ficarelli Sutrine diocesis .... secedens, iuxta ipsum castrum .... diem clausit extremum; omnes autem provisiones de dictis canonicatu et praebenda ac archidiaconatu hodie vel sub cuiuscunque alterius diei data auctoritate apostolica etiam motu proprio aliis factae vel fiendae*[1]) *exnunc cassantur. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Augusti a. undecimo." — Simili modo episcopo Maroniensi*[b]) *(?) et praeposito Lubucensis et cantori Budissinensis Misnensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1400 Julii 20.

R. Lat. 110 fol. 286ᵃ — [a]) ‚Lubicen' cod.; Lubicensis loco Lubucensis hic per errorem scriptum esse puto, quia in nro. 1670 Michael Legenicz de Gubin canonicatum et praebendam Lubucensis ecclesiae obtinuisse dicitur, et quia inter executores istius gratiae praepositus Lubucensis est. [b]) ‚Marolinen'. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1636 et 1670.

1638. *Cum Henrico Henrici Spalicz clerico Vratislaviensis dioc., qui in decimonono vel circa aetatis suae anno constitutus existit, dispensatur, ut huiusmodi aetatis defectu non obstante beneficium ecclesiasticum curatum, etiam si dignitas, personatus vel officium in metropolitana vel cathedrali maior post pontifi-*

calem vel collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, recipere et retinere possit, ita tamen, ut, quamprimum ad aetatem legitimam pervenerit, ad ordines, quos huiusmodi officium requiret, statutis a iure temporibus se facere promoveri teneatur. „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Augusti a. undecimo.*"

Romae, 1400 Julii 24.

R. Lat. 79 fol. 197b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1639. *Cum Henrico de Rybenicz ex utroque parente de militari genere procreato, rectore parrochialis ecclesiae in Karlovicz*[a]) *Vratislaviensis dioc., cuius fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, dispensatur, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias cum dicta ecclesia incompatibile, etiam si dignitas, personatus vel officium cum vel sine cura in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad biennium retinere possit.* „*Nobilitas generis*" „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Augusti a. undecimo.*"

Romae, 1400 Julii 24.

R. Lat. 79 fol. 200a — a) ‚Karlewicz'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

1640. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Olomucz decanatum ecclesiae Cremsirensis, per Venceslaum patriarcham Anthiocenum ei collatum, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Augusti 19.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . archidiacono Prerouiensi in ecclesia Olomucensi ac . . officiali Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus de Olomucz rector parrochialis ecclesie in Krziekow Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim decanatu ecclesie Chremsirensis Olomucensis diocesis, quem quondam Johannes Stephani . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante . . . ., Wenceslaus patriarcha Anthiocenus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas dudum sibi de uno, duobus, tribus aut quatuor seu pluribus et tot beneficiis ecclesiasticis . . . , quod eorum valor ad duo milia florenorum auri . . . annuatim ascenderet . . . ., ad . . . . quorumcunque collatorum vel collatricum Pragensium, Salzeburgensium, Wratislauiensium civitatum et diocesium ac Pragensis et Salzeburgensis provinciarum collacionem . . . pertinentibus . . . ., graciose mandavimus provideri,[1]) eundem decanatum sic vacantem infra tempus legitimum acceptavit

et sibi de illo fecit provideri, ipsumque vigore acceptacionis et provisionis huiusmodi extitit assecutus. Et subsequenter idem patriarcha, habens, ut dicebat, resignandi coram notario publico et testibus quecumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que in quibusvis ecclesiis sive locis ex concessione et dispensacione apostolice sedis obtinebat et in futurum obtineret . . . ., ac beneficia huiusmodi sic per eum resignata post resignacionem huiusmodi conferendi personis ydoneis, quas ad hoc duceret eligendas, eciam si quelibet personarum ipsarum unum vel duo seu tria aut plura . . . . beneficia . . . . ecclesiastica obtineret, et de illis eciam providendi per alias nostras litteras specialem potestatem, huiusmodi litterarum et potestatis vigore decanatum predictum, per liberam resignacionem ipsius patriarche per eum de illo . . . . coram certis notario publico et testibus extra dictam curiam sponte factam vacantem, prefato Nicolao contulit et de illo eciam providit, ipseque Nicolaus eundem decanatum vigore collacionis et provisionis huiusmodi . . . . extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Nicolaus dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . decanatum predictum, qui curatus et dignitas principalis in dicta ecclesia Chremsirensi existit, et ad quem quis per eleccionem assumitur, cuiusque fructus . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt . . . ., prefato Nicolao . . . . conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Nicolaus, ut asserit, predictam parrochialem ecclesiam obtinet et super canonicatu et prebenda dicte ecclesie Chremsirensis ac super ministeriatu in ecclesia s. Petri Wissegradensi prope Pragam, quorum omnium fructus . . . . quadraginta quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod dictus Nicolaus, quamprimum . . . . dictum decanatum fuerit pacifice assecutus, dictam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Septembris a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 143[b] — Supra in marg. sin.: A. DE. PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1], Cf. nr. 1146.

1641. *Venceslao regi Romanorum scribitur: papam litteras eius cum informationibus accepisse, quas Nicolaus dicti regis orator ad papam destinatus ei debebat exprimere, nisi in itinere morbo fuisset impeditus; monetur porro dictus rex, ut aut eundem Nicolaum aut alium ad papam mittat, „cum quo illa possimus communicare salubriter, que circa tam grandem ponderosamque materiam concernemus utilius in domino convenire . . . .; unum tamen serenitatem tuam tenere volumus pro constanti, quod circa ea, que statum honoremque serenitatis tue concernere valeant, studio paterne teneritudinis erimus indefesso usque ad proprii effusionem sanguinis pervigiles et intenti.“ „Nuper quasdam informaciones“ „Rome ap. S. Petrum VII. kal. Septembris pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Augusti 26.

Ed. Pelzel, Wenzel IV., Th. II. Urkundenb. p. 69 nr. 170; item Deutsche Reichstagsakten III p. 225 nr. 185.

1642. *Johannes de Moravia canonicus Pragensis, magister in actibus, fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et aliorum in provincia, civitate et diocesi Pragensibus ecclesiae Romanae et camerae apostolicae debitorum collector et receptor usque ad sedis apostolicae beneplacitum deputatur. „Ex fideli et solli cita“ „Rome ap. S. Petrum kal. Septembris pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Septembris 1.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 184[a]; clausulae illic penitus omissae sunt, earumque loco legitur: ‚ut supra in collectoria Burdegalensi'. Haec autem collectoria Burdegalensis (ibid. fol. 179[a]) mutatis mutandis fere ad verbum concordat cum collectoria Pragensi ddto. 1390 Apr. 19, quam vide sub nro. 316 huius libri. — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, ERASMUS.

—

1643. *Cum Johanne Johannis de Pavlovicz[a]) clerico Olomucensis dioc. in vicesimo primo suae aetatis anno constituto dispensatur, ut huiusmodi aetatis defectu non obstante beneficium ecclesiasticum curatum recipere illudque, quotiens ei videbitur, pro alio permutare possit, ita tamen, ut, cum ad aetatem ad id aptam pervenerit, ad ordines, quos beneficium huiusmodi requiret, statutis a iure temporibus se promoveri facere teneatur. „Vite ac morum“ „Datum ap. S. Petrum kal. Septembris a. undecimo.“*

Romae, 1400 Septembris 1.

R. Lat. 72 fol. 195[b] — [a]) ‚Pawlowicz'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1644. *Martino Folkeri providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae s. Crucis Opoliensis[a]) Vratislaviensis dioc. ac de perpetua vicaria sine cura in ecclesia s. Crucis Vratislaviensi, quorum fructus 25 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantibus per liberam resignationem Bartholomaei de Barbatis archidiaconi Beneventani, cubicularii apostolici, hodie in manibus papae sponte factam. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum kal. Septembris pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1400 Septembris 1.

R. Lat. 76 fol. 282[b] — [a]) ‚Opulien'. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1645. *Nicolao de Jägerndorf conceditur, ut in assecutione beneficiorum alias ei auctoritate apostolica reservatorum omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1400 Septembris 1.

Bonifacius . . . . Nicolao Martini Rote de Jegordorff clerico Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem, videlicet VI. kal. Decembris pont. n. anno undecimo[1]), tibi de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, ... consuetis clericis secularibus assignari, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum aliquod cum cura aut dignitas vel personatus seu officium, et dignitas ipsa in cathedralibus maior post pontificalem aut in collegiatis ecclesiis principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, eciam si beneficia huiusmodi canonicatus et prebende cathedralium ecclesiarum forent, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura foret seu forent, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excederent, ad Wratislauiensis et Olomucensis episcoporum et . . . prepositorum, decanorum, scolasticorum, cantorum, thesaurariorum, archidiaconorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Wratislauiensis et Olomucensis ecclesiarum collacionem . . . . pertinentibus . . . . , vacantibus . . . . vel vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, teque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus . . . . voluimus anteferri . . . . Cum autem, sicut nuper nobis innotuit, tu dictarum litterarum vigore nondum aliquod beneficium assecutus extiteris et ex eis tam propter multitudinem graciarum diversis personis eciam cum simili clausula et antelacionis prerogativa, quam eciam diversitatem facultatum nonnullis prelatis et presertim . . . . Wenceslao patriarche Anthioceno de conferendo eciam auctoritate nostra variis modis et formis huiusmodi beneficia personis ad hoc per eos eligendis, per nos hactenus concessarum vel imposterum concedendarum, eciam cum huiusmodi clausula et antelacionis prerogativa nequeas infra alicuius brevis temporis spacium aliquem fructiferum reportare effectum, nos . . . . motu proprio . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod tu omnibus . . . ., eciam auctoritate nostra cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa . . . . huiusmodi beneficia expectantibus, et sub cuiuscunque eciam prioris diei data te precedentibus, et eciam illis, quibus forsan est concessum vel imposterum concedi contigerit, quod gracie quecunque aliis personis cum huiusmodi vel alia quavis antelacionis prerogativa eciam sub quacunque verborum forma concesse seu concedende ipsis preiudicare non possint, in assecucione beneficii seu beneficiorum huiusmodi . . . . possis aut debeas anteferri, et quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque facultatis sibi per nos hactenus concesse vel inantea concedende de aliquo beneficio sub dicta tua gracia cadente infra tempus legitimum ad acceptandum tibi in dictis litteris deputandum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui providere, quodque eciam nullus vigore seu pretextu cuiuscunque gracie sibi eciam sub quacunque antelacionis prerogativa . . . . per nos similiter hactenus sub cuiuscunque eciam prioris diei data concesse vel imposterum concedende . . . ., nisi in eisdem facultate et gracia et qualibet ipsarum de presencium toto tenore de verbo ad verbum ac de tuis nomine ac cognomine propriis mencio specialis habeatur et alias expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis et cognominis expressione ex certa

sciencia velle derogare, predictis cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis nobis actu continue et commensaliter famulantibus dumtaxat exceptis, tibi in assecucione beneficii seu beneficiorum huiusmodi . . . . possit aut debeat auteferri seu alias in aliquo tibi aliquatenus preiudicare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Septembris a. undecimo.

R. Lat. 80 fol. 12b — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO JAC. DE TERAMO — [1] 1399 Nov. 26.

1646. *Judicibus motu proprio mandatur, quatenus Maczeo de Lamberto parrochialem ecclesiam in Schlaup conferant.*

Romae, 1400 Septembris 4.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . preposito ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata dilecti filii Mazei de Lamberto rectoris ecclesie s. Cipriani de Forcilla Neapolitane, familiaris nostri, familiaritatis et devocionis obsequia . . . . , nobilitas quoque generis . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Ad audienciam nostram pervenit, quod olim parrochiali ecclesia in Slawp Wratislauiensis diocesis, quam quondam Thomas Geythen . . . . obtinebat, per ipsius Thome obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dictus Mazeus vigore quarundam li terarum nostrarum, per quas unum, duo et tria beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, quod eorum fructus . . . . usque ad summam centum et quinquaginta marcharum argenti puri . . . . ascenderent annuatim, ad quorumcunque seu quarumcunque in civitate et diocesi ac provincia Gneznensibus collacionem . . . . pertinencia, vacancia vel vacatura, expectabat, eandem parrochialem ecclesiam . . . . infra tempus legitimum acceptavit sibique provideri fecit de eadem. Cum autem a nonnullis asseratur acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere, ... nos volentes eidem Mazeo, qui apostolice camere clericus ac fructuum et proventuum eidem camere debitorum in regno Polonie ac provincia predicta collector et, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit . . . . , graciam facere specialem, motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . . , eidem Mazeo . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Septembris a. undecimo.

R. Lat. 78 fol. 264b — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1647. *Agneti de Meziříčí conceditur, ut in monasterio s. Clarae Pragensi cum quatuor mulieribus sine regularis disciplinae observantia propriis sumptibus vivere possit.*

Romae, 1400 Septembris 5.

Bonifacius . . . . dilecte in Chr. filie nobili mulieri Agneti relicte quondam Jaroslai baronis baronie de Mezericz, baronisse Olomucensis diocesis . . . . Exigit tue preclare devocionis integritas, qua nos et Romanam revereris ecclesiam, ut votis tuis, illis presertim, que ad tue salutem anime cedere dinoscuntur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua nobis oblata peticio continebat, quod nuper tu, ut quiecius et liberius devotum posses altissimo reddere famulatum, cenobium seu monasterium monialium s. Clare Pragense sub cura et secundum instituta fratrum ordinis minorum vivencium ea intencione, quod si post experienciam observancie regularis tibi conveniret ordinis disciplina, te vinculo professionis astringeres, ingressa fuisti, et extunc aliquandiu, anno tamen probacionis nondum peracto ac nulla professione tacita vel expressa per te emissa, in ipso cenobio perseverando moram traxisti, prout trahis de presenti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu, que debilis complexionis existis, huiusmodi regularis observancie asperitatem, quam in ipso cenobio sic commorando plenius cognovisti, propter frequentem tui corporis debilitatem commode sufferre nequires, cupiasque in eodem cenobio, ut rerum mundanarum relictis occupacionibus divinis beneplacitis solercius te valeas coaptare, absque huiusmodi professionis emissione remanere ac assidue propriis tamen tuis sumptibus et expensis ac absque gravamine dictarum monialium commorari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi cum quatuor virginibus vel aliis mulieribus secularibus honestis tibi inibi ministrantibus, quas ad id duxeris eligendas, infra septa dicti cenobii residendi et assidue commorandi licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos . . . . , ut tu cum quatuor huiusmodi virginibus vel aliis mulieribus secularibus honestis, per te, ut premittitur, eligendis, infra septa predicta absque eo, quod ad observanciam regularis discipline vinculo professionis te astringas, remanere et assidue commorari, propriis tamen tuis sumptibus et expensis et sine gravamine cenobii et monialium huiusmodi, libere et licite valeas, quibuscunque constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti cenobii, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod nulla eciam in virginitate constituta ultra numerum quadragenarium in dicto cenobio recipi seu admitti nec aliqua infra huiusmodi septa cum predictis monialibus commorari possit, nisi infra annum probacionis velit et valeat ipsarum monialium regulam et ordinem profiteri, contrariis . . . . nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . licenciam elargimur: et insuper, ne possessiones, iura et bona alia ad te legitime pertinencia alienari contingat vel distrahi, ut due honeste persone, sive viri fuerint, sive mulieres, quas ad hoc pro tempore duxeris deputandas, quotiescunque fuerit oportunum et tibi placuerit, predictum cenobium ingredi et ibidem in loco habitacionis tue dumtaxat de gestis et administratis per eas tibi racionem reddere ac alias circa conservacionem possessionum, iurium et bonorum huiusmodi et aliis tibi necessariis tecum tractare et ordinare, tuque pro tuis exequendis et ordinandis negociis tociens, quociens necessitas requirit, ad beneplacitum tuum cenobium prefatum exire et ad illud redire libere et licite possitis . . . . . tibi et eisdem personis auctoritate predicta concedimus per presentes. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. undecimo.

R. Lat. 79 fol. 15b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1648. *Johanni de Moravia collectori camerae apostolicae decima omnium ecclesiasticorum reddituum clero provinciae Pragensis imposita exigenda committitur.*

Romae, 1400 Septembris 13.

Bonifacius . . . . Johanni de Morauia canonico Pragensi, fructuum et proventuum camere apostolice in nonnullis partibus debitorum collectori . . . . Novit ille scrutator almus cordium, quod summis doloribus angimur pungentesque et amari stimuli nos infestant, [res modernis pestilentisque temporibus, que sceleribus, iniquitatibus, pressuris et violenciis data sunt, istuc esse deductas, ut subditos et filios nostros, quos ab oneribus relevare et quorum utilitates et commoda procurare undique possemus pro nostre imbecillitatis modulo precipuis desideriis optaremus, nos oportet de necessitate gravare, verumptamen, dum nobiscum attenta meditacione pensamus, quod, sicut filiis et subditis nostris in omnem casum et eventum tota affeccione consulimus et libenter oportunis auxiliis et favoribus assistimus, ita illi, ut indubie credimus, nobis in nostris necessitatibus non modo libenter, sed eciam ardenter assistent. Cum igitur pro defensione et conservacione iuris nostri et s. Romane ecclesie, a diu perfidorum astuciis invase et oppresse, diversa et magna profluvia et onera expensarum, ad que supportanda camera apostolica iam pridem plurimum exhausta nullatenus sufficere potest, expedierit et expediat nos subire, sitque conveniens et debitum, ut subditi et peculiares filii nostri, pro quorum commoditatibus et consolacionibus sine intermissione invigilamus, nobiscum tribulaciones et onera parciantur,] deliberacione super hiis habita diligenti, decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in civitate, diocesi ac provincia Pragensibus consistencium per tres annos a festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime venturo inchoandos et continue subsequentes in subscriptis terminis et singulis annis dictorum trium annorum ab omnibus et singulis archiepiscopis [et episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ... preterquam a . . . . cardinalibus . . . . necnon a . . . . hospitalium s. Johannis Jerosolimitani et b. Marie Theotonicorum magistris, prioribus, preceptoribus et fratribus . . . ., quos quidem cardinales, magistros, priores, preceptores et fratres a prestacione huiusmodi decime exemptos volumus esse et immunes, solvendam, exigendam et colligendam ac in relevacione dictorum onerum convertendam auctoritate apostolica imposuimus et imponimus per presentes. Volumus autem, quod huiusmodi decima per te, qui in dictis civitate, diocesi ac provincia fructuum et proventuum dicte camere debitorum collector existis,[1]) et quem eiusdem decime collectorem deputavimus et tenore presencium deputamus, et succollectores tuos, clericos dumtaxat, quos ad id deputabis, ab eisdem archiepiscopis, episcopis et prioribus ac personis aliis ecclesiasticis, ... preterquam a predictis cardinalibus, magistris, prioribus, preceptoribus et fratribus . . . . colligatur et eciam exigatur sine iniuria et oppressione quacunque . . . .] Primum enim terminum solucionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti triennii statuimus et esse volumus

festum nativitatis b. Marie virginis proxime futurum, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni festum purificacionis eiusdem b. Marie virginis extunc immediate secuturum, in aliis duobus annis dicti triennii similibus terminis observandum. Denique volumus, quod huiusmodi decime exaccio fiat secundum taxacionem[a]) decime in predictis civitate, diocesi ac provincia factam [vel, ubi nulla huiusmodi taxacio certa fuerit, secundum morem, modum et consuetudinem in solucione huiusmodi decime hactenus observatos et sine aliquo onere illorum, a quibus huiusmodi decima exigatur. Et ne de moneta, in qua fiet et fieri debebit solucio dicte decime, valeat hesitari vitenturque gravamina, que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod per te et succollectores predictos ipsa decima ad monetam in prefatis civitate, diocesi ac provincia communiter currentem levetur et eciam exigatur ac tibi et succollectoribus predictis nomine camere predicte recipientibus persolvatur iuxta constitucionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque circa hoc iuxta constitucionem Viennensis concilii calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel alias occasione dicte exaccionis nullatenus capiantur, recipiantur, distrahantur vel eciam occupentur.] Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus decimam huiusmodi a prefatis archiepiscopis, [episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis de ipsorum ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos infra civitatem, diocesim et provinciam predictas obtinent et per dictum triennium obtinebunt, preterquam a cardinalibus, magistris, prioribus, preceptoribus et fratribus supradictis per te vel alium seu alios exigere et recolligere studeas diligenter. Nos enim tibi prefatos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, prelatos et personas ecclesiasticas supradictas . . . ad solvendum tibi vel a te deputandis dictam decimam in eisdem terminis . . . . auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et eciam per sequestracionem ipsorum reddituum et proventuum . . . . compellendi et invocandi eciam, si opus extiterit, auxilium brachii secularis . . . . concedimus . . . . facultatem . . . . Ad hoc volumus tibique . . . . concedimus, quod tu necnon a te deputandi illos . . . ., quos ex defectu non facte solucionis huiusmodi excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias incurrere contigerit, ab eisdem sentenciis post satisfaccionem debitam, facta prius fide tibi vel huiusmodi deputatis de satisfaccione huiusmodi decime, absolvere et cum eis super irregularitate . . . . dispensare eciam valeatis. Ceterum . . . . volumus, quod quoad illos . . . . . qui per te summarie et de plano reperti fuerint ad solucionem ipsius decime . . . . impotentes, ... prefatas sentencias relaxes . . . . Nostre tamen intencionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solucionem huiusmodi decime supportatis aliis oneribus consuetis non suppetunt, ultra quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigenciam commode possunt, illi vero, qui de ipsa decima nichil solvere poterunt, ... ad solvendum aliquid pretextu imposicionis huiusmodi nullatenus compellantur. Volumus insuper, quod, si forsan termini solucionum decimarum huiusmodi fructuum et proventuum ecclesiasticorum . . . . per nos hactenus impositarum iam forsan sunt elapsi, propterea solucio et exaccio huiusmodi decime per nos . . . . per presentes imposite nullatenus impediantur seu eciam differantur, sed huiusmodi alii termini nondum elapsi per

dictum triennium suspendantur.] Datum Rome ap. S. Petrum idibus Septembris pont. n. a. undecimo.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 183d — a) mencionem cod. Uncinis [ ] inclusa mutatis mutandis e bulla super decima Sardiniae et Corsicae (ibid. fol. 181b) et ex alia super decima Lombardiae (ibid. fol. 52a) suppleta sunt, prout in copia praesentis bullae, ubi illae partes omissae sunt, desideratur. — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA. N. DE ROMA — 1) Cf. 1642.

1649. *Archidiacono Gradicensi mandatur, quatenus, si Mathiam rectorem parrochialis ecclesiae in Netolicz eadem ecclesia se indignum reddidisse invenerit, dicta ecclesia eum privet.*

Romae, 1400 Septembris 27.

Bonifacius . . . . archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi . . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod dilectus filius Mathias rector parrochialis ecclesie in Noceliez Pragensis diocesis dei timore postposito propria temeritate absque aliquo superioris mandato dictam ecclesiam denunciavit sepius fore ecclesiastico suppositam interdicto illudque eadem temeritate servavit usque ad beneplacitum sue voluntatis, quodque cuidam mulieri parrochiane sue de dicta ecclesia parrochiali constitute in extremis requisitus uncionis extreme sacramentum ministrare ac eidem post obitum eiusdem ecclesiasticam sepulturam denegavit, donec et quousque per propinquos dicte mulieris vendito quodam prato magna pecuniarum summa pro huiusmodi sepultura solveretur, necnon in ambone coram populi multitudine parrochianos suos in dicta sua ecclesia publice et falso hereticos temere nominare presumpsit. Nos attendentes, quod veris existentibus supradictis, prefatus Mathias dicta parrochiali ecclesia, quam tunc temporis obtinebat, prout obtinet, se reddidit indignum, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatinus vocatis dicto Mathia et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi ea vel aliqua ex eis vera esse inveneris, eundem Mathiam eadem ecclesia parrochiali auctoritate nostra sentencialiter prives eumque amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Octobris a. undecimo.

R. Lat. 79 fol. 179a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

1650. *Nicolaus Greczer canonicus monasterii b. Mariae Plagensis ord. praemonstratensis Pataviensis dioc., rector parrochialis ecclesiae in Lichtenstadt a) Pragensis dioc., in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Octobris a. undecimo.“*

Romae, 1400 Octobris 10.

R. Vat. 317 fol. 59b — a) ‚Lichtenstat‘ — In fine: (sin.) XX, JA. DE PAPIA; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) PRO A. DE MONTEMONACHO P. DE CASTRO.

1651. *Jacobo Petri de Ponte clerico uxorato Pragensis dioc. conceditur tabellionatus officium, cum ad illud per Antonium episcopum Concordiensem idoneus repertus sit et in eius manibus solitum iuramentum praestiterit. „Ne contractuum“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Octobris a. undecimo.“*

Romae, 1400 Octobris 11.

R. Lat. 75 fol. 291ᵃ. Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1652. *Iudicibus mandatur, quatenus Andreae dicto Nach parrochialem ecclesiam in Solnicz conferant.*

Romae, 1400 Octobris 13.

Bonifacius . . . . episcopo Ferentinatensi et . . . archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Andreas dictus Nach rector parrochialis ecclesie in Skuhrow Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod parrochiali ecclesia in Solnicz dicte diocesis per mortem Jacobi[a]) extra Romanam curiam defuncti vacante, nos de ipsa parrochiali ecclesia . . . ., videlicet VII idus Februarii pont. n. anno undecimo[1]), prefato Andree graciose concessimus provideri, eandem parrochialem ecclesiam disposicioni apostolice specialiter reservando . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dicti Andree peticio continebat, idem Andreas litteras apostolicas super huiusmodi concessionis gracia infra octo menses a die date concessionis huiusmodi computandos iuxta quandam ordinacionem per nos super hoc editam, per quam voluimus et ordinavimus, quod, quicunque impetraret a nobis aliquod beneficium vacans de novo, nisi infra octo menses a die date impetracionis computandos faceret expediri litteras inclusive usque ad registrum, quod gracia huiusmodi sibi facta de dicto beneficio huiusmodi mensibus elapsis esset cassa et irrita[2]), [non fecerit expediri] dictaque concessionis gracia propterea et nonnullas alias causas sit nulla suumque nequeat sortiri effectum . . . . , discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eciam si . . . . super ea inter dictum Andream et . . . . Mauricium rectorem parrochialis ecclesie in Zizelicz dicte diocesis vel aliquos alios lis . . . . in palacio causarum vel extra dictam curiam pendeat indecisa . . . ., eidem Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Andreas, ut asserit, dictam ecclesiam in Skuhrow noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum idem Andreas . . . . ipsam ecclesiam in Solnicz fuerit pacifice assecutus, dictam ecclesiam in Skuhrow omnino dimittere teneatur, et predicta concessionis gracia, si alias non foret nulla, et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Octobris a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 13ᵃ — a) Hic in marg. adscriptum est: „In bulla stabat sine cognomine. N. de B[enevento]". — Supra in marg. sin: BERTOLDUS; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — b) 1400 Februarii 7. c) Ordinationem illam 1397 Maii 24 factam vide ap. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 60

1653. *Cum Johanne Hugeldi de Lindenau*[a]) *altarista altaris ss. Petri et Pauli apostolorum ac s. Catherinae virginis siti in ecclesia s. Jacobi in Nissa*[b]) *Vratislaviensis dioc., in vicesimo secundo suae aetatis anno constituto ac clericali caractere insignito, dispensatur, ut ratione dicti altaris, quod cum cura ac de iure patronatus laicorum existit, ac quorumcunque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum vel sine cura, quae obtinet vel obtinebit, usque ad triennium a data praesentium litterarum ad sacros vel alios minores ordines promoveri minime teneatur.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Novembris a. undecimo.*"

Romae, 1400 Octobris 17.

R. Lat. 79 fol. 81ᵃ — a) ‚Lindenaw'. b) ‚Nisa'. — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1654. *Martinus Johannis dictus Wyld ord. fratrum praedicatorum professor conventus s. Michaelis de Brunna*[a]) *Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*" „*Rome ap. S. Petrum quarta decima kal. Novembris pont. n. a. undecimo.*"

Romae, 1400 Octobris 19.

R. Vat. 317 fol. 63ᵇ a) ‚Bunna'. — In fine: (sin.) XX, JA. DE PAPIA; (med.) A DE PORTUGRUARIO; (dext.) PRO P. DE JUVENACIO, D. DE NEAPOLI.

1655. *Iudicibus mandatur, quatenus Vito de Lomnicz perpetuam vicariam in ecclesia Olomucensi, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Octobris 21.

Bonifacius . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz et Pragensi ac Wratislauiensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Vitus Petri de Lompnitz rector altaris Corporis Christi siti in ecclesia parrochiali oppidi Switauie Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Viti peticio continebat, quod olim perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi, quam . . . . Johannes Valentini de Magetin . . . . tunc temporis obtinebat, et que iuxta ipsius ecclesie statuta et consuetudines curata censetur ac ordines presbyteratus et personalem residenciam requirit, ex eo va-

cante, quod dictus Johannes dudum eandem vicariam tunc vacantem, canonice sibi collatam, assecutus illamque per plura tempora pacifice possidens, se non fecerat infra tempus debitum ad sacerdocium promoveri neque in dicta vicaria personaliter residere curavit, sed ab ipsa vicaria se aliquamdiu absentando, sevis et armorum actibus se immiscuit. . . . . Johannes episcopus Nazeratensis habens ad hoc, ut dicebat, a . . . . Johanne episcopo Olomucensi specialem potestatem, per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, declaravit eundem Johannem Valentini propter hoc ad sui presenciam legitime evocatum predicta vicaria fuisse et esse privatum ipso iure; quodque postmodum . . . . Archlebus antiquior canonicus dicte ecclesie, cum ad antiquiorem canonicum eiusdem ecclesiae pro tempore existentem presentacio persone ydonee ad dictam vicariam, cum vacat, de antiqua . . . . consuetudine pertineat, prefatum Vitum ad ipsam vicariam sic vacantem . . . . capitulo dicte ecclesie infra tempus legitimum presentavit, iidemque capitulum, ad quos institucio vicarii ad eandem vicariam de simili consuetudine pertinet, eundem Vitum in ipsa vicaria auctoritate ordinaria instituerunt, ipseque Vitus eandem vicariam . . . . extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Vitus dubitet premissa ex certis causis [viribus] non subsistere . . . ., nos sentenciam presentacionis, institucionis huiusmodi ac omnia inde secuta ratam habentes et gratam eamque auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmantes ac volentes dicto Vito, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . . vicariam predictam, cuius fructus . . . . decem marcarum argenti puri valorem annuum . . . . non excedunt, . . . eidem Vito . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . ; non obstantibus . . . ., quod idem Vitus, ut asserit, dictum altare, cuius fructus . . . . trium marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris a. undecimo.

R. Lat. 77 fol. 15ª — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1656. *Bartholomaeo de Nova Civitate cantori ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis, familiari apostolico, conceditur, ut beneficia ecclesiastica, quae obtinet aut obtinebit, in manibus cuiuscunque loci ordinarii resignare illaque pro aliis beneficiis ecclesiasticis permutare possit. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Novembris a. undecimo.“*

Romae, 1400 Octobris 23.

R. Lat. 72 fol. 160ª — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1657. *Judicibus mandatur, quatenus Petro de Landskron quondam altare situm in parrochiali ecclesia in Prudnik, auctoritate ordinaria ei collatum, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Octobris 29.

Bonifacius . . . . abbati monasterii b. Marie in Arena prope Wratislauiam et preposito ecclesie Eistetensis[a]) ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus de Lanczkrona clericus Luthomislensis[b]) diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod olim altari Decem milium martirum sito in ecclesia parrochiali Noue Ciuitatis in Prundnik Olomucensis diocesis, quod quondam Petrus Keczer . . . . obtinebat, per ipsius Petri Keczer obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... plebanus parrochialis ecclesie Noue Ciuitatis Prundnik dicte diocesis, verus patronus dicti altaris . . . ., dictum Petrum de Lanczkrona ad dictum altare infra debitum tempus loci ordinario presentavit, idemque Petrus de Lanczkrona dictum altare vigore presentacionis huiusmodi extitit assecutus. Cum autem . . . . idem Petrus de Lanczkrona dubitet presentacionem huiusmodi . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . altare predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, ... eidem Petro de Lanczkrona . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Petrus de Lanczkrona, ut asserit, parrochialem ecclesiam in Holczin Olomucensis diocesis, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere[c]) . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Novembris a. undecimo.

R. Lat. 74 fol. 41 — [a]) Correctum in marg. ex ‚Wratislauien'. cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento". [b]) Correctum in marg. ex ‚Olomucen'. cum simili nota. [c]) ‚quod — obtinere' in marg. alia manu adscriptum adiuncta per tertiam manum nota: „Correctum de mandato die undecimo mensis Novembris anno duodecimo (i. e. 1400 Nov. 11.) quoad correccionem, N. de Benevento". — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1658. *Valthero de Kokeritz archidiacono Lusatiae in ecclesia Misnensi, ex utroque parente de militari genere procreato, reservantur unum, duo vel tria beneficia ecclesiastica cum vel sine cura ad collationem episcopi Misnensis pertinentia, vacantia vel vacatura, in quorum assecutione omnibus, etiam auctoritate apostolica cum quavis antelationis praerogativa huiusmodi beneficia exspectantibus, praeter cardinales et familiares apostolicos anteferri debet. „Nobilitas generis" „Rome ap. S. Petrum nonis Novembris a. undecimo." — Simili modo episcopo Concordiensi et abbati monasterii in Dobrilugk[a]) Misnensis dioc. ac officiali Misnensi*

Romae, 1400 Novembris 5.

R. Lat. 82 fol. 9[v] — [a]) ‚Dorberluk' — Supra in marg. sin.: A DE PORTOGRUARIO TUYCIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1659. *Judicibus mandatur, quatenus Stephano de Stankor canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis, auctoritate ordinaria ei minus legitime collatos, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1400 Novembris 7.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . archidiacono Plznensi in ecclesia Pragensi ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Stephanus de Stanchow canonicus s. Cristo[fo]ri in Tyn Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Stephani peticio continebat, quod olim ipse s. Crucis Wratislauiensis[1]) et . . . magister Nicolaus Gliwicz scriptor et familiaris noster Pragensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos . . . . invicem permutare, in manibus . . . . Boguslai decani Pragensis . . . . extra Romanam curiam sponte et libere resignarunt, idemque Boguslaus, habens ad hoc, ut dicebat, a . . . . archiepiscopo Pragensi specialem potestatem resignacionibus huiusmodi per eum extra eandem curiam vigore potestatis huiusmodi admissis, Pragensis Stephano et s. Crucis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas per huiusmodi resignaciones vacantes Nicolao, qui eciam [litterarum] apostolicarum abbreviator existit, prefatis eiusdem potestatis vigore contulit et de eisdem eciam providit, ipseque Stephanus eosdem canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis pretextu collacionis et provisionis predictarum . . . assecutus, illos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem secundum premissa collacio et provisio prefate de huiusmodi canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis dicto Stephano, ut premittitur, facte viribus non subsistant, ac dicti canonicatus et prebenda ecclesie Pragensis adhuc ut prefertur vacare noscantur, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque scriptorum et familiarium nostrorum tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari, nos volentes eidem Stephano, qui, ut asserit, magister in artibus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis predictos, quorum fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Stephano auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Stephanus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie s. Cristofori predictos necnon parrochialem ecclesiam in Hrob obtinet, et quod dudum ipse ad parrochialem ecclesiam in Netwarzicz dicte diocesis, que de iure patronatus laycorum existit, tunc certo modo vacantem, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, presentatus existit, et super qua, eius possessione per eum non habita, in palacio apostolico noscitur litigare, necnon nos sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . archiepiscopi et . . . . prepositi, decani, custodis, scolastici, cantoris singulorumque canonicorum et personarum dicte ecclesie Pragensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per nostras litteras

graciose mandavimus provideri, et per quas voluimus inter cetera caveri. Stephanum omnibus, etiam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam .... cardinalibus et .... familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus in assecucione beneficii huiusmodi anteferri .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a undecimo.

R. Lat. 82 fol. 65 r. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: N XXIIII DE BENEVENTO. — 1 Ct. m. 1040.

***1660**. Judicibus mandatur, quatenus Adae de Schönwald parrochialem ecclesiam in Medlov, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica confirmant.*

Romae, 1400 Novembris 8.

Bonifacius .... episcopo Concordiensi et .... preposito ecclesie Olomucensis ac officiali Olomucensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Adam de Schonwald rector parrochialis ecclesie in Mosczenicz Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ade peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Medla dicte diocesis, quam quondam Przibico .... obtinebat, per ipsius Przibiconis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Johannes episcopus Olomucensis ecclesiam ipsam sic vacantem eidem Ade auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit. Cum autem .... prefatus Adam collacionem et provisionem predictas dubitet .... viribus non subsistere ...., nos collacionem et provisionem huiusmodi ratas habentes ac gratas ac volentes eidem Ade, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... ecclesiam in Medla predictam, que de iure patronatus nobilis viri Procopii marchionis Morauie existit, et cuius fructus .... viginti quatuor marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Ade auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod prefatus Adam, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam in Mosczenicz, cuius fructus .... decem et octo marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim cum eodem Adam, ut, si sibi presencium vigore predictam parrochialem ecclesiam in Medla conferri et ipsum eam assequi contingat, ut prefertur, [ipsam] recipere et una cum prefata parrochiali ecclesia in Moszenicz usque ad biennium retinere libere et licite valeat ...., auctoritate apostolica .... dispensamus, ita tamen, quod idem Adam infra dictum biennium alteram ex parrochialibus ecclesiis predictis pro aliquo beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili permutare, alioquin elapso huiusmodi biennio predictam parrochialem ecclesiam in Moszenicz .... omnino dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Novembris a. undecimo.[a])

R. Lat. 78 fol. 293b. — a) Correctum ex duodecimo. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO. CANCELLARIA; in fine: N XXVI DE BENEVENTO.

***1661**. Nicolao Fruoff providetur de perpetua vicaria in ecclesia s. Sepulcri dominici Legnicensi.*

Romae, [1399 Nov. 9 — 1400 Nov. 8 (?)].

Bonifacius . . . . Nicolao Fruoff perpetuo v[icario] in ecclesia s. Sepulcri dominici Legenicensi Wratislauiensis [diocesis] . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque scriptorum et abbreviatorum itterarum apostolicarum tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . . , si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum perpetua vicaria in ecclesia s. Sepulcri dominici Legenicensi Wratislauiensis diocesis, quam quondam Petrus Royn . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui, litterarum apostolicarum abbreviator existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacare hnoscatur ad presens . . . . , nos . . . . vicariam predictam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica [tibi] auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . ; non obstantibus . . . . , quod nuper tibi de uno vel duobus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum foret, ad predicti [Vratislaviensis] episcopi et . . . . prepositi, decani, scolastici, cantoris, custodis singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis, necnon abbatis et conventus monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ord. s. Augustini collacionem . . . . pertinente seu pertinentibus, vacante vel vacantibus, vacaturo aut vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, teque omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia cum simili aut alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et [finis deest in registro].

R. Lat. 53 in folio ad codicem haud pertinente, quod foliis 24 et 25 interpositum est et in cuius margine superiore legitur: „De beneficiis vacantibus a[nno u]ndecimo (?).“ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO.

***1662**. Judicibus mandatur, quatenus Conrado de Dašicz parrochialem ecclesiam in Pustiměř conferant.*

Romae, 1400 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Thelesino et . . Olomucensi episcopis ac . . . . abbati monasterii Gradiczensis extra muros Olomucenses . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Conradus olim Nicolai de Dussitz clericus Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . parrochialis ecclesia s. Jacobi in Pusmir dicte diocesis, quam quondam Johannes dictus Salzar . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem

annuum . . . . non excedunt . . . . . [prefato Conrado] . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod nos nuper eidem Conrado de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii in Aula Regia in Antiqua Brunna cisterciensis ord. dicte diocesis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri Volumus autem, quod, quamprimum . . . . dictus Conradus eandem parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, dicta concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 96 fol. 122b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1663. *Parrochialem ecclesiam ss. apostolorum Petri et Pauli in Batelov a) Olomucensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, et in s. Petri ad vincula et cathedrae s. Petri ac conversionis s. Pauli necnon undecim millium virginum festivitatibus) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Novembris 9.

R. Lat. 87 fol. 189a a) Bathelow' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; subscriptio registratoris in fine deest.

1664. *Johanni de Znojma canonico monasterii b. Mariae prope Vratislaviam indulgetur, ut extra dictum monasterium morari possit.*

Romae, 1400 Novembris 11.

Bonifacius . . . . Johanni Johannis de Cznaym canonico monasterii b. Marie virginis in Arena prope Wratislauiam ord. s. Augustini . . . . Religionis zelus . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu in monasterio b. Marie virginis in Arena prope Wratislauiam ord. s. Augustini, cuius canonicus professus existis, ex certis causis et tui animi quiete remanere non possis, ac cupias te ad studium in loco, ubi illud vigeat generale, transferre vel ad servicium alicuius religiosi aut secularis domini ponere, nec queas tui abbatis dicti monasterii ad hoc licenciam obtinere, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, quod hoc facere possis, licenciam concedere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . tibi, ut ad studium transferre ac ad servicium huiusmodi ad quinquennium a data presencium computandum te ponere valeas, tui abbatis dicti monasterii vel alterius cuiuscunque super hoc licencia non requisita nec habita . . . ., auctoritate apostolica . . . . indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 87 fol. 190b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1665. *Incorporatio parrochialium ecclesiarum in Kamenz et Bernsdorf,[a]) quarum fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, monasterio monialium in Marienstern[b]) ord. cisterciensis Misnensis dioc., cuius fructus 100 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, dudum per episcopum Misnensem auctoritate ordinaria facta, auctoritate apostolica confirmatur. „Sedis apostolice" „Rome ap. S. Petrum pridie idus Novembris a. ducdecimo."*

Romae, 1400 Novembris 12.

R. Lat. 87 fol. 189[b]. — [a]) Camentz et Bernstorph. [b]) Mergensteyne. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1666 *Johanni de Moravia collectori Pragensi mandatur, ut Johanni Christofori civi Lucano 500 florenos auri assignet.*

Romae, 1400 Novembris 13.

Bonifacius . . . . Johanni de Morauia fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in provincia Pragensi collectori . . . . Cum dilectus filius Johannes Christofori civis Lucanus, mercator Romanam curiam sequens, apostolice camere pro certis nostris et eiusdem camere necessitatibus quingentos florenos auri de camera mutuaverit, nos volentes eidem Johanni de predictis pecuniis integraliter satisfieri, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus de primis pecuniis eiusdem camere, quas te habere continget, eidem Johanni vel procuratori suo . . . . predictos quingentos florenos integraliter et absque tarditate seu contradiccione quacunque assignes et assignari facias cum effectu. Volumus autem, quod de dicta assignacione per te facienda, ut prefertur, duo confici publica facias instrumenta, quorum uno penes te retento pro cautela tua, reliquum ad dictam cameram quantocius destinare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris pont. n. a. duodecimo.

R. Vat. 317 fol. 87[b]. In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, ERASMUS.

1667. *Nicolao de Olomucz providetur motu proprio de decanatu ecclesiae Cremsirensis.*

Romae, 1400 Novembris 14.

Bonifacius . . . . Nicolao de Olomucz decano ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas . . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum decanatus ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis per liberam resignacionem . . . . Wenceslai patriarche Anthioceni, tunc ipsius ecclesie decani,

per eum de illo . . . . per . . . . Nicolaum Henslini rectorem parrochialis ecclesie in Budecz Pragensis diocesis, procuratorem suum . . . . . in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens . . . . , nos volentes eciam prefato Nicolao, cui eciam alias ad sui instanciam de eodem decanatu, ut premittitur, [per] dicti Wenceslai patriarche resignacionem, ut dicebatur, vacante, licet idem Wenceslaus patriarcha tunc adhuc tempore collacionis eidem facte,[1]) ut a nonnullis asseritur, non resignavit, providimus, ... graciam facere specialem, motu proprio . . . . decanatum predictum, qui curatus et dignitas principalis in dicta ecclesia existit, ad quem quis per eleccionem assumitur, cuiusque fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... sive prefatus Wenceslaus patriarcha antea, ut prefertur, sive hodie resignaverit . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus . . . . Volumus autem, quod, quamprimum . . . . dictum decanatum fueris pacifice assecutus, parrochialem ecclesiam in Krziekow eiusdem Pragensis diocesis, quam obtines, ... omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . archidiacono Plznensi in ecclesia Pragensi ac . . officiali Pragensi . . . .

R Lat. 84 fol. 5ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XIII XVI DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1640.

***1668**. Nicolao Henslini reservatur parrochialis ecclesia in Krakov.*

Romae, 1400 Novembris 14.

Bonifacius . . . . Nicolao Henslini rectori parrochialis ecclesie in Budecz Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Hodie siquidem . . . . Nicolao de Olomucz rectori parrochialis ecclesie in Krziekow Pragensis diocesis de decanatu ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis, qui dignitas est, tunc certo modo vacante et antea disposicioni apostolice reservato, per nostras litteras graciose duximus providendum . . . .[1]) Cum itaque propterea, quamprimum dictus Nicolaus . . . . decanatum ipsum fuerit pacifice assecutus, predicta ecclesia in Krziekow . . . . vacare speretur, nos volentes tibi, cui eciam dudum de dicta ecclesia in Krziekow tunc, ut premittitur, vacatura, licet tunc, ut dicitur, non vacaret nec vacare speraretur, ut prefertur, graciose concessimus provideri, ... graciam facere specialem, ecclesiam in Krziekow predictam, cuius fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . . , quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Budecz dicte Pragensis diocesis obtines, et nos nuper tibi de s. Petri Wissegradensis prope Pragam tunc vacantibus, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, per alias nostras litteras mandavimus, necnon de Olomucensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis tunc vacaturis certis modis concessimus provideri, quam quidem concessionis graciam et quecunque inde secuta

extunc cassamus . . . . Nos enim tecum, ut dictam ecclesiam in Krziekow . . . . recipere et una cum dicta ecclesia in Budecz usque ad unum annum retinere libere et licite valeas . . . ., auctoritate apostolica dispensamus . . . . Volumus autem, quod alteram ex parrochialibus ecclesiis huiusmodi pro aliquo beneficio ecclesiastico cum eorum reliqua compatibili infra huiusmodi annum permutare, alioquin dictam ecclesiam in Budecz . . . . dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . scolastico ecclesie Pragensis ac archidiacono Plznensi in ecclesia Pragensi . . . .

R. Lat. 96 fol. 208b XII. XIIII DE BENEVENTO

Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N.

1669. *Nicolao [de Predhořicz] providetur de parrochiali ecclesia in Vepřek.*

Romae, 1400 Novembris 14.

Bonifacius . . . . Nicolao Przibislai rectori parrochialis ecclesie in Weprzek Pragensis diocesis . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Weprzek Pragensis diocesis per liberam resignacionem . . . . Stephani de Zeleznitz . . . ., per eum de illa . . . . per . . . . Nicolaum Henslini rectorem parrochialis ecclesie in Budetz dicte diocesis, procuratorem ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos volentes tibi, cum quo dudum, ut preposituram ecclesie s. Egidii Pragensis, que curata et dignitas principalis in eadem ecclesia s. Egidii existit, et ad quam quis per eleccionem assumitur, de qua tibi tunc certo modo vacante [per quasdam litteras nostras provideri mandavimus],[1] postquam illam fores earundem litterarum vigore assecutus, pacifice recipere et una cum officio seu beneficio curato aut dignitate vel personatu, quod, quam seu que alias canonice assequereris, quoad viveres, retinere necnon preposituram ac beneficium seu officium aut dignitatem vel personatum huiusmodi simul vel successive tociens, quociens tibi placeret, ... dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et eciam, quoad viveres, retinere libere et licite valeres, duximus auctoritate apostolica dispensandum, quique postmodum archidiaconatum Prerouiensem in ecclesia Olomucensi, de quo eciam tunc certo modo vacante tibi per alias nostras litteras provideri mandavimus graciose, existis pacifice assecutus . . . ., graciam facere specialem, parrochialem ecclesiam in Weprzek predictam, cuius fructus . . . . sedecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . Volumus autem, quod, quamprimum . . . . dictam ecclesiam in Weprzek fueris pacifice assecutus, dictam preposituram . . . . dimittere, alioquin omni iuri tibi in ea . . . .

[1] Cf. nr. 1667.

competenti cedere tenearis. Nos insuper tecum, ut ecclesiam in Weprzek predictam recipere et una cum archidiaconatu predicto, quoad vixeris, retinere necnon ecclesiam in Weprzek et archidiaconatum predictos simul vel successive ac tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et loco .... dimissorum .... alia beneficia .. . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et eciam, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas ...., motu simili .... dispensamus .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. duodecimo.

Simili modo ... episcopo Concordiensi et .. decano Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac .. officiali Pragensi ....

R. Lat. 96 fol. 110a -- Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: N. XXIIII. XXVI DE BENEVENTO. [1] Cf. nr. 1294 et 1295.

1670. *Gratiae apostolicae de canonicatu et praebenda ecclesiae Lubucensis ac de archidiaconatu Lusatiae cum parrochiali ecclesia in Lubin ei annexa aliis quam Johanni Westfal factae revocantur.*

Romae, 1400 Novembris 15.

Bonifacius .... Ad providam circumspeccionem sedis apostolice dinoscitur pertinere inter personas ecclesiasticas litigiorum amputare materiam et amputando dubietates scrupulos summovere. Dudum siquidem canonicatu et prebenda ecclesie Lubucensis et archidiaconatu Lusacie in ecclesia Misnensi cum parrochiali ecclesia de Lubijn dicte Misnensis diocesis eidem archidiaconatui annexa, quos quondam Michael Legenicz de Gobijn .... obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui nuper de Romana curia, ad quam venerat pro quibusdam suis negociis promovendis, recedendo, in balneo castelli Ficarelli, loco utique ultra duas dietas legales ab Urbe, ubi tunc cum curia nostra residebamus, prout residemus, non remoto, diem clausit extremum, vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, nos sub data videlicet XIII. kal. Augusti pont. n. anno undecimo [1]) de dictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et parrochiali ecclesia .... Johanni Westfalli canonico dicte ecclesie Lubucensis et archidiacono Lusacie in eadem ecclesia Mysnensi duximus per nostras litteras graciose providendum,[2]) per quas, si forsan alicui vel aliquibus alii vel aliis persone vel personis de ipsis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia sub dicta data providissemus vel mandavissemus seu concessissemus provideri, nostre intencionis fuisse et esse eidem Johanni dumtaxat et nulli alteri sub eadem data voluisse seu velle de dictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia providere, ipsamque provisionem eidem Johanni per nos tenore dictarum litterarum factam debuisse et debere sortiri effectum, ac provisionem seu provisiones necnon mandatum et concessiones per nos cuicunque seu quibuscunque alii vel aliis persone vel personis de ipsis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia .... factas et facta .... nullius roboris vel momenti fuisse et esse predicta auctoritate decrevimus et eciam declaravimus .... certis eidem Johanni super hoc executoribus deputatis .... Et deinde, sicut nobis innotuit, ... Jacobus archiepis-

copus Tarentinus, unus ex executoribus huiusmodi, solus ad execucionem dictarum litterarum procedens, nonnullos fecit processus in talibus fieri consuetos, diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias et penas in se continentes, quorum necnon dictarum litterarum vigore idem Johannes, dictorum canonicatus et prebende dumtaxat possessione per eum assecuta, ... Waltherum Kokericz, pro canonico ecclesie Mysnensis se gerentem, qui se in dicto archidiaconatu intruserat illumque occupaverat et detinuerat, prout detinebat ac adhuc detinet, indebite occupatum, sub penis et sentencii. antedictis inter cetera moneri fecit, ut infra certum terminum tunc expressum possessionem dicti archidiaconatus libere et expedite eidem Johanni dimitteret; ipseque Waltherus processibus et monicione huiusmodi vilipensis illis infra terminum predictum seu eciam post parere contumaciter recusavit ac a processibus, sentenciis et penis huiusmodi ad sedem, ut dicitur, appellavit eandem. Cum autem a nonnullis asseratur, quod prefatus Waltherus et . . . . magister Nicolaus Kersebeen cappellanus noster, causarum curie camere apostolice generalis auditor, super canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia predictis pretextu diversarum aliarum litterarum a nobis, ut dicitur, per eos et quemlibet eorum obtentarum, per quas videlicet Walthero et Nicolao ac cuilibet ipsorum de canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia predictis . . . . dicimur sub predicta data motu proprio . . . . providisse[3]), et quilibet eorum, videlicet Waltherus et Nicolaus predicti, prefatum Johannem a canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia predictis necnon iure eidem Johanni in eis seu ad eos competenti excludere conentur et vexare, nos itaque habentes, quod Johanni prius quam Walthero et Nicolao prefatis seu alteri eorundem aut cuicunque alteri de canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia predictis . . . . dicta die, videlicet XIII. kal. Augusti pont. n. anno undecimo, providimus seu concessimus aut mandavimus provideri, certam et indubitatam noticiam . . . ., dictas Walthero et Nicolao seu alteri eorundem ut premittitur et quascunque alias litteras, cuicunque alteri de canonicatu et prebenda ac archidiaconatu et ecclesia huiusmodi per nos forsan concessas, ... motu [proprio] . . . . revocamus, cassamus et irritamus ac nullius esse volumus roboris vel momenti, quodque predicte littere per nos dicto Johanni concesse, ut prefertur, ac processus habiti per easdem et omnia inde secuta ab eorum data inclusive valuerint et valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ... motu . . . . simili volumus, decernimus et declaramus, ac si dicte alie littere per nos Walthero et Nicolao prefatis seu alteri eorundem aut quibuscunque aliis concesse, ut prefertur, non fuissent ac alias nullatenus emanassent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 165[b] Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO — [1] 1400 Julii 20. [2]) Cf. nr. 1636. [3] Cf. nr. 1636 et 1637.

1671. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Freistadt parrochialem ecclesiam in Ilavia conferant.*

Romae, 1400 Novembris 19.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . decano ecclesie s. Nicolai in Othmuchow Wratislauiensis diocesis ac . . officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Ottonis de Frienstat presbyter Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia s. Andree de Ilauia dicte diocesis per liberam resignacionem . . . . Henrici ultimi ipsius ecclesie rectoris, de illa in manibus . . . . episcopi Wratislauiensis extra Romanam curiam sponte factam et per eundem episcopum extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissam, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod nos dudum eidem Nicolao de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii in Sagano ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis in civitate Wratislauiensi vel dicta diocesi [pertinente], vacante vel vacaturo, in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Nicolaus . . . . predictam parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Decembris a. duodecimo.

R. Lat. 96 fol. 178ᵃ — In fine: N XX DE BENEVENTO

1672. *Capellam hospitalis s. Elizabeth in Krummau*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, ac in festivitate s Elizabeth et qualibet die parasceves) visitantibus quinque annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris in perpetuum duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Decembris a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Novembris 19.

R. Lat. 90 fol. 142ᵇ — a) „Krumpnaw“. - Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1673. *Capellam ss. Felicis et Adaucti sitam in parrochiali ecclesia s. Catherinae in Horicz*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, ac in patronorum praedictorum et b. Mathaei apostoli festivitatibus ac qualibet die parasceves) visitantibus quinque annorum et quinque quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris in perpetuum valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Decembris a. duodecimo“*

Romae, 1400 Novembris 19.

R. Lat. 90 fol. 143ª – c) Horicz. – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1674. *Judicibus mandatur, quatenus sententias et censuras, contra omnes, qui promissiones Henrici de Liechtenstein et Petrissae eius uxoris monasterio Cunicensi factas violaverint, per quondam Johannem episcopum Olomucensem latas, observari faciant.*

Romae, 1400 Novembris 20.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi et . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis ac . . decano ecclesie Pragensis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . prepositi et . . . . priorisse et conventus monasterii Cunicensis per prepositum et priorissam soliti gubernari ordinis premonstratensis Olomucensis diocesis peticio continebat, quod dudum parrochiali ecclesia in Niklspurg dicte diocesis, que per canonicum dicti ordinis regi consuevit, et quam prefati prepositus, priorissa et conventus a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tenuerunt,[a]) prout tenent, in usus proprios, vacante, quondam Henricus de Lichtenstein dominus loci de Nykilspurg, in quo dicta ecclesia situata est, et quondam Petrissa eius uxor, credentes forsan seu pretendentes ius patronatus ipsius ecclesie ad se racione dominii dicti loci spectare, ac satagentes aliquem ad ipsam ecclesiam ad eorum instanciam institui, prefatos prepositum, priorissam et conventum ac canonicum per eos ad dictam ecclesiam presentatum et institutum in eadem violenter ab ipsa ecclesia expulerunt et eciam eiecerunt, bona eiusdem ecclesie tam mobilia quam immobilia sibi usurpando,[b]) et cum propterea ad instanciam ipsorum prepositi, priorisse et conventus contra eosdem Henricum et Petrissam fuisset via iuris processum, et successive in ipsos Henricum et Petrissam diverse excommunicacionis sentencie promulgate extitissent, idem Henricus et Petrissa eo magis proteruiendo ipsis preposito, priorisse et conventui multiplicia alia damna, iniurias, molestias et violencias irrogarunt; quodque postmodum predicti Henricus et Petrissa per eos recepto dictam ecclesiam non ad se, sed ad ipsos prepositum, priorissam et conventum de iure pertinere ac de premissis dolentes, prefatam ecclesiam et eius possessionem pacificam eisdem preposito, priorisse et conventui libere dimiserunt ipsosque restituerunt ad eandem. Et nichilominus, ne successores aut heredes dictorum Henrici et Petrisse de cetero racione dicte ecclesie contra prepositum, priorissam et conventum ac monasterium predictos aliquam haberent occasionem malignandi, iidem Henricus et Petrissa ius patronatus, si quod eis in ipsa ecclesia seu ad eam competeret, in dictum monasterium ex superhabundanti et ad maiorem cautelam duxerunt transferendum, promittentes pro se ac suis successoribus et heredibus bona fide et sub censura ecclesiastica, quam bone memorie Johannes episcopus Olomucensis ad hec duceret adiciendam, quod prepositum, priorissam, conventum et monasterium predictos in iure ac possessione dicte ecclesie necnon in diuiciis et aliis bonis ad eandem ecclesiam de iure vel consuetudine pertinentibus de cetero nullatenus impedire [vellent] nec permittere per alios, quantum in eis est, quovis modo perturbari. Et insuper predicti[c]) Henricus et Petrissa, advertentes se[d]) eisdem preposito,

priorisse ac conventui tam pro eo, quod [1] ipsi quandam villam tunc expressam ad eos et dictum monasterium [pertinentem] dominio dictorum Henrici et Petrisse ad complacendum eis usque ad vitam eorum sub certa forma tunc expressa pro certa pecuniarum summa eciam tunc expressa libere vendiderant, quam eciam pro eo quod ipsi omnes occasiones, quas contra eosdem Henricum et Petrissam racione fructuum per eos ex dicta ecclesia perceptorum et aliorum dampnorum et iniuriarum eis in villis et aliis bonis dicti monasterii per dictos Henricum et Petrissam illatorum habuerant, sponte et libere dimiserant et donaverant, ac eciam aliis de causis fore multipliciter obligatos, nec volentes beneficiorum acceptorum immemores reputari, promiserunt bona fide pro se et successoribus ac heredibus suis similiter bona fide et eciam sub censura ecclesiastica, quam similiter ad hec dictus episcopus duceret adiciendam, quod ipsos prepositum, priorissam ac conventum ad vendendum aliqua bona ad dictum monasterium [pertinencia], nisi hoc voluntate libera duxerint faciendum, nullo unquam tempore compellere niterentur, homines quoque dicti monasterii iuxta privilegia regum [2]) et principum ipsis concessa ab arrestacionibus et aliis occupacionibus et iudiciis villarum et terrarum ipsorum in recompensam dictorum dampnorum et iniuriarum liberos fecerunt et penitus liberarunt, et quod eciam si aliquos subditos [3]) aut homines ipsius monasterii ad iudicium eorundem Henrici et Petrisse eciam ex consensu ipsorum prepositi priorisse et conventus trahi seu convenire et ad penas seu emendas pro quocunque excessu sive casu condempnari contingeret, extunc ipsos condempnatos cum penis et emendis solvendis ad ipsos prepositum, priorissam et conventum remitterent [4]) per se aut iudices suos de huiusmodi penis aut emendis nil repetendo, quod eciam ipsos prepositum, priorissam et conventum in decimis et aliis bonis ad eos et predictum monasterium seu ad parrochiales ecclesias eiusdem monasterii pertinentibus et presertim dominio eorundem Henrici et Petrisse adiacentibus numquam per se aut alios impedirent aut perturbarent, sed eorum facta de cetero in omnibus promoverent, eisdem preposito, priorisse et conventui nichilominus pro se ac successoribus et heredibus suis specialiter promittentes et imperpetuum concedentes eisdem, quod subditi et familiares ipsorum Henrici et Petrisse numquam annonas de campo aut vinum de vineis, ubi decima ad dictum monasterium spectat ad presens vel infuturum spectabit, deducent, nec ipsi Henricus et Petrissa seu eorum successores et heredes deduci permittent, nis, datis decimis primitus et deductis, certis aliis cauccionibus et obligacionibus, excepcionibus et renunciacionibus ad hec adiectis, quondam Hartnido ipsorum Henrici et Petrisse nato ad premissa omnia suum liberum et voluntarium addente consensum, prout hec et alia in patentibus litteris ipsorum Henrici et Petrisse sigillis munitis dicuntur plenius contineri. Postmodum vero, sicut eadem peticio subiungebat, predictus episcopus ad hoc similiter requisitus et attendens, quod prefati prepositus, priorissa et conventus premissa in dictis litteris contenta pro plenaria satisfaccione tam pro perceptis fructibus quam pro iniuriis et dampnis supradictis benivole acceptarunt, [5]) easdem litteras et in eis contenta auctoritate ordinaria ratificans et confirmans ac ad instrumentum publicum suo sigillo sigillatum rediqi mandans, predictas excommunicacionum et alias sentencias in dictos Henricum et Petrissam tam per eum, quam alios premissorum occasione latas auctoritate ordinaria et eciam alias ad hoc sufultus relaxavit, ac

pena posita et adiecta, quod, si de cetero contra premissa in dictis litteris contenta per dictum Henricum aut heredes vel successores suos eisdem preposito, priorisse et conventui aliquid gravaminis aut iniurie notabiliter illatum foret,[l]) extunc idem Henricus aut heredes seu successores eius ac omnes alii et singuli, qui ad hoc darent consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, excommunicacionis sentenciam, quam extunc protulit in eosdem, incurrerent ipso facto, quam si per mensem sustinerent animo indurato, omnes ecclesie dicte diocesis in dominio dicti Henrici aut heredum et successorum suorum existentes ecclesiastico subiacerent interdicto, quod interdictum similiter protulit in easdem, qui vero huiusmodi interdictum servari non curarent, lapso mense immediate sequente eciam excommunicacionis sentenciam, quam in eos extunc similiter duxit ferendam, incurrerent eo ipso, ita quod ad simplicem requisicionem seu querelam dictorum prepositi, priorisse et conventus vel rectoris dicte ecclesie in Nikelsburg pro tempore existentis per eum aut successores suos, episcopos[m]) Olomucenses pro tempore existentes[n]), huiusmodi sentencie publicarentur et execucioni demandarentur et eciam preciperentur per alios publicari et ad earum aggravacionem absque relaxacione quacunque tam diu procedi, donec prefatis preposito, priorisse et conventui de huiusmodi gravaminibus, iniuriis et damnis cum omnibus oneribus et expensis propterea factis foret plenarie satisfactum, prout hec et alia in huiusmodi instrumento publico dicuntur eciam plenius contineri. [o]) Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, heredes et successores prefati Henrici de dominio et eciam de diocesi predictis ad evitandas dictas sentencias sepius[p]) se transferant, preposito, priorisse et conventui ac monasterio predictis diversa gravamina, damna, iniurias et iacturas irrogando, quare pro parte dictorum prepositi, priorisse et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut predictas sentencias et censuras eciam extra huiusmodi dominium et per totam diocesim predictam necnon per civitatem et diocesim Pragenses et alias quascunque civitates [et] dioceses[p]) faceremus [et] mandaremus inviolabiliter observari. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, predictas penas et censuras ac omnia alia in prefatis tam episcopi quam Henrici et Petrisse predictorum litteris contenta presentibus pro expressis necnon rata et grata habentes eaque auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictas penas et censuras ac omnia et singula alia in ipsorum episcopi necnon Henrici et Petrisse litteris contenta faciatis iuxta litterarum ipsarum formam et tenorem tam in Olomucensi, Pragensi et Patauiensi quam in aliis quibuscunque[q]) civitatibus et diocesibus, ubi expedierit, ad solam requisicionem prepositi predicti inviolabiliter observari, et ad easdem penas et censuras procedatis et per alios procedi faciatis, neque relaxetis easdem penas et censuras, si quas incurrerint, aut relaxari permittatis, donec predictis preposito, priorisse et conventui de omnibus damnis, iniuriis et expensis eis per huiusmodi successores et heredes illatis fuerit plenarie satisfactum; contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita[r]) compescendo, et eciam non obstante, si eisdem successoribus et heredibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi

mencionem. Datum Rome apud S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. duodecimo.

R. Lat. 85 fol. 242b. — a) ‚tenuerint' cod. b) ‚usurpanda' cod. c) ‚predictus' cod. d) ‚sr' cod. e) ‚quam' cod. f) ‚legum' cod. g) ‚aliqui subditi' cod. h) ‚remitteret' cod. j) ‚attemptarunt' cod. l) ‚forent' cod. m) ‚episcopo' cod. n) ‚existente' cod. o) ‚sepe sepius' cod. p) ‚diocesis' cod. q) ‚cuiuscunque' cod. r) ‚postposito' cod. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — 1) Litterae data carentes Johannis VI episcopi Olomucensis (1302—1311), quibus totus tenor litterarum Henrici et Petrissae de Liechtenstein ddto. 1310 April. 18 insertus est, in Cod. diplom. Morav. VI p. 27 nr. 36 editae sunt.

1675. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Petrum de Hotzenplotz surroget ad omne ius, quod Dominico Advocati tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Pitschen competebat.*

Romae, 1400 Novembris 20.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . Petrus Johannis de Hoczinplocz canonicus ecclesie s. Marie Maioris Glogouie Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Dudum siquidem pro parte dicti Petri nobis exposito, quod orta dudum inter ipsum et quondam Dominicum Aduocati presbyterum super parrochiali ecclesia in Pytschyn dicte diocesis, quam, tunc per obitum quondam Hermanni Soltz . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantem, Petrus se auctoritate quarundam litterarum nostrarum . . . . infra tempus legitimum acceptasse, et de illa sibi provisum fuisse canonice, dictumque Dominicum se gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et fecisse, quominus idem Petrus dictam parrochialem ecclesiam posset pacifice possidere, Dominicus vero predicti eandem parrochialem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Petrus adhuc asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam . . . . magistro Henrico Grymhard de Westerholt capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commisimus . . . . Qui quidem Henricus auditor in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera dictam parrochialem ecclesiam Dominico adiudicavit et super ea Petro prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Petri fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . magistro Brande de Castellione capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commisimus . . . . Et deinde, postquam predicta sentencia per diffinitivam sentenciam prefati Brande auditoris in huiusmodi causa procedentis confirmata fuisset, pro parte ipsius Petri ab eadem fuit ad sedem appellatum antedictam; nosque causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . Bertrando episcopo Eugubino, tunc capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . ., commisimus . . . . Qui quidem Bertrandus episcopus, ... predictam sentenciam dicti Brande auditoris per suam, ut dicebat, diffinitivam sentenciam confirmavit. Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, tu dictum Petrum cum

iuribus suis ad predictam curiam venientem ex speciali commissione nostra tibi facta ad appellandum a predicta diffinitiva sentencia dicti Bertrandi episcopi .... restituisti et admisisti. Quique Petrus postquam ab huiusmodi sentencia appellasset, nos causam appellacionis huiusmodi .... magistro Johanni Preen capellano nostro et causarum dicti palacii auditori primo, et deinde, cum dictus Johannes se propter certas causas a dicta curia absentasset, tibi omnes et singulas causas, que coram dicto Johanne auditore pendebant, ... commisimus ...., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic coram te indecisa pendente, prefatus Dominicus in possessione dicte parrochialis ecclesie existens, extra dictam curiam extitit vita functus, nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus eundem Petrum .... in omni iure et ad omne ius, quod prefato Dominico in ipsa parrochiali ecclesia, cuius fructus .... sexdecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ....; et nichilominus si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Dominici et Petri in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam ius competere, eandem parrochialem ecclesiam .... eidem Petro auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod idem Petrus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Maioris Glogouie predictos ac altare s. Gothardi situm in capella b. Marie virginis annexa ecclesie Wratislauiensi, que sine cura est, obtinet, et quod nos dudum sibi de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac perpetua vicaria in ecclesia Wratislauiensi, tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus .... viginti octo marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, concessimus necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis ac .... prepositi, decani, archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis predicte .... pertinente, vacante vel vacaturo, eciam si canonicatus et prebenda in eadem ecclesia foret, per alias diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri ....[1]) Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. duodecimo.

R. Lat. 95 fol. 40a — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXV DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1627.

1676. *Simon Nicolai de Bruma ord. fratrum heremitarum s. Augustini professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris pont. a. duodecimo."*

Romae, 1400 Novembris 20.

R. Vat. 317 fol. 86a — In fine: (sin.) XX. JA. DE PAPIA: (med.) A. DE PORTUGRUARIO: (dext.) PRO JA. DE PAPIA A. DE SCOERLE.

1677. *Petrus Ulrici de Wolframitz*[a]) *ord. fratrum heremitarum s. Augustini professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris pont. n. a. duodecimo.*“

Romae, 1400 Novembris 22.

R. Vat. 317 fol. 86 — [a]. Boltramitz. — In fine sin. XX, JA. DE PAPIA: dext. A. DE PORTUGRUARIO, A. DE SCOERLE.

1678. *Collectori Pragensi mandatur, ut Marino de S. Victoria 600 florenos auri assignet.*

Romae, 1400 Novembris 26.

Bonifacius . . . . collectori fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in civitate, diocesi ac provincia Pragensibus . . . . Cum dilectus filius Marinus Bon Johannis de S. Victoria laicus Firmane diocesis a camera apostolica teneatur recipere florenos auri de camera sexcentos, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus de pecuniis eiusdem camere, quas ad presens habes, vel de primis, quas te habere contigerit, eidem Marino vel procuratori suo . . . . predictos sexcentos florenos integraliter et absque tarditate vel contradictione quacunque assignes et assignari facias cum effectu, non obstantibus quibuscunque mandatis seu intersignis per nos seu gentes camere predicte [forsan in contrarium tibi factis seu faciendis . . . .] Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. duodecimo.

R. Vat. 317 fol. 318[b] — In fine, ad sin. A. DE PORTUGRUARIO: (ad dext.) DE CURIA, ERASMUS.

1679. *Pataviensis et Vratislaviensis episcopi et abbas monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. conservatores Bernhardi abbatis et conventus monasterii Zabrdovicensis*[a]) *ord. praemonstratensis Olomucensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. duodecimo.*“

Romae, 1400 Novembris 26.

R. Lat. 92 fol. 268[c] — [a]. Zaberdouien. — Supra in marg. sin. JO. DE BONONIA in fine: DF MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1680. *Fundatio capellae Omnipotentis dei et b. Mariae virginis in Bischofswerda*[a]) *Misnensis dioc. et erectio altaris ss. Simonis et Judae apostolorum, Georgii martiris et Barbarae virginis in eadem capella, factae per Nicolaum Platzbecker de Bischofswerda civem Budissinensem eiusque uxorem cum reservatione iuris praesentandi rectores dictorum capellae et altaris, confirmantur; quam*

capellam idem Nicolaus et uxor eius inter cetera decem sexagenis grossorum Pragensis monetae census annui dotaverunt, videlicet in Budissin in praetorio sex sexagenis et in Bischofswerda quatuor sexagenis; praesentibus autem litteris tenores litterarum per episcopos Misnenses Nicolaum 1388 Aprilis 14 et Johannem 1395 Januarii 25 super eadem re editarum de verbo ad verbum insertae sunt. „Jis, que pro divini“ „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. duodecimo.“

Romae, 1400 Decembris 1.

R. Lat. 90 fol. 103b — a) ‚Bischofswerde, Bisschofswerde'. – Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA. in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1681. *Praeposito ecclesiae Plocensis mandatur, quatenus Mathiae fratri professo monasterii s. Adalberti in castro Plocensi ord. s. Benedicti parrochialem ecclesiam in Przybyszew*[a]) *Poznaniensis dioc., cuius fructus quatuor marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, et de qua, per obitum Mathiae de Vratislavia vacante, per Johannem abbatem et conventum monasterii supradicti ei fuit provisum, auctoritate apostolica conferat. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Decembris 5.

R. Lat. 85 fol. 262a — a) ‚Przibissewo' Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO. in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

1682. *Omnibus, qui capellam hospitalis ss. Laurentii martiris et Nicolai confessoris sitam extra muros oppidi Freistadt*[a]) *Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (prout in nro. 36[6] sunt nominati) visitaverint et pauperibus ac infirmis ad praefatum hospitale confluentibus grata caritatis subsidia erogaverint, septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Decembris a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Decembris 8.

R. Lat. 90 fol. 161b — a) ‚Freystad'. – Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1683. *Stephanus Henzlini de Stěžov*[a]) *canonicus regularis monasterii Strahoviensis ord. praemonstratensis Pragensis in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Decembris pont. n. a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Decembris 8.

R. Vat. 317 fol. 97a — a) ‚Stozow'. – In fine: (sin.) XX. JA. DE PAPIA; (dext.) A. DE PORTUGRUARIO, PRO JA. DE PAPIA JO. DE PEMPELUORDE.

1684. *Nicolaus de Pilzna*[a]) *ordinis fratrum praedicatorum professor in sacerdotio constitutus ecclesiae Megarensi, per obitum Johannis episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, vacanti et antea dispositioni apostolicae specialiter reservatae, in episcopum praeficitur, eique mandatur, ut, quamprimum praesentes litteras habuerit expeditas, ad ecclesiam praefatam accedat et resideat personaliter in eadem, et ut extra civitatem et diocesim Megarenses pontificalia officia nequeat exercere. „Apostolatus officium" „Rome ap. S. Petrum quarto idus Decembris a. duodecimo."*

Romae, 1400 Decembris 10.

R. Lat. 96 fol. 223a. — a) ‚Pilsna'. — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1685. *Parrochialem ecclesiam s. Jacobi in Prusnicz Vratislaviensis dioc., ad quam in festivitatibus s. crucis copiosa confluit populi multitudo, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, ac in dictis festivitatibus s. crucis) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris perpetuis futuris temporibus duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. duodecimo."*

Romae, 1400 Decembris 13.

R. Lat. 90 fol. 206b. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1686. *Decanis Vratislaviensis et Budissinensis Misnensis dioc. ecclesiarum ac archidiacono Lubucensi ad supplicationem Adelheidis de Lossow abbatissae et conventus monasterii monialium extra muros oppidi Gubin ord. cisterciensis Misnensis dioc. mandatur, quatenus privilegia, immunitates et indulta dicti monasterii auctoritate apostolica observari faciant. „Justis et honestis" „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. duodecimo."*

Romae, 1400 Decembris 13.

R. Lat. 85 fol. 258b. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1687. *Ad petitionem Adelheidis de Lossow abbatissae et conventus monasterii monialium extra muros oppidi Gubin cisterciensis ord. Misnensis dioc. sub excommunicationis poena inhibetur, ne ulla persona ecclesiastica vel saecularis dicti monasterii bona invadere vel distrahere vel monasterium ipsum quibuscunque exactionibus, talliis seu precariis, quas quidem caritativa subsidia nominant, vel hospitalitatibus nimiis gravare vel in monasterio ipso et infra saepta eius iniuriam seu violentiam quamcunque cum vel sine armis committere personasque ipsius monasterii vel alias quascunque forte ad ipsum monasterium pro tempore confu-*

gientes in dicto monasterio vel infra saepta eius invadere, capere vel inde extrahere audeat. „In eminenti apostolice" „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. duodecimo."

Romae, 1400 Decembris 13.

R. Lat. 85 fol. 259c – Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1688. *Uniones parrochialium ecclesiarum in Gubin, Sommerfeld[a]) et Niemitzsch[b]), quarum fructus 70 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, monasterio monialium cisterciensis ord. extra muros oppidi Gubin Misnensis dioc. per praepositum solito gubernari, cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, auctoritate ordinaria per episcopos Misnenses factae, ad petitionem Adelheidis de Lossow abbatissae et conventus dicti monasterii auctoritate apostolica confirmantur. „Sedis apostolice circumspecta" „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. duodecimo."*

Romae, 1400 Decembris 13.

R. Lat. 85 fol. 259b – a) Sommeruelt' b) Nimicz'. – Supra in marg. sin.: JO DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1689. *Henrico Baltz de Luczan providetur de canonicatu et minore praebenda ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc., quorum fructus 2 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantibus per obitum Henrici Huter de Dobelin apud sedem apostolicam defuncti. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Januarii a. duodecimo." — Simili modo episcopo Vratislaviensi et decano s. Severini Coloniensis ac scholastico Vyšehradensis prope Pragam ecclesiarum.*

Romae, 1400 Decembris 14.

R. Lat. 84 fol. 73a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

1690. *Institutio Elizabeth in priorissam monasterii s. Annae in Ujezd Pragensis confirmatur, eique conceditur, ut ad tempus vitae suae a dicti monasterii regimine amoveri nequeat, et ut bis in anno monasterium ipsum eius bonorum ordinandorum causa exire possit.*

Romae, 1400 Decembris 16.

Bonifacius . . . . Elizabeth priorisse et conventui monasterii s. Anne in Vgezd sub monte Petrino Pragensis per priorissam soliti gubernari sub cura et secundum instituta fratrum ord. predicatorum viventibus . . . . Etsi ex debito sol-

licitudinis pastoralis quibuslibet personis sub religionis habitu domino famulantibus nos decet esse favorabiles et benignos, illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, quibus propter feminei sexus fragilitatem proprie defensionis potencia minus suffragatur. Sane peticio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod monasterium vestrum, in quo sub cura et secundum instituta fratrum ordinis predicatorum vitam ducitis regularem iuxta instituta regularia ipsius monasterii, quod per priorissam ad nutum magistri provincialis et vicariorum dicti ordinis ponendam et amovendam gubernari consuevit, quodque monasterium ipsum propter crebras priorissarum ipsius monasterii mutaciones, que ut plurimum singulis annis per dictos magistrum, vicarios et fratres iuxta eorum voluntatis arbitrium fieri solent, gravia in spiritualibus et temporalibus sustinuit, prout sustinet, detrimenta, ipsiusque possessiones et bona ob hoc dissipata et plurimque diminuta existant ac in dies dissipantur pariter et diminuuntur, ita quod fructus, redditus et proventus ad mensam priorisse ipsius monasterii pertinentes ultra sex florenos auri secundum communem extimacionem non valeant annuatim. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vestris et eiusdem monasterii oportunitatibus in hiis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . eleccionem et confirmacionem seu institucionem de persona tua, filia priorissa, factas et quecunque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tibi nichilominus auctoritate predicta concedentes, quod a regimine et administracione bonorum et iurium ac priorissatus officio dicti monasterii per magistrum et provincialem vel vicarios predictos aut quoscunque alios quavis eciam auctoritate, quamdiu vitam duxeris in humanis et eidem monasterio preesse volueris nequeas amoveri; et insuper ut possessiones et bona dicti monasterii per tue providencie sollicitudinem utilius gubernentur et preserventur a noxiis, tibi et tribus monialibus dicti monasterii, quas duxeris assumendas, quolibet anno bina vice tempore messis seu recollecte, magistri et fratrum predictorum seu cuiuscunque alterius licencia super hoc non petita seu obtenta, ad tempus, de quo tibi videbitur, monasterium ipsum exeundi ac de possessionibus et bonis supradictis pro commodo et utilitate eiusdem monasterii disponendi et ordinandi plenam et liberam eadem auctoritate tenore presencium licenciam elargimur, constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis . . . . non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 85 fol. 95r — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

***1691**. Auditori apostolico mandatur, quatenus Hodislaum Andreae surroget ad omne ius, quod Georgio de Žaboklik tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Podbořan competebat.*

Romae, 1400 Decembris 16.

Bonifacius . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Hodislaus Andree presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Hodislai peticio continebat, quod orta dudum inter quondam Georgium Laurencii de Zaberklik presbyterum et Mathiam dictum Mathei, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia s. Petri de Podborizan dicte diocesis, quam, tunc per obitum quondam Hanconis ultimi eiusdem ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Georgius vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex earum forma se posse dicebat, infra tempus debitum acceptasse et de ea sibi provisum fuisse ac dictam ecclesiam assecutum extitisse et eam aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere, dictumque Mathiam gracie, acceptacioni, provisioni et assecucioni huiusmodi se opposuisse ipsumque Georgium dicta ecclesia spoliasse et eam occupasse et occupare, Mathias vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout idem Mathias asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad dictam curiam legitime introducta: nos causam ipsam ad instanciam dicti Georgii tibi . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . . prefatus Georgius lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente in eadem curia extitit vita functus, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus eundem Hodislaum . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Georgio tempore sui obitus in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; et nichilominus si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Georgii et Mathie in dicta ecclesia seu ad eam ius habere, tu ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Hodislao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Januarii a. duodecimo

R. Lat. 97 fol. 25[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1692. *Monasterio s. Vincentii extra muros Vratislavienses praemonstratensis ord., cuius fructus 500 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur in perpetuum parrochialis ecclesia in Bytom*[a]*) Cracoviensis dioc. et capella s. Benedicti et Hedvigis sita in castro oppidi Legnicensis Vratislaviensis dioc., quae de iure patronatus abbatis et conventus eiusdem monasterii sunt, et quarum fructus 22 marcarum argenti valorem annuum non excedunt; quae ecclesia et capella per canonicos dicti monasterii ad nutum abbatis ponendos et amovendos gubernari debent. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Januarii a. duodecimo.“*

Romae, 1400 Decembris 16.

R. Lat. 85 fol. 135[b] — [a] ,Bithom. Bythom' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — In marg. sin. etiam adscriptum est: „Cassetur alia, si reperiatur, quod per istam corrigitur. Jac. [de Teramo]." Re vera alia copia in eodem codice fol. 227[a] invenitur.

— — —

1693. *Ad perpetuam rei memoriam. Praeposito et conventui monasterii s. Georgii Olsinecensis ord. s. Augustini Wratislauiensis dioc. licentiam dargitur, ut ipsi in eadem ecclesia per se ipsos vel per alios sacerdotes possint missas et alia divina officia celebrare etc., pauperibus et infirmis in dicta ecclesia pro tempore degentibus ecclesiastica sacramenta ministrare, corpora ecclesiasticae sepulturae tradere etc., diocesani loci vel alterius cuiuscunque licentia minime requisita etc., salvo iure census solvendi rectori parrochialis ecclesiae s. Johannis Evangelistae in Olsna dictae dioc. etc. Datum Romae ap. S. Petrum XV. calendas Januarii a. XII.*[c]

Romae, 1400 Decembris 18.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro tertio de diversis formis a. XII fol. 96[a]" in codice Vatic. 6952 fol. 291[a] continetur.

1694. *Cum Mathia de Glogovia dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1400 Decembris 18.

Bonifacius . . . . Mathie Frankonis de Glogouia Maiori scolari Wratislauiensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tu de voluntate et consensu patris et parentum tuorum cum pluribus tuis in hac parte complicibus ad capiendum sex homines ivisti eosque capi procurasti et eodem die de sero patri tuo dixisti, ut ad consilium transiret, quando dicti homines deberent sentenciari, quodque postmodum dicti homines ultimo supplicio traditi decapitati fuerunt, tuque eciam semel tantum certas litteras scripsisti, ut certi inimici domini tui tunc temporis, qui ipsum certis bonis et rebus spoliarunt ac sibi dampna diversa intulerunt, morti traderentur, dubitas tamen, an propter litteras huiusmodi aliqui interfecti fuerunt. Quare pro parte tua, qui, ut asseris, milicie asscribi desideras clericali, nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo super premissis providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . tecum, ut ad omnes minores ordines promoveri et quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica sine cura . . . . recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., tenore presencium dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 87 fol. 34[a]. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLITIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1695. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Nicolao de Reusch neque Martino de Trešt in parrochiali ecclesia in Babicz ius competere, ecclesiam ipsam dicto Nicolao conferat.*

Romae, 1400 Decembris 22.

Bonifacius . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus de Reusch presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Martinum de Trest, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Babicz dicte diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Wenceslai ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Nicolaus se per veros patronos dicte ecclesie . . . . Johanni episcopo Olomucensi presentatum fuisse canonice, dictamque ecclesiam huiusmodi presentacionis vigore sibi deberi, dictumque Martinum presentacioni predicte contra iusticiam se opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus prefata presentacio suum debitum sortiri valeat et sorciatur effectum, Martinus vero predicti ecclesiam ipsam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Nicolai ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi ad instanciam dicti Nicolai . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Nicolai et Martini in dicta ecclesia seu ad eam ius competere, ... nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Nicolai et Martini in dicta ecclesia seu ad eam ius habere, ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 95 fol. 59b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1696. *Johanni de Kbel conceditur, ut de bonis suis libere testari possit.*

Romae, 1400 Decembris 26.

Bonifacius . . . . Johanni de Kbel dicto Westphal canonico Pragensi, familiari nostro . . . . Quia presentis vite condicio . . . . Nos volentes te intuitu gratorum tue familiaritatis et devocionis obsequiorum . . . . prerogativa prosequi gracie specialis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus et singulis bonis, ad te nunc et in futurum qualitercunque pertinentibus, cuiuscunque quantitatis et valoris fuerint, eciam si illa aut eorum aliqua ex fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obvencionibus

ac emolumentis dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum et prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque, que obtines vel imposterum obtinebis et alias persone tue et dictorum tuorum dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum intuitu, racione aut contemplacione ad te pervenerunt et pervenient in futurum, prius tamen de omnibus predictis bonis ere alieno et hiis, que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis beneficiorum, dignitatum, personatuum vel officiorum huiusmodi culpa vel negligencia tua seu procuratorum tuorum destructis seu deterioratis necnon restaurandis aliis iuribus beneficiorum, dignitatum, personatuum vel officiorum huiusmodi deperditis ex culpa vel negligencia supradictis fuerint oportuna, deductis, plenam et liberam tibi licenciam auctoritate apostolica . . . . elargimur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 90 fol. 163b. – Supra in marg. sin.: A DE PORTIGLIARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1697. *Officiali Argentinensi mandatur, quatenus sententias in causa super parrochiali ecclesia in Hagenau in palatio apostolico contra Ottonem (Czebussen[1]) latas exsequatur.*

Romae, 1400 Decembris 29.

Bonifacius . . . . officiali Argentinensi . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . commendatoris et conventus fratrum domus in Dorolczheim hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Argentinensis diocesis ac Conradi de Mutenshem fratris eiusdem domus, asserentis se perpetuum vicarium parrochialis ecclesie s. Georgii oppidi Hagenawe dicte diocesis peticio continebat, quod olim ipsi in causa per eos contra Ottonem Czebussen, qui se gerit pro presbytero Pragensis diocesis, super dicta ecclesia, quam commendator et conventus tamquam eis canonice unitam, annexam et incorporatam in proprios usus, necnon perpetua vicaria eiusdem ecclesie, quam Conradus prefati canonice sibi collatam aliquandiu tenuerant et possederant et tunc eciam tenebant et possidebant pacifice et quiete, et quibus quidem ecclesia et vicaria prefatus Otto eosdem commendatorem et conventum ac Conradum contra iusticiam spoliaverat seque in eis intruserat illasque occupaverat et detinuerat ac detinebat, prout detinet, indebite occupatos, fructus percipiendo ex eisdem, mota et coram . . . . Henrico tituli s. Anastasie presbytero cardinali ex commissione apostolica diucius ventilata, petitorio in huiusmodi causa per utramque partem intentato suspenso, et in solo possessorio processo, unam pro se et contra dictum Ottonem, per quam idem Otto ab occupacione [ac] detencione ecclesie et vicarie predictarum amotus et in fructibus ex ipsis ecclesia et vicaria a tempore spoliacionis huiusmodi citra perceptis necnon in[a]) expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnatus et commendator et conventus ad ecclesie et Conradus prefati ad vicarie predictarum possessionem restituti et reintegrati extiterunt, diffinitivam sentenciam reportaverint et super execucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, et satisfaccione fructuum et expensarum huiusmodi, que quidem expense ad certam florenorum summam taxate fuerunt, nostras ad te et duos alios tuos[b]) in hac parte colleg as

litteras reportarunt, tuque solus in execucionis huiusmodi negocio procedens, prout ex forma dictarum litterarum poteras, nonnullos processus fecisti in talibus fieri consuetos, monens inter cetera dictum Ottonem et mandans eidem, ut infra certum peremptorium terminum competentem tunc expressum ecclesiam commendatori et conventui ac vicariam predictas Conrado prefatis libere dimitteret ipsosque earum pacifica possessione gaudere permitteret ac de huiusmodi fructibus ac dicta florenorum summa pro predictis expensis plenarie satisfaceret, alioquin in eundem Ottonem, si mandato et monicioni huiusmodi non pareret, ac in contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicacionum, suspensionum et interdicti sentencias promulgabas; et quod, licet postmodum huiusmodi processus ad indubitatam noticiam dicti Ottonis pervenerint, ipse tamen Otto infra predictum terminum vel eciam post eisdem processibus parere contumaciter recusavit, propter quod tu eundem Ottonem penas et sentencias in dictis processibus contentas damnabiliter incurrisse declarasti et prefatam ecclesiam ecclesiastico subiecisti interdicto; a quibus quidem processibus prefatus Otto ad finem, ut huiusmodi sentencia intrusionis diucius continuare posset, licet frivole, ad sedem apostolicam appellavit, cuius quidem appellacioni nonnulle persone ecclesiastice tam religiose premonstratensis et fratrum minorum[c]) ordinum quam eciam seculares temere adheserunt, penas et sentencias in predictis processibus contentas damnabiliter incurrendo; et nichilominus idem Otto et persone huiusmodi . . . . sentencias ipsas per nonnulla tempora sustinuerunt, prout sustinent, animis induratis . . . ac ipsis sentenciis sic ligati divina officia publice celebrare seu verius prophanare illisque se immiscere presumpserunt, prout presumunt[d]) . . . Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, commendator et conventus ac Conradus prefati dubitent, ne eciam aliqui alii in dictis ecclesia et vicaria se intruserint vel imposterum se intrudant, pro parte ipsorum commendatoris et conventus ac Conradi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus ad execucionem litterarum et sentencie predictarum . . . . perinde tam contra dictum Ottonem quam contra quoscunque alios intrusos et intrudendos in ecclesia et vicaria antedictis iuxta ipsarum litterarum continenciam procedas, ac si dicta sentencia contra intrusos et intrudendos huiusmodi lata foret; et insuper intrusos ac intrudendos huiusmodi necnon personas predictas et alios quoscunque ipsi Ottoni in hac parte adherentes sub excommunicacionis, suspensionis et interdicti necnon privacionis omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum, que obtinent, necnon inhabilitacionis ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda ac aliis sentenciis et penis formidabilibus, de quibus tibi videbitur, et quas, si contra fecerint, eo ipso incurrant, auctoritate nostra moneas et mandes[e]) eisdem, ut videlicet Otto ac intrusi et intrudendi huiusmodi infra certum peremptorium terminum, quem eis ad hoc duxeris prefigendum, corporalem, realem et actualem possessionem ecclesie commendatori et conventui ac vicarie predictorum Conrado prefatis libere et omnino dimittant, ipseque Otto de huiusmodi fructibus et expensis prefatis commendatori et conventui ac Conrado satisfaciat, persone vero et adherentes huiusmodi ab adhesione huiusmodi penitus et omnino desistant . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Januarii a. duodecimo.

R Lat. 85 fol. 277b. — a) ‚quod' cod. b) ‚tuis' cod. c) ‚minoris' cod. d) ‚presumunt' cod. e) ‚mandas' cod. f) In fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. g) Trebušin in distr. Litoměřicensi an Schuzin in eodem distr.?

1698. *Indulgentia visitantibus quibusdam anni festivitatibus perpetuo parrochialem ecclesiam s. Spiritus in Gretz Reginae super Albea Pragensis diocesis. Datum Romae ap. S. Petrum 3. calendas Januarii a. XII.*[a]

Romae, 1400 Decembris 30.

Excerptum hoc Raynald. „ex libro tertio de diversis formis a. XII fol. 79" in codice Vatic. 6952 fol. 290b continetur.

1699. *Nicolao de Pilzna*[a]) *nuper auctoritate apostolica ecclesiae Megarensi*[b]) *in episcopum praefecto*[c]) *indulgetur, ut, cum in praefata ecclesia vel eius diocesi, quae per infideles detinentur, residere et pontificalia officia exercere non possit, liceat ei, quoties ad id per loci ordinarios invitatus fuerit, huiusmodi pontificalia officia exercere. „Personam tuam" „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Januarii a. duodecimo."*

Romae, 1400 Decembris 30.

R Lat. 90 fol. 192a. a) Pilsnac. b) Mecarens. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — c) Cf. nr. 1684.

1700. *Iudicibus mandatur, quatenus Francisco de Burg parrochialem ecclesiam in Schweinhaus conferant.*

Romae, 1400 Decembris 30.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... scolastico ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Franciscus de Borg rector altaris Corporis Christi et b. Marie virginis siti in parrochiali ecclesia s. Marie Magdalene Wratislauiensi commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Francisci peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Sweyn Wratislauiensis diocesis, quam quondam Nenkerus .... obtinebat, per ipsius Nenkeri obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, idem Franciscus vigore quarundam litterarum fel. rec. Urbani pape VI. predecessoris nostri, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis pertinens expectabat, dictam ecclesiam in Sweyn sic vacantem et ad collacionem dicti episcopi pertinentem eodem predecessore vivente infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi obtinuit provideri ipsamque ecclesiam in Sweyn vigore gracie, acceptacionis et provisionis predictarum assecutus, illam per plures annos tenuit et possedit, prout tenet

et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . prefatus Franciscus dubitet acceptacionem et provisionem predictas viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . predictam ecclesiam in Sweyn, cuius fructus . . . . sedecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Francisco auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Franciscus, ut asserit, altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . novem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Et insuper cum eodem Francisco, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias incompatibile . . . . recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia in Sweyn usque ad triennium retinere libere et licite valeat, apostolica auctoritate . . . . dispensamus. Volumus autem, quod dictus Franciscus alterum ex parrochiali ecclesia in Sweyn et beneficio huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra dictum triennium permutet, alioquin dictam parrochialem ecclesiam in Sweyn . . . . dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 95 fol. 101ᵉ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1701. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus, si Nicolaum Puchník in canonicatu et prebenda ecclesiae s. Georgii Pragensis, quos ipse pro parrochiali ecclesia s. Nicolai in foro pullorum Pragensi permutavit, nullum ius habere reppererit, ad possessionem dictae parrochialis ecclesiae eum restituat.*

Romae, 1401 Januarii 2.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas, ... super quibus . . . . Nicolaus Puchnik rector parrochialis ecclesie in Jempnicz Olomucensis diocesis, licenciatus in decretis, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim ipse parrochialem ecclesiam s. Nicolai in foro pullorum Pragensem, quam, et . . . . Nicolaus Mislaw Wissegradensis prope Pragam et s. Georgii in castro Pragensi ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos . . . . invicem permutare, Nicolaus Puchnik parrochialem ecclesiam et Nicolaus Mislaw prefati canonicatus et prebendas huiusmodi in manibus . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis extra Romanam curiam . . . . resignarunt, idemque archiepiscopus, parrochialis ecclesie auctoritate ordinaria necnon canonicatuum et prebendarum predictorum resignacionibus huiusmodi per eum extra eandem curiam admissis, canonicatus et prebendas Nicolao Puchnik et parrochialem ecclesiam predictos, per huiusmodi resignaciones vacantes, Nicolao de Mislaw prefatis eadem auctoritate contulit et de illis eciam providit,[1]) ipseque Nicolaus Puchnik eosdem canonicatus et prebendas . . . . assecutus, eos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . ad prefati Nicolai Puchnik pervenerit noticiam, quod nos nuper de ipsis canonicatu et prebenda s. Georgii,

tunc alio quam ut prefertur modo vacantibus, alteri persone mandavimus provideri, et propterea idem Nicolaus huiusmodi canonicatum et prebendam s. Georgii dubitet se licite retinere non posse, pro parte ipsius Nicholai Puchnik nobis fuit humiliter supplicatum, ut, si concessio et mandatum huiusmodi ut premittitur facta sint, providere sibi super hoc de oportuno remedio . . . . dignarenmur. Nos igitur . . . ., ne in resignacione huiusmodi, sic ut premittitur ex causa permutacionis facta, idem Nicolaus Puchnik ipsorum canonicatus et prebende s. Georgii et ipsorum possessionis frustretur effectu, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per diligentem informacionem reppereris aut te imposterum reperire contigerit nos de ipsis canonicatu et prebenda s. Georgii quoquo modo vacantibus alteri persone hactenus concessisse aut provideri mandasse seu concedere aut provideri imposterum mandare, aut alias ipsi Nicolao Puchnik in dictis canonicatu et prebenda s. Georgii vel ad eos ius quomodolibet non competiisse vel competere, prefatum Nicolaum Puchnik ad possessionem corporalem predicte parrochialis ecclesie s. Nicolai in foro pullorum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis ac aliis, prout erat ante resignacionem predictam, auctoritate nostra, si et prout canonicum fuerit, [inducas], dictas collacionem et provisionem per eundem archiepiscopum ut prefertur factas auctoritate nostra casses et revoces et annulles, ac eundem Nicolaum ad prefatam ecclesiam parrochialem restituas, sicut prius, eumque predicte parrochialis ecclesie pacifica facias possessione gaudere sibique de ipsius parrochialis ecclesie fructibus . . . . integre responderi . . . .; non obstantibus resignacione et collacione ac provisione predictis . . . ., seu quod idem Nicolaus Puchnik, ut asserit, post resignacionem predictam parrochialem ecclesiam in Jempnicz [assecutus est] canonice necnon Pragensis et Olomucensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . ducentarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet. Nos enim cum eodem Nicolao Puchnik, si eum per te ad prefatam ecclesiam s. Nicolai restitui contigerit, ut prefertur, ut ipsam recipere et una cum predicta ecclesia parrochiali in Jempnicz usque ad biennium a data presencium computandum retinere libere et licite valeat . . . ., dispensamus . . . . Volumus autem, quod dictus Nicolaus Puchnik infra huiusmodi biennium alteram ex parrochialibus ecclesiis predictis pro aliquo beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili permutet, alioquin elapso huiusmodi biennio predictam parrochialem ecclesiam, quam, ut prefertur, obtinet, ... omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. duodecimo.

R. Lat. 90 fol. 267[a] — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO. — [1] Permutatio illa 1396 Aug. 3 facta est: cf. Tingl, Libri confirm. V. p. 262 et 264.

1702. *Omnibus, qui ostensioni reliquiarum in oppido Krummau Pragensis dioc. apud ecclesiam monasterii s. Clarae ordinis eiusdem sanctae annis singulis in octava festivitatis corporis Christi celebrari consuetae interfuerint, a proximis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem festivitatis ecclesiam dicti monasterii visitaverint et ad eius fabricam manus adiutrices porrexerint, ad petitionem Henrici baronis de Rosenberg, qui in praefato oppido domicilium habet, illa indul-*

gentia in perpetuum conceditur, quae et sicut habetur apud sepulcrum dominicum in Terra sancta. „Exhibita nobis“ „Rome ap. S. Petrum V. idus Januarii pont. n. a. XII.“

Romae, 1401 Januarii 9.

Ed. Tadra in Časopis čes. musea 1899 p. 173.

1703. *Nicolao de Borsnicz providetur motu proprio de parrochiali ecclesia in Domslau.*

Romae, 1401 Januarii 10.

Bonifacius .... Nicolao de Borsnicz rectori parrochialis ecclesie in Dompslow Wratislauiensis diocesis .... Nobilitas generis .... Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica .. . apud sedem apostolicam vacancia .... collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum .... si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Dompslow Wratislauiensis diocesis per liberam resignacionem .... Bartholomei electi Ariminensis, per eum, qui cubicularius et familiaris noster existit, de illa, quam tunc ex concessione et dispensacione sedis predicte obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens ...[1]), nos volentes tibi, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existis, ... graciam facere specialem, ecclesiam predictam, cuius fructus .... triginta marcarum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... motu proprio .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseritur, scolastriam Wratislauiensis et archidiaconatum Olomucensis ecclesiarum, quorum fructus ... sexaginta marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, canonice nosceris obtinere.[2]) Nos enim tecum, ut dictam parrochialem ecclesiam recipere et una cum scolastria et archidiaconatu predictis, que dignitates existunt, usque ad biennium retinere libere et licite valeas ...., dispensamus .... Volumus autem, quod unum ex tribus incompatibilibus huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum reliquis duobus compatibili infra huiusmodi biennium permutare, alioquin illud ex duobus [in]compatibilibus predictis, quod malueris ...., dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Januarii a. duodecimo.

Simili modo .... episcopo Concordiensi et .... abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauiensis ac custodi ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ....

R. Lat. 96 fol. 189b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) De eadem ecclesia vacante per resignationem dicti Bartholomaei [de Barbatis] 1400 Februarii 11 Nicolao Henrici de Borsnicz ab isto Nicolao de Borsnicz differenti provisum est. Cf. mss. 1558, 1704 et 1705, necnon Kollmann, O kollektorech p. 67. [2]) Cf. nr. 1497

1704. *Matheo Dominici magistro in artibus providetur motu proprio de canonicatu et prebenda ecclesie Vratislaviensis, quorum fructus 20 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantibus per liberam resignationem Bartholomei [de Barbatis] electi Ariminensis, cubicularii et familiaris apostolici, apud sedem apostolicam sponte factam.*[1]) *„Litterarum sciencia" „Rome ap S. Petrum quarto idus Januarii a. duodecimo." — Simili modo episcopo Concordiensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac scholastico ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1401 Januarii 10.

R. Lat. 84 fol. 205ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) De eisdem canonicatu et praebenda per resignationem dicti Bartholomaei vacantibus 1400 Februarii 11 Nicolao Henrici de Borsnicz provisum est. Cf. nr 1558 et nri. 1703 not. 1.

1705. *Gunthero de Wese providetur motu proprio de parrochiali ecclesia s. Petri Legnicensi.*

Romae, 1401 Januarii 10.

Bonifacius . . . . Gunthero de Wisen rectori parrochialis ecclesie s. Petri Legnicensis Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Ad nostrum siquidem nuper pervenit auditum, quod olim parrochiali ecclesia s. Petri Legniczensi Wratislauiensis diocesis, quam quondam magister Nycolaus Storch . . . . obtinebat, per eiusdem Nycolai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, quondam Nycolaus Borsnicz[1]) vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis pertinens expectabat, eandem parrochialem ecclesiam sic vacantem et ad collacionem dicti episcopi dumtaxat pertinentem infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi obtinuit provideri. Et deinde dicta parrochiali ecclesia per eiusdem Nycolai Borsnicz obitum, qui, ipsius parrochialis ecclesie possessione per eum non habita, apud sedem apostolicam decessit, apud sedem ipsam vacante, nos de ipsa parrochiali ecclesia sic vacante . . . . Bartholomeo electo Ariminensi, tunc archidiacono ecclesie Beneuentane, cubiculario et familiari nostro, per nostras litteras . . . . duximus providendum . . . . Cum itaque postmodum dicta parrochialis ecclesia per liberam resignacionem dicti Bartholomei electi, per eum, eius possessione eciam per ipsum non habita, in manibus nostris sponte factam . . . . , apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice disponere . . . . possit pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem predictam vacancia . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . . , si secus contingeret attemptari, nos . . . . parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri valorem annuum . . . . non excedunt, ... motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Januarii a. duodecimo.

Simili modo . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Sagonensis ac decano ecclesie Legniczensis Wratislauiensis diocesis . . . .

R. Lat. 96 fol. 35[a] — Supra in marg. sin.: JO DE BONONIA, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. [1]) Est Nicolaus Henrici de Borsnicz, alius ac ille, qui in nro 1703 adducitur. Cf. nr. 1558 et nri. 1703 not. 1.

1706. *Archiepiscopus Pragensis et episcopus Vratislauiensis ac abbas monasterii Scotorum in Vienna[a]) Pataviensis dioc. conseruatores abbatis et conuentus monasterii Gradicensis prope Olomucz[b]) praemonstratensis ord. instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Januarii 13.

R. Lat. 92 fol. 269[b] — a) „Wyenna“ b) „Olomicz“ — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1707. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni Czam de Lucemburg decanatum ecclesiae Vyšehradensis, in cuius possessionem a rege Venceslao inductus est auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Januarii 15.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis ac officiali Pragensi . . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Johannes Czam de Luczenburg custos ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur liberales. Cum itaque . . . . decanatus eiusdem ecclesie per liberam resignacionem . . . Wenceslai patriarche Anthioceni, per eum de illo coram notario publico et testibus sponte factam, extra Romanam curiam vacaverit et vacet ad presens, nos volentes dicto Johanni, qui, ut asseritur, per . . . . Wenceslaum Romanorum et Boemie regem illustrem in ipsius decanatus possessionem inductus et de nobili genere procreatus existit . . . ., graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . decanatum predictum, qui curatus et dignitas principalis in dicta ecclesia existit, et ad quem consuevit quis per eleccionem assumi, cuiusque fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . . vel alias per liberam resignacionem . . . . Witkonis Crznezytz vel Vlrici de Strassytz vel alterius cuiuscunque . . . . vacet, eciam si . . . . super eo inter prefatos patriarcham, Witkonem et Vlricum et alios quoscunque lis . . . . apud sedem vel extra curiam predictas [pendeat] vel per appellacionem quomodocunque et qualitercunque ad dictam curiam devoluta et apud eam tractanda et finienda esset . . . .[1]), eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus, quod idem Johannes, ut asseritur, canonicatum et prebendam ac custodiam dicte ecclesie noscitur obtinere. Volumus autem, quod,

antequam dicto Johanni de decanatu predicto provideatur, si in ipsius decanatus possessionem inductus fuerit, ut prefertur, decanatum ipsum realiter et omnino dimittat, et quamprimum vigore presencium dictum decanatum, cui certi alii canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie, ut asseritur, canonice sunt annexi, fuerit pacifice assecutus, predictos canonicatum et prebendam ac custodiam, quos .... obtinet, ... omnino dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Februarii a duodecimo.

R. Lat. 84 fol. 21b. — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1] Cf. nros. 1069, 1070 at 1371.

1708. *Henrico baroni baroniae de Rosenberg Pragensis dioc. eiusque successoribus, baronibus dictae baroniae, conceditur licentia deputandi annis singulis decem vel plures presbyteros idoneos, saeculares vel regulares, qui confessiones Christi fidelium in octava festivitatis corporis domini et duobus diebus praecedentibus ad ecclesiam monasterii s. Clarae oppidi Krummau ordinis eiusdem sanctae dictae Pragensis dioc. propter indulgentiam, quae praefatis diebus dictam ecclesiam visitantibus a sede apostolica alias concessa est*[1]*, confluentium auctoritate apostolica audire possint; praesentibus litteris in perpetuum duraturis.* „*Nuper siquidem*“ „*Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Februarii pont. n. a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Januarii 17.

Originale cum bulla in filo serico in archivio principis Schwarzenberg in Krummau sub I. 3 P. nr. 37 exstat, cuius copiam mihi dom. Gross praestitit. In plica ad dext.: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE JE. DE. FERENTINO. — Ed. e copia in quodam codice caes. reg. bibliothecae Pragensis contenta Tadra in Časopis čes. musea 1899, p. 174. — [1] Cf. nr. 1702.

1709. *Abbas monasterii Zabrdovicensis*[a] *Olomucensis dioc. et Pragensis ac Pataviensis officiales conservatores praepositi, canonicorum et capituli ecclesiae montis s. Petri in Brunna dictae dioc. usque ad quinquennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Februarii a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Januarii 17.

R. Lat. 92 fol. 270b. — [a] Zaberdouien'. Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1710. *Nicolao de Borsnicz*[a]*, ex utroque parente de militari genere procreato, providetur motu proprio de canonicatu et praebenda ecclesiae s. Petri Vyšehradensis*[b] *prope Pragam, quorum fructus 30 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantibus per liberam resignationem magistri Francisci de Benešov*[c] *notarii apostolici, apud sedem apostolicam sponte factam.* „*Nobi-*

litas generis" „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Februarii a. duodecimo.*" — *Simili modo episcopo Concordiensi et abbati monasterii in Arena extra muros Vratislavienses ac decano ecclesiae Pragensis.*

Romae, 1401 Januarii 19.

R. Lat. 81 fol. 151a — a) ‚Borsmicz' b) ‚Wissegraden'. c) ‚Benesschow'. — Supra in marg. sin.: A. DE FORTUGRUARIO; in fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO.

1711. *Abbati et conventui monasterii Sedlicensis indulgetur, ut vicarios ecclesiarum et capellarum dicto monasterio incorporatarum sine ordinariorum licentia instituere possint.*

Romae, 1401 Januarii 23.

Bonifacius .... abbati et conventui monasterii Czedlicensis cisterciensis ord. Pragensis diocesis .... Sacre religionis .... Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, vos certas ecclesias et capellas vestro monasterio unitas et appropriatas, quas per ydoneos vicarios facitis gubernari, canonice obtineatis in proprios usus, vobisque in parte reddatur onerosum in singulis institucionibus vicariorum huiusmodi pro animarum cura eisdem vicariis committenda ad locorum ordinarios habere recursum, nos itaque vestris commoditatibus, ut eo devocius divino cultui et salutis operibus insistere valeatis, quo maiori per sedem apostolicam fueritis libertate dotati in premissis, motu proprio .... consulere cupientes, tibi, fili abbas, et successoribus tuis, abbatibus dicti monasterii, qui erunt pro tempore, ut de cetero futuris perpetuis temporibus in singulis institucionibus vicariorum ecclesiarum et capellarum eidem monasterio iam incorporatarum et imposterum incorporandarum, et quas de presenti obtinetis ac vos et successores ipsi in futurum iustis titulis obtinebitis, singulis vicariis eisdem, sive plebani sive aliis quibusvis nominibus nuncupentur, curam animarum, eiusdem cure regimen et liberum exercicium committere libere et licite valeatis, ordinariorum locorum seu quorumcunque aliorum licencia super hoc minime requisita seu obtenta, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus, apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitucionibus necnon statutis et consuetudinibus ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 85 fol. 133b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1712. *Abbati et conventui monasterii Sedlicensis conceditur, ut confessores Christi fidelium ad capellam in porta eorum monasterii indulgentiae causa confluentium deputare possint.*

Romae, 1401 Januarii 23.

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii Czedlicensis cisterciensis ord. Pragensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Dudum siquidem omnibus vere penitentibus et confessis, qui capellam beatorum Philippi et Jacobi apostolorum in porta vestri monasterii predicti in die festivitatis corporis Christi a primis vesperis usque ad secundas vesperas ipsius festivitatis et per eius octavas devote visitaverint annuatim et ad eius conservacionem manus porrigerent adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in die ascensionis domini nostri Jesu Christi . . . . anno quolibet auctoritate apostolica consequuntur, eadem auctoritate motu proprio . . . . duximus concedendum. Nos igitur . . . . motu simili vobis et successoribus vestris, qui pro tempore fuerint, octo sacerdotes ydoneos et plures ac tot, prout vobis visum fuerit expediri, religiosos sive seculares, qui a dictis primis vesperis usque ad secundas ipsius festivitatis vesperas et per eius octavas et ante predictum diem festivitatis per tres dies [personarum] ad eandem capellam confluencium et ipsis confiteri volencium [confessiones] in dicta capella et extra, in loco tamen congruo et honesto, audiant et personas easdem ab omnibus eorum peccatis, casibus sedi apostolice specialiter reservatis duntaxat exceptis, in forma ecclesie consueta absolvant ipsisque penitenciam iniungant salutarem et alia faciant, que circa premissa fuerint facienda, singulis annis in ipsa capella et extra, in loco tamen congruo et honesto, ut premittitur, deputandi et huiusmodi sacerdotes amovendi ac alios de novo eligendi seu deputandi, diocesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licencia vel consensu minime requisitis, quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus auctoritate predicta . . . . facultatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 85 fol. 133ᵛ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

—

1713. *Annae de Mazovia moniali monasterii Ratiboriensis dictum monasterium bis in anno exeundi licentia conceditur.*

Romae, 1401 Januarii 23.

Bonifacius . . . Anne de Mazouia moniali monasterii Ratiboriensis ordinis predicatorum Wratislauiensis diocesis . . . . Humilibus et honestis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod . . . . illustres duces Mazouie Plocensis diocesis, tui germani fratres, [te] dote tua et nonnullis aliis pecuniarum summis ad personam tuam spectantibus nequiter spoliarunt, huiusmodi dotem et pecunias tibi assignare nullo modo procurant, vellesque dotem et pecunias huiusmodi medio iure posse totaliter recuperare et de ipsorum manibus penitus subtrahere, et propterea ex huiusmodi et certis aliis causis ad id animum tuum inducentibus monasterium Ratiboriense ord. predicatorum Wratislauiensis diocesis, cuius monialis eciam expresse professa et in quadragesimo tue etatis anno constituta existis, bis saltem in singulis annis exire et ad consanguineos et affines pro persone tue refeccione accedere desideras. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut pro premissis ius tuum tuendi et

prosequendi et bis in singulis annis dictum monasterium cum una moniali eiusdem, quam ad id duxeris eligendam, exeundi et ipsam pro comitiva tua assumendi et ducendi et ad domos consanguineorum et affinium huiusmodi et ad alia oca, quociens fuerit oportunum, accedendi et per mensem cum dimidio bis in dictis annis vice qualibet extra ipsum monasterium morandi licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tibi propter premissa pio compacientes affectu, huiusmodi supplicacionibus inclinati, ut bis in singulis annis monasterium ipsum exeundi huiusmodique monialem, quam, ut prefertur, duxeris eligendam, assumendi et pro comitiva tua ducendi, consanguineos et affines predictos visitandi et ad ipsorum domos et ad alia loca pro huiusmodi iure tuendo et prosequendo et aliis, prout [et] quociens tibi expediens fuerit et videbitur, accedendi et extra dictum monasterium per huiusmodi mensem cum dimidio vice qualibet duntaxat morandi et premissa libere et licite faciendi, tui superioris et cuiuscunque alterius super hoc licencia vel consensu minime requisitis vel obtentis, statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum ac privilegiis et indultis apostolicis ac aliis contrariis nequaquam obstantibus, tibi auctoritate apostolica tenore presencium licenciam elargimur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii a. duodecimo.

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Lubucensi et . . . . scolastico ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 85 fol. 180a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1714. *Praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus Andreae de Hořovicz*[a] *presbytero Pragensis dioc. conferat parrochialem ecclesiam in Veltrus*[b] *dictae dioc., cuius fructus sex marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Benešii*[c] *eiusdem ecclesiae rectoris, qui extra Romanam curiam decessit.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Februarii a. duodecimo*“

Romae, 1401 Januarii 24.

R. Lat. 96 fol. 44a — a) ‚Harawicz‘ b) ‚Weltruss‘ c) ‚Benessii‘. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1715. *Cum Johanne Nicolai Tribenczerii dispensatur super defectu aetatis.*

Romae, 1401 Januarii 27.

Bonifacius . . . . Johanni Nicolai Tribenczerii clerico Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Sane ad nostram nuper fuit deductum noticiam, quod olim tecum, ut non obstante defectu natalium, quem pateris de presbytero genitus et soluta, ad omnes eciam sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, eciam si curatum foret, obtinere posses, fuit apostolica auctoritate dis-

pensatum, post quam quidem dispensacionem te fecisti ad omnes minores ordines promoveri. Nos igitur .... motu proprio .... tecum, ut duo seu tria aut plura alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura se invicem compaciencia, eciam si canonicatus et prebende ac dignitates vel personatus seu officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales vel in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad eas consueverint qui per eleccionem assumi ...., recipere illaque .... tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et .... alia .... beneficia [se] invicem compaciencia recipere et retinere libere et licite valeas, predicto defectu et Pictauiensis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis .... nequaquam obstantibus, auctoritate predicta .... dispensamus, tibi nichilominus de uberioris dono gracie concedentes, quod in quibuscunque graciis per te seu pro te a sede apostolica de cetero impetrandis vel alias quovis modo tibi concedendis nullam de defectu et dispensacionibus huiusmodi tenearis facere mencionem .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 87 fol. 259v. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1716. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus in causa appellationis, quam infrascripti oppidani de Nissa a sententia praepositi monasterii s. Hedvigis Cracoviensis ad sedem apostolicam porrexerunt, legitime procedat.*

Romae, 1401 Januarii 28.

Bonifacius .... officiali Olomucensi .... Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Nicolai Hausdorff, Francisci Libing et Johannis Coci oppidanorum oppidi de Nyssa Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim Margarita de Nyssa mulier Wratislauiensis diocesis falso asserens, quod dicti oppidani super quibusdam pecuniarum summis, domibus, terris, possessionibus et rebus aliis ad dotem ipsius spectantibus iniuriabantur eidem, contra ipsos, cum ipsorum, ut dicebat, potenciam merito perhorrescens, eos infra civitatem seu diocesim Wratislauienses nequeat convenire secure, ad prepositum monasterii s. Hedewigis extra muros Cracouienses per prepositum soliti gubernari in communi forma litteras impetravit, falsoque pretendens, quod iidem oppidani tempore impetracionis dictarum litterarum et tunc eciam quasdam domos, terras et possessiones tunc expressas, in dicta diocesi consistentes et ad eam racione dicte dotis sue iusto titulo spectantes, tenebant indebite occupatas, eosdem oppidanos super hoc, petendo eos condemnari et compelli ad dimittendum ei domos, terras et possessiones huiusmodi, fecit coram eodem preposito predictarum litterarum pretextu communiter ad iudicium evocari, idemque prepositus perperam in huiusmodi causa procedens, diffinitivam contra oppidanos predictos sentenciam promulgavit iniquam, ipsos in expensis in huiusmodi causa factis nichilominus condemnando, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata; a qua quidem sentencia pro parte dictorum oppidanorum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quare pro parte dictorum

oppidanorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum dicta mulier se post impetracionem huiusmodi dictarum litterarum ad civitatem Cracouiensem transtulerit et in ea foveat tantummodo larem suum, ipsique oppidani in dicta civitate seu diocesi Cracouiensi non sperent se posse super premissis consequi iusticie complementum, providere ipsis super hoc de oportuno remedio . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus in huiusmodi appellacionis causa procedens legitime, dictam sentenciam confirmare vel infirmare usuris cessantibus appellacione remota procures, prout de iure fuerit faciendum, non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, dummodo aliquis auctoritate presencium ultra duas dietas a fine sue diocesis ad iudicium non trahatur, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 87 fol. 34ª — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1717. *Episcopo Concordiensi mandatur motu proprio, quatenus a Johanne dicto Hanko resignationem iuris, quod ei in parrochiali ecclesia in Tuřan competit, recipiat et Johannem Nicolai [Tribenczerii] ad dictum ius surroget.*

Romae, 1401 Januarii 29.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Nicolai clericus Olumnicensis *(sic)* diocesis commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales Ad nostram siquidem nuper fuit deductum memoriam, quod orta inter ipsum et . . . . Johannem dictum Hanko, qui se gerit pro perpetuo vicario in ecclesia Pragensi, super parrochiali ecclesia in Durans dicte diocesis, de qua, tunc per liberam resignacionem magistri Petri de Wsrob ipsius ecclesie rectoris, secretarii et familiaris nostri, habentis, ut dicebat, resignandi beneficia sua per nostras litteras facultatem, per eum, qui eciam litterarum nostrarum corrector, scriptor et abbreviator existit, de illa, quam tunc obtinebat, extra Romanam curiam sponte factam, vacantem, Johannes Nicolai sibi auctoritate apostolica provisum[1]) seque illam assecutum fuisse canonice, eundemque Johannem dictum Hanko se provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus ipse Johannes Nicolai eandem parrochialem ecclesiam possit pacifice possidere, Johannes vero dictus Hanko prefati eandem parrochialem ecclesiam ad se spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Johannis Nicolai ad sedem apostolicam legitime devoluta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . magistro Leonardo de Sulmona capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Johannis Nicolai commisimus . . . ., idemque auditor in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem, sicut accepimus, lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Johannes Hanko omni iuri, si quod sibi in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam quomodolibet com-

petit aut competere potest, libere et sponte cedere proponat, nos . . . . motu proprio . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus ab eodem Johanne dicto Hanko vel a procuratore suo . . . . cessionem huiusmodi auctoritate nostra . . . . recipias et admittas, eaque recepta et admissa prefatum Johannem Nicolai in iure et ad ius huiusmodi . . . . auctoritate prefata subroges . . . ., ac nichilominus parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premittitur sive per obitum quondam Nicolai de Gewiczka ipsius parrochialis ecclesie rectoris extra dictam curiam defuncti, sive alias quovis modo . . . . vacet . . . ., eidem Johanni Nicolai auctoritate predicta conferas et assignes . . . .: non obstantibus . . . ., quod nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . predicti [Olomucensis] episcopi et . . . . prepositi, decani archidiaconi, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis pertinente, vacante vel vacaturo, per nostras litteras graciose mandavimus provideri. Nos enim cum eodem Johanne Nicolai, ut huiusmodi beneficium curatum, quod ipsum dictarum litterarum vigore assequi contigerit, recipere et una cum huiusmodi parrochiali ecclesia . . . . usque ad quinquennium libere et licete [retinere] valeat, auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Volumus autem, quod dictus Johannes Nicolai alterum ex curato beneficio et parrochiali ecclesia huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra quinquennium permutare, alioquin illud vel illam ex curato beneficio et parrochiali ecclesia predictis, quod vel quam prius assequatur, ... dimittere teneatur . . . . Ceterum volentes, quod presentes littere plenum sorciantur effectum, auctoritate predicta motu simili ex certa sciencia declaramus nostre intencionis fuisse et esse ipsi Johanni Nicolai dumtaxat et nulli alteri . . . . de dicta parrochiali ecclesia voluisse et velle graciam fecisse et facere, et si forte reperiri contingat alicui vel aliquibus alii vel aliis de ipsa parrochiali ecclesia per nos seu auctoritate nostra provisum fuisse aut mandatum seu concessum provideri, huiusmodi provisiones . . . . exnunc cassamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 95 fol. 128[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1529 et 1719.

***1718**. Hanušio Keppler de Sulevicz indulgetur, ut in Pragensi vel aliis ecclesiis cappellas et altaria erigi facere possit.*

Romae, 1401 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Hanussio Keppler militi de Sulevitz . . . . Exigit tue devocionis sinceritas, ut votis tuis, illis presertim, que ad tue et progenitorum necnon heredum tuorum animarum salutem ac divini cultus augmentum cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu . . . . de quibusdam bonis tuis et tibi partim per alios Christi fideles ad hoc assignatis et commissis pro tue ac eciam progenitorum et heredum tuorum necnon dictorum Christi fidelium

animarum salute quasdam capellas seu altaria in Pragensi aut alia, ubi tibi magis acceptum videbitur, ecclesiis de novo creari et erigi facere et ipsarum quamlibet pro uno presbytero vel pluribus, qui ad illam perpetuo domino deserviant in divinis, competenter dotare desideres et affectes, si ad id apostolice sedis accedat assensus. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et heredibus tuis premissa perficiendi licenciam impartiri et ius patronatus ad ipsas capellas [rectores] presentandi tibi et heredibus ac successoribus tuis perpetuo reservare .... dignaremur. Nos igitur .... tibi, ut capellas predictas in Pragensi seu alia, ubi malueris, ecclesiis erigi facere illasque dotare libere possis, diocesani loci vel alterius cuiuscunque licencia seu consensu minime requisitis, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus, necnon ius patronatus ad ipsas capellas ydoneos rectores, postquam erecte et competenter dotate fuerint, ut prefertur, pro tempore presentandi tibi ac heredibus et successoribus tuis auctoritate predicta de uberioris dono gracie nichilominus imperpetuum reservantes, statuto et consuetudine ipsius Pragensis seu alterius ecclesiarum predictarum, quibus dicitur contineri, quod quorumcunque beneficiorum in ipsa Pragensi aut aliis ecclesiis predictis erectorum et de novo erigendorum finaliter ad capitulum eiusdem ecclesie collacio devolvatur, et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, iure tamen ipsius Pragensis et cuiuslibet alterius ecclesie in omnibus semper salvo. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 90 fol. 38ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. LX DE BENEVENTO.

1719. *Drahoslao de Doubravicz providetur de parrochiali ecclesia in Tuřan.*

Romae, 1401 Februarii 1.

Bonifacius .... Drahoslao Vlrici de Dubrauicz presbytero Olomucensis diocesis, rectori parrochialis ecclesie in Durans Olomucensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica .... quorumcunque, per assecucionem .... aliorum beneficiorum ecclesiasticorum .... per nos seu auctoritate litterarum nostrarum collatorum .... eisdem tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari; et deinde declaravimus omnia beneficia supradicta, que per assecucionem .... aliorum beneficiorum huiusmodi vacare sperabantur, si beneficia huiusmodi per obitum illa obtinencium seu alias quam per assecucionem predictam vacare contingeret, fore disposicioni apostolice reservata. Et subsequenter quondam Nicolao de Gewiczka tunc rectori parrochialis ecclesie in Durans Olomucensis diocesis de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem .... abbatis et conventus monasterii in Trebicz ord. s. Benedicti eiusdem diocesis pertinente, vacante vel vacaturo, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod ipse Nicolaus, quamprimum dictarum litterarum vigore aliquod beneficium curatum foret pacifice assecutus, dictam ecclesiam .... dimittere teneretur .... Cum itaque post-

modum dicta ecclesia per ipsius Nicolai obitum, qui huiusmodi beneficii possessione per eum non habita extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens . . . ., nos . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . Patauiensi et Olomucensi officialibus . . . .

R. Lat. 96 fol. 116[b] - Supra in marg. sin : A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1529 et 1717.

1720. *Nicolao Pfluger de Kreuzburg providetur de canonicatu ecclesiae Vratislaviensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus, officii seu beneficii cum vel sine cura.*

Romae, 1401 Februarii 9.

Bonifacius . . . . Nicolao Pfluger de Cruczeburg canonico Wratislauiensi, decretorum doctori . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislauiensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ipsius ecclesie necnon dignitatem vel personatum seu officium aut beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura in eadem vel in aliqua ex collegiatis civitatis et diocesis Wratislauiensium intra vel extra, eciam si dignitas ipsa in Wratislauiensi maior post pontificalem vel in aliqua ex collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . capituli Wratislauiensis . . . . pertinens seu pertinencia, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens, vel cum illas vel illos seu illa simul aut successive vacare contigerit . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis seu factis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ipsa Wratislauiensi ecclesia receptis vel prebendas in eadem ac dignitates vel personatus seu officia [aut] beneficia huiusmodi eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa in genere vel in specie . . . . expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . nostris familiaribus domesticis continuis commensalibus te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, canonicatum et prebendam in ecclesia s. Nicolai Othomuchouiensi Wratislauiensis diocesis obtines, necnon super prepositura ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, que dignitas curata et principalis in eadem ecclesia existit, in palacio apostolico nosceris litigare. Nos enim tecum, ut huiusmodi dignitatem vel personatum seu curatum officium aut beneficium, quam vel quem seu quod vigore presencium tibi conferri contigerit, . . . recipere et una cum dicta prepositura, si eam evincas, usque ad biennium retinere . . . . valeas, ...

auctoritate apostolica dispensamus . . . Volumus autem, quod alteram seu alterum ex prepositura aut dignitate vel personatu seu curato officio huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra dictum biennium permutare, alioquin illam vel illum seu illud ex prepositura aut dignitate vel personatu seu curato officio aut beneficio huiusmodi, quam vel quem seu quod malueris . . . ., omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Februarii a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . scolastico ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 94 fol. 99b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1721. *Episcopo Ferentinatensi et archidiacono ecclesiae Poznaniensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Johanni Neparth rectori parrochialis ecclesiae in Niepart[a]) Poznaniensis dioc. canonicatum et praebendam in ecclesia Poznaniensi vacantes conferant. „Rome ap. S. Petrum quinto idus Februarii a. duodecimo."*

Romae, 1401 Februarii 9.

R. Lat. 97 fol. 218a — a) ‚Neparth' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1722. *Episcopus Plocensis et praepositus Culmensis ac cantor Vratislaviensis ecclesiarum conservatores decani et capituli ecclesiae Vladislaviensis usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Februarii a. duodecimo".*

Romae, 1401 Februarii 9.

R. Lat. 92 fol. 272a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1723. *Jeronymo Seidenberg conceditur, ut in assecutione beneficiorum ecclesiasticorum alias ei reservatorum omnibus praeter cardinales anteferatur.*

Romae, 1401 Februarii 13.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenberg decretorum doctori, capellano nostro . . . . Grata tue devocionis . . . Nuper siquidem, videlicet VII. idus Januarii proxime preteriti[1]), ... de uno vel duobus seu tribus aut pluribus ac tot . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, quod eorum fructus . . . . ad valorem octuaginta marcharum argenti puri . . . . annuatim ascenderent, eciam si duo ipsorum curata seu incompatibilia aut dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus aut collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus post pontificales maiores et in collegiatis

ecclesiis huiusmodi principales forent, et ad dignitates vel personatus seu officia huiusmodi consuevissent qui per eleccionem assumi, ad cuiuscunque . . . . collacionem . . . . pertinentibus, eciam si ipsorum aliqua canonicatus et maiores prebende metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum . . . . existerent, si quod vel si qua in Pragensi, Wratislauiensi, Olomucensi seu Warmiensi diocesibus vacabat seu vacabant tunc, vel cum vacaret aut simul vel successive vacarent . . . ., conferendum seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus (*sic*) ac voluimus inter cetera te omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . preterquam . . . . cardinalibus et . . . . veris familiaribus nostris continuis commensalibus nobis actu domestice famulantibus huiusmodi beneficia expectantibus . . . ., anteferri certis tibi super hiis executoribus deputatis . . . . Cum autem, sicut accepimus, nonnulli a nobis obtinuerunt gracias ac concessiones seu indulta similis tenoris ac eciam dissimilis sub variis modis et formis, quamplures eciam per nostras litteras apostolicas in veros et actu familiares nostros domesticos continuos commensales recepimus eosque aliorum nostrorum verorum familiarium et commensalium nobis actu domestice ac continue famulancium singulis prerogativis et honoribus aliisque privilegiis et immunitatibus effectualiter uti et gaudere voluimus, tuque propter multitudinem talium ac aliarum graciarum nostrarum necnon recepcionum et concessionum predictarum te in data precedencium vel sequencium, diversis personis per nos factarum seu faciendarum, non possis ex predicta tua gracia infra breve temporis spacium fructiferum reportare effectum, nos . . . . motu proprio . . . . apostolica tibi auctoritate concedimus, quod huiusmodi gracie, recepciones et concessiones tenoris suprascripti et quecunque alie sub alia quavis forma vel expressione verborum quibuscunque aliis personis concesse vel concedende tibi seu dicte tue gracie vel eius effectui non debeant in aliquo preiudicium generare, sed tu omnibus preterquam . . . . cardinalibus debeas anteferri, quodque, si forsan nos de aliquibus dignitatibus, personatibus, officiis seu quibuscunque beneficiis . . . . sub gracia tua huiusmodi cadentibus, ante vel imposterum quandocunque vacantibus, alicui vel aliquibus alii vel aliis . . . . providerimus, mandaverimus seu concesserimus provideri infra mensem ad acceptandum tibi in dictis nostris litteris deputatum, concessiones, provisiones et mandata huiusmodi facta seu facienda cum omnibus eorum occasione appositis vel inde secutis haberi volumus pro non factis atque nullius decernimus esse roboris vel momenti nec posse acceptacioni et provisioni tuis, eciam post huiusmodi provisiones, concessiones et mandata nostra, dumtamen infra tempus legitimum, factis seu faciendis, vel earum effectui in aliquo derogare, nisi de huiusmodi gracia tua, necnon, quod auditor apostolici palacii causarum et decretorum doctor existis, in nostris litteris specialis et expressa mencio habeatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Februarii a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 234[1] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) 1401 Jan. 7.

1724. *Judicibus motu proprio mandatur, quatenus Johanni [de] Jeříčko parrochialem ecclesiam in ‚Rogozyn' [1]) conferant.*

Romae, 1401 Februarii 13.

Bonifacius . . . . custodi et . . cantori ecclesie Pragensis ac . . officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Gewitzsch rector parrochialis ecclesie in Lampertiuilla Wratislauiensis diocesis commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Rogozyn dicte diocesis, quam quondam Petrus Wartenberg . . . . obtinebat, per eiusdem Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre mandamus, quatenus . . . . ecclesiam in Rogozyn predictam, cuius fructus . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asseritur, prefatam ecclesiam in Lampertiuilla obtinet, et nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi et . . . . prepositi, decani, scolastici, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri.[2]) Volumus autem, quod ipse Johannes, quamprimum . . . . eandem ecclesiam in Rogozyn fuerit pacifice assecutus, predictam ecclesiam in Lampertiuilla . . . . dimittere teneatur, quodque predicte littere, per quas sibi de huiusmodi beneficio provideri mandavimus, ... et quecunque inde secuta, eciam si alias per nos vel alias quomodolibet cassata fuerint, quoad curatum beneficium duntaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 96 fol. 11[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Rokitsch in regione Opoliensi? [2]) Cf. nr. 268.

1725. *Bertrando archiepiscopo Amalphitano mandatur, quatenus, si per eventum litis inter magistrum Albertum Creyenberch scriptorem et familiarem apostolicum ac litterarum apostolicarum abbreviatorem et inter Fridericum Haken clericum Maguntinensis dioc. super canonicatu et maiore praebenda ecclesiae Halberstadensis exortae et in palatio apostolico diutius ventilatae ei constiterit neutri eorum ius in dictis canonicatu et praebenda competere, praefato Alberto ipsos conferat, non obstante inter cetera, quod idem Albertus praeposituram ecclesiae b. Mariae in Wolframskirchen[a]) Olomucensis dioc., cuius fructus 30 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, et diversa alia beneficia in Halberstadensi, Naumburgensi, Zverinensi, Razeburgensi et Maguntinensi diocesibus obtinet. „Grata dilecti" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Marcii a. duodecimo".*

Romae, 1401 Februarii 14.

R. Lat. 95 fol. 12[a] — [a]) ‚Wolframkirchen' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1726. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Nicolao de Topolan perpetuam vicariam in ecclesia Olomucensi conferat.*

Romae, 1401 Februarii 16.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque . . . . perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi, quam quondam Jacobus dictus Salomon . . . . obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes . . . . Nicolaum Benonis de Tepolan (*sic*) rectorem altaris s. Marie Magdalene siti in eadem ecclesia . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . vicariam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, ... eidem Nicolao conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asseritur, altare predictum in dicta ecclesia, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, et nos dudum sibi de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis ad . . . . episcoporum et . . . . prepositorum, . . decanorum, scolasticorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis et Wratislauiensis ecclesiarum ac singulorum collatorum et collatricum civitatum et diocesium Olomucensium et Wratislauiensium collacionem . . . . pertinentibus, ... vacantibus . . . . vel vacaturis, graciose mandavimus provideri. Nos enim cum eodem Nicolao, ut huiusmodi vicariam una cum dicto altari ac beneficio seu beneficiis huiusmodi . . . . usque ad unum annum insimul recipere et retinere et interim dictum altare pro alio beneficio ecclesiastico permutare seu alias simpliciter dimittere . . . . valeat . . . ., dispensamus. Datum Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 102a – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1727. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Johanni de Námëšt quoddam altare in ecclesia Olomucensi reservet.*

Romae, 1401 Februarii 16.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Nuper siquidem . . . . Nicolao Benonis de Topolan rectori altaris s. Marie Magdalene siti in ecclesia Olomucensi de perpetua vicaria in eadem ecclesia tunc certo modo vacante per nostras certi tenoris litteras graciose mandavimus provideri, secumque, ut dictam vicariam una cum dicto altari per unum annum recipere et retinere libere et licite valeret . . . ., duximus auctoritate apostolica dispensandum . . . .[1]) Cum itaque propterea, quamprimum ipse Nicolaus . . . . dictam vicariam assecutus dictusque annus elapsus fuerit, dictum altare vacare speretur, nos volentes . . . . Johannem Pauli de Namyescz clericum Olomucensis diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Johannem ad hoc ydoneum esse reppereris . . . ., altare predictum, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non

excedunt, ... conferendum eidem Johanni . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod dictum altare obtinens actu in sacerdocio constitutus existat, contrariis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 12b — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1726.

1728. *Abbati Vilemoriensi mandatur, quatenus consules, iuratos et universitatem oppidi Montium Cathorum ab excommunicatione et aliis sententiis, quas propter presbyteri Sazemae decapitationem incurrerunt, absolvat.*

Romae, 1401 Februarii 17.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Wylemow Pragensis diocesis . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte consulum, iuratorum et universitatis Montis Chuenis (*sic*) Pragensis diocesis [peticio continebat], quod, cum olim Pesschl Purkhart, Thomlinus Pravmbardi, Johannes Noyel, Johannes Hoffman, Weygandus Cawczenbach, Andreas Weynandi, Johannes Schuttenhelm, Purkhardus Aurifabri et Johannes dictus Swager oppidani, tunc consules et iurati dicti oppidi, in iudicio essent constituti, evenit, quod quondam Zazemas presbyter per unum notarium iudicis dicti oppidi nomine Lucam in foro carbonum eiusdem oppidi cum calice, patena, ornato, alba, tunica et pallio cuidam plebano de Morauia furtive subtractis et in quodam sacculo reclusis apprehensus et ad presenciam dictorum consulum adductus extitit; quibus cum idem Lucas retulisset se adduxisse quendam sacerdotem cum furto dicto sacculo incluso, unus ex consulibus predictis dixit Luce prefato: ‚quid dicis nobis de sacerdote? numquid tibi prius prohibitum est, ne coram nobis de talibus in sacris constitutis quicquam narrares?' Et deinde alius ex consulibus predictis volens experiri de veritate, an esset presbyter, fecit sibi capucium deponi. Quo deposito repertum fuit, quod idem Zazemas coronam seu tonsuram clericalem minime deferebat. Et ilico dictus plebanus, qui de Morauia eundem Zazemam insecutus fuit usque ad consilium, ubi consules predicti sedebant, accessit rogans eos, ut sibi res predictas per ipsum Zazemam furtive ablatas restituere vellent. Quibus verbis auditis, cum ipsi consules predictum Zazemam interrogassent, an furtum illud commisisset, qui respondit, se nedum huiusmodi furtum, sed multa alia furta commisisse ac alias res per ipsum furtive in Morauia subtractas in quodam fornace reposuisse. Postmodum vero superveniens unus eciam ex consulibus huiusmodi nomine Hermannus Glenczel, qui Zazemam predictum interrogavit, quisnam esset; cui Zazemas predictus non respondit, sed unus ex consulibus predictis dixit: ‚ipse est furatus res predictas'. Tunc Hermannus prefatus dixit: ‚si furatus est, tunc debet suspendi'. Et subsequenter alius ex consulibus predictis nomine Wenceslaus Andree Versuecher superveniens,[1]) aliis consulibus retulit eundem Zazemam olim plebanum suum fuisse. Tunc unus ex eisdem consulibus dixit: ‚quare vultis facere sacerdotem ex fure? nam has res coram

nobis iacentes furtive subtraxit, ideo ut talis est puniendus'. Deinde prefatus Wenceslaus subiunxit dicens: ‚ipse est magnus nequam et homicida, nam cuidam laico uxorem suam abduxit et cum eadem crimen fornicacionis perpetravit et deinde dictum laicum maritum eiusdem mulieris nequiter interfecit', adiciendo eum fore raptorem et sacrilegum et ecclesiarum fractorem, et pro intersigno dixit, eum in maxilla eius sinistra cicatricem habere. Depositoque ipsius Zazeme capucio inventa est cicatrix ad relacionem dicti Wenceslai. Et iterum subiunxit dicens, quod ex carceribus perpetuis, ad quos condempnatus erat, evasisset, et quod eciam alias captivatus per quendam iudicem secularem propter certum furtum per ipsum commissum, de captivitate evaserat, quodque ipse Zazemas propter huiusmodi fornicacionem et huiusmodi ecclesia sua in Clum Pragensis diocesis erat privatus, prout apparebat in litteris apostolicis, quas dictus Wenzelaus dixit se habere, affirmando dictum Zazemam fore dignum suspendio, et quod de hoc ipse vellet respondere coram deo et hominibus.[1]) Et tandem, cum prefatus Zazemas eundem Wenzelaum rogasset, ut pro eo coram dictis consulibus intercederet, idem Wenzelaus respondit: ‚ego volo pro te intercedere, ut suspendaris; sed si confiteri volueris, ordinabo tibi presbyterum'. Demum vero, cum premissa essent notoria et manifesta, dicti consules tamquam simplices et iuris ignari credentes eundem Zazemam ex eo, quod ecclesia sua propter homicidium et fornicacionem huiusmodi per tres diffinitivas sentencias extitit privatus, nec tonsuram deferebat clericalem, fuisse eciam degradatum et sacerdotali dignitate privatum, et sic de consensu omnium predictorum consulum et iuratorum prefatus Zazemas ultimo supplicio puniendus extitit condemnatus, et deinde, postquam peccata sua confessus fuerat, per prefatum Lucam ad supplicium ductus extitit et ibidem capite truncatus. Deinde . . . . Wolframus archiepiscopus Pragensis de premissis mandavit inquisicionem fieri diligentem, et ipsa facta per certos commissarios, repperit premissa fore vera, prefatos consules, iuratos et Lucam excommunicavit et excommunicatos publice denunciari mandavit, et deinde ipsos ad certum tempus, videlicet ad ostensionem reliquiarum in Noua ciuitate Pragensi tunc futuram, ab huiusmodi sentenciis excommunicacionis, tam hominis, quam canonis, per ipsum latis, in quantum potuit, absolvit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, consules et iurati ac Lucas prefati de premissis dolentes ab intimis, cupiant ad ecclesie unitatem redire, pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis eorumque statui in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos attendentes, quod sedis apostolice clemencia non consuevit penitentibus veniam denegare, ... discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus prefatos consules, iuratos et Lucam et singulares personas dicti oppidi, si hoc humiliter pecierint, recepto prius ab eis et eorum singulis de stando nostris et Romane ecclesie mandatis iuramento, ab excommunicacione et aliis sentenciis et penis, tam ab homine, quam a iure in talia perpetrantes promulgatis, quas propter premissa incurrerunt, auctoritate nostra hac vice duntaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis ipsis et eorum cuilibet inter cetera sub virtute iuramenti per eos prestandi, quod de cetero similia non committant nec ea facientibus [prestent] auxilium, consilium vel favorem, ac penitencia salutari et aliis saltem occulte, que de iure fuerint iniungenda, ac aboleas omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos premissorum,

occasione contractam et nichilominus ipsos consules, iuratos et Lucam ac singulares personas huiusmodi in integrum et statum pristinum eadem auctoritate restituere procures. Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 90 fol. 39b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. Tingl, Libri confirm. a. 1393—99 p. 232, ubi legitur Michaelem de Broda Theutonicali 1395 Sept. 23 institutum fuisse ad ecclesiam in Chlum vacantem „ex eo, quod d. Sazema ultimus et immediatus ipsius ecclesie rector per tres sentencias diffinitivas eadem ecclesia privatus existit . . .., prout per executores Bonifacii pp. noni certitudinaliter sumus informati." Vide etiam Acta iudiciaria consistorii Prag. (ed. Tadra) III p. 63 et al., necnon supra nr. 927. Cf. Krofta, Zur Geschichte der husitischen Bewegung in Mittheil. des Inst. für öst. Gesch. XXIII (1902) p. 603.

1729. *Incolis oppidi Montium Cutnorum indulgetur, ut per litteras apostolicas extra diocesim Pragensem ad iudicium trahi nequeant.* „*Circumspecta sedis*" „*Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Marcii a. duodecimo.*"

Romae, 1401 Februarii 17.

R. Lat. 90 fol. 39a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — Ed. Čelakovský, Codex iuris municipalis II. p. 944 nr. 731.

1730. *Georgio de Bora mandatur, quatenus, si per eventum litis super parrochiali ecclesia in Řisut exortae et auctoritate ordinaria ei commissae neutri litigantium ius in dicta ecclesia competere ei constiterit, eandem ecclesiam Ogerio de Domanicz conferat.*

Romae, 1401 Februarii 19.

Bonifacius . . . . Georgio de Bora rectori ‚plebano' nuncupato parrochialis ecclesie in Chrustowicz Pragensis diocesis, decretorum doctori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Ogerius de Domanycz rector altaris s. Dorothee siti in ecclesia Pragensi . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ogerii peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Rzyssuch Pragensis diocesis per liberam resignacionem . . . . magistri Petri de Wserob scriptoris et familiaris nostri, per eum, quam tunc temporis obtinebat et ad hoc sufficientem per nostras litteras licenciam habebat,[1]) de illa in manibus . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis extra Romanam curiam sponte factam et per eundem archiepiscopum, eciam ad hoc per easdem litteras similem licenciam habentem et eciam potestatem, extra eandem curiam admissam, vacante, predictus archiepiscopus ipsam parrochialem ecclesiam sic vacantem, prout ex licencia et potestate huiusmodi potuit, dicto Ogerio contulit et de illa eciam providit, ac ipse Ogerius eandem parrochialem ecclesiam huiusmodi collacionis et provisionis vigore assecutus, eam per nonnullos dies tenuit pacifice et quiete, quodque

deinde orta inter ipsum Ogerium et . . . . Stephanum de Syetz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super dicta parrochiali ecclesia, qua ipse Ogerius se per eundem Stephanum contra iusticiam spoliatum extitisse, et quam quilibet ipsorum Ogerii et Stephani ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, prefatus archiepiscopus causam huiusmodi tibi auctoritate ordinaria audiendam commisit et fine debito terminandam, tuque inter partes ipsas ad nonnullos actus citra tamen conclusionem in causa huiusmodi diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio continebat, a nonnullis asseratur neutrum dictorum Ogerii et Stephani in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Ogerii et Stephani in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam ius competere, eandem parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Ogerio auctoritate nostra conferas et assignes . . . .;[2]) non obstantibus . . . ., quod idem Ogerius, ut asseritur, altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 166b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 725 [2]) A. 1401 Nov. 16 mag. Stephanus de Seč Syecz, baccalarius in sacra theologia, ad ecclesiam Ilisut institutus est (Libri conf. VI p. 57); cf. Tadra, Acta iudic. IV p. 51 et 59.

1731. *Archiepiscopo Tarentino et decano ac officiali ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Maczeo de Lamberto rectori ecclesiae s. Cypriani de Forcilla Neapolitanae, familiari apostolico, qui de nobili genere procreatus et clericus camerae apostolicae ac fructuum et proventuum eiusdem camerae in regno Poloniae ac provincia Gneznensi collector existit, praeposituram ecclesiae Crusviciensis Vladislaviensis dioc., quam ipse vigore apostolicae gratiae exspectativae acceptavit, auctoritate apostolica conferant, omnesque provisiones aliis quam dicto Maczeo de eadem praepositura forsan factae cassantur. „Grata dilecti“ „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Marcii pont. n. a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Februarii 19.

R. Lat. 86 fol. 267a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1732. *„Wenceslao episcopo Wratislauiensi mandat, quatenus auctoritate apostolica confirmare procuret Ruperto duci Sleziae permutationem quarundam parrochialium ecclesiarum suae dioc. inter ipsos factam. Datum Romae ap. S. Petrum X. calendas Martii a. XII.“*

Romae, 1401 Februarii 20.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro tertio de diversis formis a. XII fol. 174“ habetur in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 293a.

1733. *Archiepiscopo Pragensi et Cracouiensi ac Olomucensi episcopis mandatur, ne contra constitutionem Clementis papae IV. fratres ordinis minorum in provincia Bohemiae et Poloniae a rectoribus parrochialium ecclesiarum et clero molestari permittant.*

Romae, 1401 Februarii 21.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi et . . Cracouiensi ac . . Olomucensi episcopis . . . . Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri et custodum, guardianorum, lectorum et terminariorum fratrum ord. minorum provincie Boemie et Polonie secundum morem dicti ordinis peticio continebat, quod nonnulli plebani, rectores ecclesiarum parrochialium eorumque capellani dicte provincie quandoque palam predicant et eciam ad partem in privatis colloquiis suggerunt, quod dicti fratres, quantumcumque per superiores suos sint electi et ordinariis locorum post eleccionem eorum presentati, non possint infra limina seu extra in vita et mortis articulo sine parrochialium sacerdotum licencia libere et licite audire confessiones, absolvere penitentes et eisdem penitencias iniungere salutares, nonnulli eciam dictos fratres dudum presentatos et semel admissos gravant laboribus et expensis, quociens voluerint, amovent eos et ad diocesanos mittunt pro litteris afferendis ad officium antedictum, nonnulli eciam ex eisdem plebanis, rectoribus ac eorum capellanis publice prohibent fratres, ministrum, custodes, guardianos, lectores necnon terminarios predictos, ne in vita et mortis articulo audiant confessiones sibi confiteri volencium, dicentes se adiutorio non indigere eorundem, sed per se sufficere ad dictum officium exercendum, et si parrochiani eorum dictis fratribus confessi fuerint et per eos absoluti existant iuxta formam ecclesie consuetam, eos excommunicant et anathematizant ac eis infirmis et in extremis et mortis articulo positis denegant eucharistie sacramenta, confessis fratribus irreverenter non solemnizando exhibent, et ut eo amplius infirmi desperent, simboli proposicionem cum articulis fidei ipsis negare non verentur. Quare pro parte dictorum fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes premissa fore contra constitucionem dudum per fel. rec. Clementem papam IIII. predecessorem nostrum super hoc editam et cupientes cunctos orthodoxe fidei professores, viros presertim ecclesiasticos, sic ad invicem eciam quoad alios conversari, quod ex eorum verbis sive gestis nullius offendatur iusticia nullumque animarum detrimentum proveniat nec eciam cuiquam scandali materia preparetur, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dicti ordinis provincie Boemie supradictis fratribus [et] confessis, ut premittitur, eisdem efficacis defensionis presidio assistentes ac facientes constitucionem eandem quoad omnia eius capitula plenarie, prout iacet, firmiter et inviolabiliter observari, non [a]) permittatis contra tenorem ipsius memoratos fratres et confessos eisdem infra limina seu extra a predictis plebanis, rectoribus ecclesiarum et clero sive aliis molestari et sacramenta eisdem confessis in vita et mortis articulo quoquo modo denegari vel eis gravamina per discursus inutiles et periculosos ad diocesanos pro huiusmodi litteris aut alias iniurias quomodolibet irrogari, sed infirmis confessis fratribus, uti decet, cum solemnitate

consueta reverenter sacramenta exhiberi, facturi predictis et cuilibet predictorum de illatis et inferendis vexacionibus, molestacionibus et iniuriis ac gravaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iusticie complementum, ita quod officium presens et iurisdiccio vestra extunc perpetuata censeatur, molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores et rebelles, quandocunque et quociescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo . . . . Tenor vero dicte constitucionis talis est: Clemens . . . . dilectis filiis generali ministro et fratribus universis ord. fratrum minorum . . . . Quidam temere sencientes . . . . imprudenter presumunt asserere, quod de licencia vel commissione aut concessione Romanorum pontificum seu legatorum apostolice sedis vel ordinariorum locorum vos sine parrochialium sacerdotum licencia et assensu non potestis libere predicare populis, audire confessiones, absolvere penitentes ac penitencias iniungere salutares. Nos igitur . . . . declaramus, quod, si vobis detur licencia, committatur vel concedatur a legatis dicte sedis aut ordinariis locorum, nedum a Romanis pontificibus . . . ., libere predicare potestis, audire confessiones, absolvere vobis confitentes ac penitencias vobis confitentibus iniungere salutares, aliorum inferiorum prelatorum, rectorum ecclesiarum ac sacerdotum parrochialium licencia et assensu nullatenus requisitis . . . . Datum Perusii XII. kal. Julii pont. n. anno primo.[1]) — Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Marcii anno duodecimo.

R. Lat. 85 fol. 169[a] — [a]) ‚necnon' cod. — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — Ed. „ex registro pontificum lib. 2 fol. 69 [b] ap. **Balbin, Miscellanea, Dec. I lib. VI pars II p. 96; iterum editum ex originali archivii reg. Vratislaviensis ap. Volkmer und Hohaus, Geschichtsquellen der Grafschaft Glatz II p. 2.** — [1]) 1265 Junii 20. Haec constitutio Clementis IV ap. Potthast, Regesta pontificum Romanorum II sub nr. 19216 est annotata.

1734. *Judicibus mandatur, quatenus praepositum et capitulum ecclesie s. Petri Brunensis ad possessionem parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Brunna restituant.*

Romae, 1401 Martii 1.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi et . . . . abbati monasterii Zaberdouicensis Olomucensis ac . . officiali Patauiensis diocesis *(sic)* . . . . Humilibus supplicum votis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . prepositi et capituli ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim ipsi parrochialem ecclesiam s. Jacobi in Brunna dicte diocesis tunc certo modo vacantem vigore unionis, annexionis et incorporacionis de illa eidem ecclesie s. Petri auctoritate apostolica factarum canonice assecuti, eam aliquamdiu tenuissent et possedissent ac tenerent et possiderent pacifice et quiete, et . . . . abbatissa et conventus monasterii Vallis s. Marie de Oslauia cisterciensis ord. dicte diocesis, pretendentes dictam parrochialem ecclesiam ipsis et eorum monasterio auctoritate predicta unitam fore et incorporatam, nostras sub forma monitorii ad . . . . abbatem monasterii Scotorum in Wyenna Patauiensis diocesis,

eius proprio nomine non expresso, et duos alios eius in hac parte collegas, impetrassent,[1]) prefatus abbas solus ad execucionem litterarum procedens earundem, prout ex ipsarum forma se posse dicebat, nonnullos pretensos processus fecit, per quos inter cetera eosdem prepositum et capitulum ac singulares personas ex eodem capitulo ac alios eis adherentes monuit et sub excommunicacionis et privacionis beneficiorum suorum ecclesiasticorum, que obtinebant, necnon inhabilitacionis ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda necnon certis penis aliis et sentenciis mandavit eisdem, ut infra certum terminum tunc expressum corporalem, realem et actualem possessionem parrochialis ecclesie predicte eisdem abbatisse et conventui libere et omnino dimitterent et ab ipsius parrochialis ecclesie occupacione penitus desisterent, alioquin huiusmodi penas et sentencias in dictis processibus contentas incurrerent eo ipso. A quibus quidem processibus, monicione et mandato pro parte dictorum prepositi et capituli, sencienciam exinde indebite se gravari, infra dictum terminum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Sed prefatus abbas, appellacione huiusmodi, infra cuius prosecucionis tempus, de quo non modicum supererat, ipsi prepositus et capitulum existebant, contempta, eosdem prepositum, capitulum, canonicos, personas et adherentes penas et sentencias in dictis processibus contentas per suam sentenciam declaravit incidisse ac eos ut tales mandavit et fecit publice nunciari et nichilominus s. Petri et s. Jacobi ecclesias predictas ecclesiastico subiecit interdicto, prefateque abbatissa et conventus eosdem prepositum et capitulum dicta appellacione sic pendente eadem ecclesia s. Jacobi et eius possessione violenter et de facto spoliarunt in non modicum ipsorum prepositi et capituli preiudicium et gravamen. Quare pro parte dictorum prepositi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc providere de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod iniuste spoliatis est restitucionis beneficio succurrendum, huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . super premissis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta auctoritate nostra vos informetis, et si per informacionem huiusmodi appellacionem predictam infra eundem terminum interpositam et premissa post appellacionem eandem per prefatum abbatem attemptata fuisse reppereritis, ut prefertur, prefatos prepositum, canonicos et capitulum ac personas et adherentes huiusmodi sentencias et penas in dictis processibus et monicione contentas et expressas aut earum aliquam minime incurrisse nec illis fuisse seu esse quoquo modo ligatos auctoritate prefata decernatis et declaretis, eosdem prepositum et capitulum necnon personas et adherentes, quos dicti processus concernunt, ad cautelam ab huiusmodi excommunicacionis et suspensionis statutis et iuramentis ac inhabilitacionibus et aliis penis et sentenciis, si quas forte incurrerunt ex premissis vel aliis aut aliquo premissorum, et si hoc humiliter pecierint, eadem auctoritate absolvatis, interdictum huiusmodi relaxando; et nichilominus prepositum, capitulum necnon personas et adherentes prefatos in pristinum et eum statum, in quo erant tempore appellacionis antedicte, necnon ad possessionem eiusdem ecclesie s. Jacobi auctoritate predicta ac eciam mediante presidio . . . . nobilis viri Jodoci marchionis Morauie, sub cuius diccione et dominio temporali eadem ecclesia s. Jacobi consistit, et qui eciam nobis super premissis, ut tollantur

scandala inter partes predictas, per suas patentes litteras humiliter supplicavit, restituere et reintegrare curetis, mandantes eisdem abbatisse et conventui, ut infra certum terminum, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, possessionem dicte ecclesie s. Jacobi, eciam si super ea inter ipsos prepositum et capitulum ex una ac abbatissam et conventum ex altera seu quoscunque alios lis .... pendeat indecisa, eisdem preposito et capitulo liberam et expeditam omnino dimittant et ab eius occupacione penitus desistant, ac facientes dictis preposito et capitulo de ipsius ecclesie s. Jacobi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi: et insuper si abbatissa et conventus predicte mandatis vestris infra huiusmodi terminum eis per vos, ut premittitur, prefigendum non paruerint cum effectu, predictas et quascunque alias litteras ipsis abbatisse et conventui super dicta ecclesia s. Jacobi per nos concessas et quecunque inde secuta auctoritate prefata cassetis, irritetis et annulletis ac cassas, irritas et nullas nuncietis, contradictores etc. invocato ad hoc etc. Nos enim eisdem preposito et capitulo auctoritate apostolica concedimus, quod huiusmodi possessio per ipsos taliter adipiscenda per modum attemptatorum ne queat revocari, non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri quam aliis constitucionibus apostolicis necnon predictis et quibuscunque aliis litteris eisdem abbatisse et conventui sub quacunque forma vel concepcione verborum concessis, eciam si de illis earumque totis tenoribus cum expressione tocius oracionis dominice et ‚ave Maria' in presentibus de verbo ad verbum habenda esset mencio specialis .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 94 fol. 253ª et iterum R. Lat. 88 fol. 183ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; nota registratoris in fine utriusque copiae deest. — [1]) Cf. nr. 1608.

1735. *Judicibus motu proprio mandatur, quatenus Bohusio Albo prioratum s. Mariae in pede pontis Pragensis domus s. Johannis Jerosolimitani conferant.*

Romae, 1401 Martii 1.

Bonifacius ... Tarentino et Pragensi archiepiscopis et .... abbati monasterii Brenouiensis prope Pragam .... Religionis zelus, vite ac morum honestas .... super quibus .... Bohussius Albus preceptor hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Manitina Pragensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... prioratus s. Marie in pede pontis Pragensis Minoris ciuitatis domus s. Johannis Jerosolimitani, quem quondam Herssonus de Swereticz ipsius prioratus prior .... obtinebat, per ipsius Herssoni obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes dicto Bohussio, qui, ut asseritur, a nonnullis fratribus dicti hospitalis extitit de facto electus et in ipsius prioratus possessionem inductus ...., graciam facere specialem, motu proprio .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... prioratum predictum, cuius fructus .... ducentarum marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Bohussio auctoritate nostra conferre et assignare curetis .... Volumus autem, quod, antequam dicto Bohussio de dicto prioratu prouideatis, si in ipsius possessione, ut

premittitur, fuerit inductus, prioratum ipsum realiter et omnino dimittat . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 82ᵇ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO, IDEM ECIAM QUOAD CORRECCIONEM, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1736. *Abbati monasterii s. Vincentii Vratislaviensis mandatur, quatenus Johanni Creydel perpetuam vicariam ecclesiae Vratislaviensis conferat.*

Romae, 1401 Martii 6.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque, sicut accepimus, perpetua vicaria ecclesie Wratislauiensis per liberam resignacionem . . . . Leonardi Johannis Steubonis tunc ipsius ecclesie perpetui vicarii, per eum de illa coram certis notario publico et testibus extra Romanam curiam sponte factam, vacaverit et vacet ad presens, nos huiusmodi resignacionem ratam habentes et gratam ac volentes . . . . Johannem Creydel rectorem altaris s. Lazari siti in parrochiali ecclesia in Sweydnicz Wratislauiensis diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . perpetuam vicariam predictam, que sine cura est, et cuius fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Johannes, ut asserit, altare predictum necnon perpetuam vicariam in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Marcii a. duodecimo.

R. Lat 96 fol. 214ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

1737. *Abbatissae et conventui monasterii in Pustiměř ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. licentia eligendi confessorem conceditur. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum nonis Marcii pont. n. a. duodecimo."*

Romae, 1401 Martii 7.

Ed. in Cod. dipl. Mor. XIII p. 107 nr. 97.

1738. *Ecclesiam collegiatam s. Nicolai Ottmuchoviensem*[a]) *Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitatibus ss. Nicolai et Stanislai pontificum) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris per-*

petuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Marcii a. duodecimo.“

Romae, 1401 Martii 8.

R. Lat. 87 fol. 86b — a) ‚Othmuchoniens.‘ — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1739. *Capellam s. Crucis in Vansor*[a]) *Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitatibus exaltationis et inventionis s. crucis) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Marcii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Martii 8.

R. Lat. 87 fol. 86b — a) ‚Wansaw‘ — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1740. *Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao de Olomucz decanatum ecclesiae Cremsirensis, super quo Venceslaus patriarcha Anthiocenus et Daliborius de Honzowicz diutius litigabant, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Martii 14.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . Pragensi ac . . Olomucensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus de Olomucz canonicus ecclesie Cremsyrensis Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Ad nostri siquidem nuper pervenit noticiam, quod olim decanatu eiusdem ecclesie, quem quondam Johannes Stephani . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum . . . . vacante, ... Wenczeslaus patriarcha Anthiocenus vigore quarundam litterarum [nostrarum], per quas dudum sibi de uno, duobus, tribus seu pluribus aut tot beneficiis ecclesiasticis . . . ., quod eorum valor ad summam duorum milium florenorum auri . . . . [annuatim] ascenderet, ... ad cuiuscunque seu quorumcunque seu quarumcunque collatorum et collatricum Pragensium, Saltzeburgensium et Wratislauiensium civitatum et diocesium ac Pragensis et Saltzeburgensis provinciarum collacionem . . . . pertinentibus, ... vacantibus aut . . . vacaturis, mandavimus provideri, ipsumque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficium seu beneficia eciam cum simili aut alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus tunc actu impresenciarum existentibus . . . . voluimus anteferri,[1]) necnon . . . . Daliborius de Honezowicz canonicus ecclesie Olomucensis vigore aliarum litterarum nostrarum, per quas sibi de uno, duobus, tribus aut quatuor beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si canonicatus et prebende ac duo ipsorum dignitates vel personatus seu officia

cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales vel in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales forent, cuius seu quorum fructus . . . . ,si ipsum unum vel duo cum cura, octuaginta, si vero sine cura foret seu forent, quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque seu . . . . quorumcunque seu quarumcunque collacionem . . . . pertinentibus, in Pragensibus et Wratislauiensibus ac Olomucensibus civitatibus et diocesibus . . . . vacantibus, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aut quatuor aliquod seu aliqua per liberam resignacionem apud sedem apostolicam seu eius auctoritate faciendam vacare contingeret, aut alias disposicioni apostolice reservatum seu reservata foret seu forent, eciam si ex personis capellanorum aut nunciorum seu familiarium sedis predicte seu fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectorum seu succollectorum aut apostolicarum abbreviatorum aut earundem seu penitenciarie nostre litterarum scriptorum aut per assecucionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum apostolica auctoritate collatorum seu conferendorum . . . . vacarent aut alias disposicioni apostolice specialiter vel alias generaliter . . . . reservata . . . . forent, mandavimus provideri, ipsumque eciam inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra vel alicuius facultatis super conferendis canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis per nos concesse eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa in genere vel in specie . . . . huiusmodi beneficia expectantibus, eciam illis, quibus per nos forsan esset concessum vel imposterum concedi contingeret, quod gracie cum huiusmodi clausula antelacionis quibuscunque concesse vel concedende eis . . . . preiudicare non possent, et eciam familiaribus quorumcunque nunciorum sedis apostolice in illis partibus deputatorum et aliis personis nominatis et nominandis per sedem predictam vigore litterarum facultatis de conferendis ipsis concesse vel imposterum concedende . . . ., gracias expectativas in illis partibus habentibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus nobis domestice famulantibus . . . . [voluimus] anteferri ; et per quas eciam decrevimus et declaravimus, quod per aliquas gracias super canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis per nos alicui vel aliquibus factas vel faciendas, quoad assecucionem . . . . beneficiorum huiusmodi . . . . eidem Daliborio non intendisse seu intendere in aliquo derogare, nisi in eis de prefatis litteris ipsius Daliborii de verbo ad verbum ac de ipsius nomine et cognomine propriis plena et expressa mencio haberetur, quilibet videlicet ipsorum dictum decanatum, sic vacantem et ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . decani et capituli ipsius ecclesie Cremsirensis . . . . pertinentem, infra tempus legitimum acceptarunt et de eo sibi provideri fecerunt, ipseque patriarcha decanatum ipsum vigore acceptacionis et provisionis predictarum extitit assecutus. A quibus quidem acceptacione et provisione necnon assecucione predictis dicti patriarche pro parte dicti Daliborii fuit ad sedem predictam appellatum. Et deinde cum a nonnullis assereretur, dictas acceptacionem et provisionem prefati patriarche et alia inde secuta . . . . viribus non subsistere . . . ., nos prefato patriarche de huiusmodi decanatu, sive ut prefertur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque

persona vacaret, eciam si alicui et presertim prefato Daliborio seu . . Petro Durnholtz aut alteri cuicunque foret aut esset ius quesitum in dicto decanatu seu ad eum, per quasdam alias nostras litteras motu proprio . . . . graciose mandavimus provideri, et per quas eciam motu simili et ex certa sciencia declaravimus nostre intencionis et voluntatis fuisse prefato patriarche duntaxat et nulli alteri de dicto decanatu voluisse et velle graciam fecisse vel facere, ipsumque patriarcham omnibus aliis . . . ., eciam si forent sedis predicte nuncii, capellani et familiares domestici continui commensales, quibus forsan per nos seu auctoritate nostra motu et sciencia similibus de dicto decanatu sub presentis vel precedentis aut alterius cuiuscunque diei data . . . . foret provisum aut mandatum seu concessum provideri, et eciam illi vel illis, qui vigore aliarum quarumvis litterarum nostrarum et graciarum, eciam motu et sciencia similibus cum quavis antelacionis prerogativa de dignitatibus, personatibus vel officiis eis concessarum, dictum decanatum forsan aeceptassent et de illo sibi obtinuissent provideri, et presertim predictis Daliborio vel Petro seu quibuscunque aliis, eciam si ipsis vel eorum alicui concessum foret, quod gracie prerogative antelacionis aliquibus concesse vel concedende eis preiudicare non deberent, et eciam si in favorem Daliborii vel Petri predictorum aut aliorum quorumcunque declaravissemus acceptaciones et provisiones de dicto decanatu eidem patriarche et quibuscunque . . . . factas viribus non subsistere, ipsisque Daliborio vel Petro et quibuscunque aliis concessissemus per quascunque gracias aliis personis factas eis non debuisse seu debere in aliquo derogari, nisi in eis de nominibus et cognominibus propriis ac graciis Daliborii vel Petri predictorum seu quorumcunque aliorum ac ipsorum et quorumcunque aliorum graciis . . . . specialis et expressa ac de verbo ad verbum mencio haberetur, in assecucione dicti decanatus ea vice debuisse et debere anteferri, et nichilominus provisiones, concessiones et mandata necnon acceptaciones et provisiones huiusmodi . . . . eisdem Daliborio vel Petro aut aliis quibuscunque auctoritate, motu et sciencia similibus forsan factas et facta extunc revocavimus . . . ., huiusmodi ultimas et alias litteras nostras eidem patriarche, ut prefertur, concessas, eciam si beneficia, que idem patriarcha ipsarum litterarum . . . . vigore acceptaverat et de quibus sibi fecerat provideri, predictam summam duorum milium florenorum auri valorem annuum . . . . excederent, in sui roboris firmitate remansisse et remanere ac suum effectum sortiri debuisse et debere voluimus et mandavimus . . . ., constitucionibus, declaracionibus et ordinacionibus apostolicis et presertim declaracione nostra, qua declaravimus, quod, si de aliquo beneficio provideremus et mandaremus seu concederemus provideri alicui familiari nostro et eadem die alteri non familiari, quod familiaris alteri preferretur, si vero familiari domestico continuo et commensali et alteri familiari non domestico continuo et commensali, quod familiaris domesticus continuus et commensalis alteri non familiari domestico et continuo commensali preferretur, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Et successive eodem decanatu per liberam resignacionem ipsius patriarche per eum, qui in possessione dicti decanatus existebat, de illo per . . . . Nicolaum Henselini rectorem parrochialis ecclesie in Budecz Pragensis diocesis, procuratorem ipsius patriarche, in manibus nostris apud dictam sedem sponte factam et per nos admissam, apud sedem eandem vacante, nos de dicto decanatu . . . prefato Nicolao per alias

nostras litteras graciose duximus providendum[2]), certis eidem patriarche et Daliborio ac Nicolao executoribus deputatis, prout in omnibus predictis litteris plenius continetur. Cum autem hodie dictus Daliborius, volens parcium hinc inde laboribus parcere et expensis, dicto decanatui necnon omni iuri sibi in eo seu ad eum quomodolibet competenti eciam coram certis notario publico et testibus apud sedem apostolicam cesserit et renunciaverit et a nonnullis asseratur prefatas litteras, per quas dicto Nicolao de decanatu ipso providimus, ut prefertur, viribus non subsistere . . . ., nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . decanatum predictum, cuius fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, ... eidem Nicolao . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Marcii a. duodecimo.

R. Lat 95 fol. 140b — Supra in marg. sin.: A. PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1146. [2]) Cf. nros. 1640 et 1667.

1741. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus litteras apostolicas super incorporatione ecclesiarum in Nepomuk, Vrčan, Blovicz ac Zdemyslicz monasterio in Nepomuk, si fructus dictorum monasterii et ecclesiarum maioris valoris annui esse reppererit, quam in ipsis litteris est expressum, auctoritate apostolica casset, dictamque ecclesiam in Blovicz Johanni de Darmyšl conferat.*

Romae, 1401 Martii 15.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Jacobi de Darmissl clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem, videlicet secundo idus Novembris pontificatus nostri anno primo[1]), eidem Johanni de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii s. Marie in Nepomuk cisterciensis ord. dicte diocesis pertinente, vacante vel vacaturo, per nostras litteras graciose mandavimus provideri. Et deinde, videlicet septimo kalendas Februarii pont. n. anno undecimo[2]), s. Jacobi in Pomuk et s. Laurencii in Wrczano ac in Blowicz necnon in Stymyssliez dicte diocesis parrochiales ecclesias, que de iure patronatus dicti monasterii existebant, prout existunt, et quarum quinquaginta. . . . ., eidem monasterio, cuius quingentarum marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum, ut ipsi abbas et conventus asserebant, non excedebant, per alias nostras litteras incorporavimus, annexuimus et univimus . . . ., ita tamen, quod curam animarum predictarum ecclesiarum per ydoneos monachos dicti monasterii . . . . gubernari . . . . facerent . . . .[3]) Et subsequenter, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, cum ipse vigore dictarum litterarum sibi, ut prefertur, concessarum ecclesiam in Blowicz prefatam, quam quondam Johannes ultimus ipsius ecclesie in Blowicz rector . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantem et ad collacionem seu presentacionem dictorum abbatis et conventus communiter pertinentem, infra tempus legitimum acceptasset et de ea sibi provideri seque in eius posses-

sionem induci obtinuisset, ac abbas et conventus prefati, se gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam opponentes, impedivissent et impedirent, quominus ipse Johannes eandem ecclesiam in Blowicz potuisset sive posset pacifice possidere, tandem partes ipse pro bono pacis et concordie in te, officialem Pragensem, tamquam in iudicem ordinarium sub certa pena super premissis compromittere curaverunt. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, littere prefate eisdem abbati et conventui, ut premittitur, concesse ex eo invalide et nulle censeantur, quod tam ecclesiarum quam eciam monasterii predictorum fructus .... huiusmodi longe maioris annui valoris existunt, quam in eisdem litteris est expressum, pro parte ipsius Johannis nobis humiliter fuit supplicatum, ut alicui probo in illis partibus, qui se de premissis informaret, et si per informacionem eandem huiusmodi fructus .... ecclesiarum et monasterii predictorum longe maioris annui valoris, quam in dictis litteris ipsis abbati et conventui, ut prefertur, concessis fore reperiret, easdem litteras invalidas et nullas fore ipsosque abbatem et conventum nullum ius in ipsa ecclesia in Blowicz vel ad eam habuisse seu habere declararet, committere .... dignaremur. Nos igitur .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus vocatis dictis abbate et conventu et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris fructus .... huiusmodi tam ecclesiarum quam monasterii predictorum longe maioris annui valoris existere, quam in ipsis litteris eisdem abbati et conventui, ut premittitur, concessis est expressum, litteras ipsas .... invalidas et nullas ipsosque abbatem et conventum nullum ius in dicta ecclesia in Blowicz seu ad eam habuisse seu habere auctoritate predicta decernas atque declares, ac nichilominus, si huiusmodi declaracionem per te fieri contigerit, ut prefertur, eandem ecclesiam in Blowicz, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti .... valorem annuum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, ... eidem Johanni .... eadem auctoritate conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. duodecimo.

R. Lat. 87 fol. 2[1] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) 1389 Nov. 12 [2]) 1400 Januarii 26 [3]) Cf. nr. 1544.

1742. *Archiepiscopo Pragensi et episcopo Tudensi ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Dancquardo Clencze canonico Lubicensi, magistro in artibus,*[1]) *parrochialem ecclesiam b. Mariae in Wismar*[a]) *Razeburgensis dioc., cuius unio ecclesiae Razeburgensi praemonstratensis ord. praesentibus litteris cassatur, conferant. „Litterarum sciencia“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Aprilis pont. n. a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Martii 18.

R. Lat. 69 fol. 68[a] — [a]) „Wysmer“ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N.-C-DE BENEVENTO. — [1]) Danquardus Clencze a. 1387 in universitate Pragensi ad gradum magisterii in artibus admissus est. (Monum. univ. Prag. I. I p. 256.)

1743. *Episcopus Poznaniensis et abbas s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses*[a]) *ac praepositus Glacensis*[b]) *per praepositum soliti gubernari Pragensis dioc. monasteriorum conservatores magistri Nicolai de Glivicz*[c]) *canonici ecclesiae Vratislaviensis, scriptoris et familiaris apostolici, usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Aprilis a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Martii 25.

R. Lat. 92 fol. 274[r] – [v]) ‚Wladislauien' (sic) [b]) ‚Glocen' [c]) ‚Glywicz'. – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1744. *Episcopo Pacensi mandatur, quatenus processus in causa super vicaria parrochialis ecclesiae in Alta Muta contra Venceslaum Misera eiusque adhaerentes habitos aggravet.*

Romae, 1401 Martii 28.

Bonifacius . . . . Petro episcopo Pacensi in Romana curia commoranti . . . . Dudum . . . . Jacobo Martini perpetuo vicario et plebano parrochialis ecclesie in Alta Muta Luthomuslensis diocesis de dicta vicaria, tunc per obitum quondam Johannis Hanko ipsius vicarie rectoris, qui apud sedem apostolicam decesserat, vacante et inantea disposicioni apostolice reservata, auctoritate apostolica per nostras litteras duximus providendum.[1]) . . . . Guillelmo episcopo Anconitano, ipsius proprio nomine non expresso, et duobus aliis suis in hac parte collegis eidem Jacobo super hoc per alias nostras litteras executoribus deputatis . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, prefatus episcopus solus in huiusmodi causa seu execucionis negocio procedens, prout ex forma dictarum litterarum poterat, nonnullos processus fecit in talibus fieri consuetos, monendo inter cetera omnes et singulos, quorum intererat vel interesse poterat, ut infra certum terminum peremptorium tunc expressum predictam vicariam et eius possessionem predicto Jacobo libere dimitterent et eidem Jacobo de fructibus, redditibus et proventibus ipsius vicarie responderent et responderi facerent, quantum in eis esset,[1] [in] contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgando, et licet huiusmodi processus ad indubitatam noticiam Wenceslai Misera, qui se gerit pro presbytero Luthomuslensis diocesis, iudicis et iuratorum et aliorum parrochianorum utriusque sexus dicte ecclesie ceterorumque clericorum et laicorum dicte diocesis pervenissent, tamen Wenceslaus predictus cum auxilio et favore predictorum laicorum vicariam predictam occupavit, prout occupat, predictique Wenceslaus, iudex et iurati ceterique lanifices (*sic*) impediverunt, prout impediunt, ac fecerunt et faciunt, quominus prefatus Jacobus eandem vicariam et eius possessionem potuerit et possit pacifice assequi, predictas sentencias damnabiliter incurrendo; et quamvis postmodum . . . . Martinus episcopus Narracensis, cui idem episcopus Anconitanus super premissis commiserat vices suas, donec eas ad se duxerit revocandas, prefatum Wenceslaum, iudicem et iuratos ceterosque presbyteros, clericos et laicos canonice monuerit, ut ab huius

modi impedimentis infra certum terminum peremptorium competentem tunc expressum desisterent, quia tamen ipsi Wenceslaus, iudex et iurati infra dictum terminum vel eciam post ab huiusmodi impedimentis desistere contumaciter non curaverunt, prefatus episcopus Narracensis eidem Wenceslao ceterisque presbyteris, clericis et laicis ad hoc legitime vocatis per suam sentenciam declaravit huiusmodi excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias dampnabiliter incurrisse, dictosque processus legitime [ag]gravavit, sed prefati Wenceslaus, iudex et iurati ceterique presbyteri, clerici et laici in reprobum sensum dati, ac spretis huiusmodi monicionibus, sentenciis, processibus ac aggravacionibus vilipensis, easdem sentencias diucius sustinuerunt, prout sustinent, animis induratis . . . . Quare pro parte dicti Jacobi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus tam per dictos Anconitanum quam Narracensem episcopos super hiis legitimis servatis processibus, [eos], quocienscumque opus fuerit, aggraves, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. duodecimo.

R. Lat. 90 fol. 85v. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XII DE BENEVENTO. — [1] Cf. autem nr. 354.

1745. *Judicibus motu proprio mandatur, quatenus, si Mezlaum de Mazovia canonicatus et praebendas Cracoviensis et Vratislaviensis ecclesiarum illegitime assecutum fuisse invenerint, eosdem canonicatus et praebendas Johanni Ruteni conferant.*

Romae, 1401 Martii 29.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . preposito ac scolastico ecclesie Wratislauiensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Ruteni canonicus Pramisliensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem nobis innotuit, quod olim canonicatibus et prebendis Cracouiensis et Wratislauiensis ecclesiarum certis modis vacantibus Mezlaus Ade de Mazowia presbyter Cracouiensis diocesis vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma se posse dicebat, eosdem canonicatus et prebendas alias infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit, illosque extitit assecutus. Cum autem, sicut accepimus, idem Mezlaus tempore acceptacionis et provisionis huiusmodi ad instanciam . . . . Nicolai Friczkonis rectoris parrochialis ecclesie in Opatowecz dicte diocesis Cracouiensis fuerit auctoritate apostolica maioris excommunicacionis sentencia innodatus et ut talis publice denunciatus, et propterea acceptacio et provisio huiusmodi viribus non subsistant, ipsique canonicatus et prebenda eo modo, quo dictus Mezlaus illos extitit assecutus, adhuc vacare noscantur, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . ., si vocatis prefato Mezlao et aliis, qui fuerint evocandi, premissa per summariam informacionem inveneritis ita esse, canonicatus et prebendas predictos, quorum fructus . . . . triginta octo marcharum argenti . . . .

valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. duodecimo.

R. Lat. 84 fol. 75ᵃ. Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

1746. *Johanni Wirt de Resehl*[a]) *clerico Varmiensis dioc., cui dudum (1400 Januarii 10) unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, vacantia vel vacatura, ad collationem Vratislaviensis et Varmiensis episcoporum et praepositorum, decanorum, archidiaconorum, scholasticorum et capitulorum Vratislaviensis et Varmiensis ecclesiarum pertinentia, reservata sunt, conceditur motu proprio, ut in assecutione huiusmodi beneficiorum omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos actu domesticos continuos commensales anteferatur.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Aprilis 1.

R. Lat. 89 fol. 134ᵃ — a) ‚Resil' — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1747. *Ludovico Creycz de Nissa providetur de canonicatu ecclesiae Vratislaviensis sub exspectatione praebendae necnon dignitatis, personatus seu officii.*

Romae, 1401 Aprilis 5.

Bonifacius . . . . Ludouico Czeitz (*sic*) de Nysa canonico Wratislauiensi, bacallario in decretis . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislauiensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ipsius ecclesie necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura in eadem vel in aliqua ex collegiatis civitatis et diocesis Wratislauiensium, eciam si dignitas ipsa in Wratislauiensi maior post pontificalem vel in aliqua ex collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . capituli dicte Wratislauiensis ecclesie . . . . pertinentes seu pertinencia, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens, vel cum illas vel illos seu illa simul aut successive vacare contigerit . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ipsa Wratislauiensi ecclesia receptis vel prebendas ac dignitates vel personatus seu officia huiusmodi expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, ecclesiam parrochialem in Coppernik necnon canonicatum et prebendam in collegiata s. Nicolai Othmuchouiensi ac s. Catherine in Nysa

et ss. Marie Magdalene, Elizabet et Hedwigis in predicta Wratislauiensi et b. Marie virginis in monasterii s. Jacobi Wiennensis ecclesiis altaria necnon capellam b. Barbare infra septa monasterii Neuenburgensis, que omnia sine cura sunt, Wratislauiensis diocesis (!) nosceris obtinere.[1]) Nos enim tecum, ut huiusmodi dignitatem vel personatum seu curatum officium huiusmodi, quam vel quem seu quod vigore presencium tibi conferri contigerit . . . ., recipere et una cum predicta parrochiali ecclesia usque ad unum annum retinere . . . . valeas, ... auctoritate apostolica . . . . dispensamus, ita tamen, quod alteram seu alterum ex ecclesia parrochiali aut dignitate vel personatu seu curato officio huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili intra huiusmodi annum permutare, alioquin illam vel illum seu illud ex ecclesia aut dignitate vel personatu seu curato officio huiusmodi, quam vel quem seu quod malueris, ... omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis a. duodecimo

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . scolastico ecclesie Wratislauiensis ac . . officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 94 fol. 102a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS, in fine: DE MANDATO JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 270.

***1748**. Cum Venceslao de Olomucz dispensatur, ut archidiaconatum Bechynensem una cum parrochiali ecclesia in Frainspitz ad vitam suam retinere possit.*

Romae, 1401 Aprilis 9.

Bonifacius . . . . Wenczeslao Nicolai de Olomucz rectori parrochialis ecclesie in Frenspicz Olomucensis diocesis, bacallario in decretis . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes igitur te . . . . favoribus prosequi graciosis, motu proprio . . . tecum, qui, ut asseritur, archidiaconatum Bechinensem in ecclesia Pragensi in Romana curia litigando sentencialiter evicisti,[1]) ut eundem archidiaconatum, qui dignitas curata est, cuiusque sexaginta, recipere et una cum parrochiali ecclesia in Frenspicz Olomucensis diocesis, cuius viginti quatuor marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, quam obtines, quoad vixeris, retinere ac parrochialem ecclesiam et archidiaconatum huiusmodi simul vel successive . . . . tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, eciam si utrumque beneficiorum huiusmodi vel alterum eorum dignitas vel personatus seu officium cum cura vel sine cura in metropolitana vel cathedrali seu collegiata, et dignitas huiusmodi in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem seu in collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad illam illum vel illud consueverit quis per eleccionem assumi, ... recipere et eciam, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas . . . ., auctoritate apostolica . . . . de speciali gracia dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 58b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1291—1293.

***1749**. Judicibus mandatur, quatenus sententias, quae in palatio apostolico in causa super parrochiali ecclesia in Netvoricz latae fuerunt, executioni demandantes, Hrochonem de Jamny in corporalem possessionem eiusdem ecclesiae inducant.*

Romae, 1401 Aprilis 10.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . decano s. Egidii Pragensis ac scolastico s. Petri Wissegradensis prope Pragam ecclesiarum . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . Hrochonis de Jampni rectoris parrochialis ecclesie in Networzitz Pragensis diocesis peticio continebat, quod, licet olim ipse ad dictam ecclesiam per obitum quondam Bohunconis eiusdem ecclesie rectoris a vero patrono ipsius ecclesie . . . . Nicolao Puchnik vicario in spiritualibus generali . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis infra tempus legitimum presentatus fuisset canonice, ipsaque ecclesia sibi vigore presentacionis huiusmodi deberetur, tamen Stephanus de Stankow, pro plebano in Hrob dicte diocesis, et Wenceslaus Doberman, pro canonico Wissegradensis extra muros Pragenses ecclesiarum se gerentes et falso asserentes dictam parrochialem ecclesiam ad eorum quemlibet de iure spectare, necnon ipsi et Nicolaus Temeritz miles et Anna ipsius militis mater, mulier predicte diocesis, presentacioni huiusmodi contra iusticiam se opponentes, impediverunt, prout impediunt, et fecerunt et faciunt, quominus dicta presentacio debitum sortita fuerit et sorciatur effectum, et quominus idem Hrocho in dicta ecclesia institueretur; ortaque propterea inter eosdem Hrochonem ex una et Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temericz et Annam super dicta parrochiali ecclesia et eius occasione coram . . . . Jaroslao de Porzyessin canonico ecclesie Pragensis, cui prefatus vicarius causam ipsam . . . . commiserat . . . ., non ex delegacione apostolica, partibus ex altera materia questionis: [1]) idem Jaroslaus perperam in huiusmodi causa procedens, suam, ut dicebat, diffinitivam contra eundem Hrochonem sentenciam promulgavit iniquam. A qua quidem sentencia pro parte dicti Hrochonis fuit ad dictum archiepiscopum appellatum. Et deinde, postquam . . . . Adam de Nezetiz archidiaconus Gradicensis in ecclesia Pragensi predicta, cui idem archiepiscopus causam appellacionis huiusmodi et negoci[i] principalis ad dicti Hrochonis instanciam commiserat . . . ., ad nonnullos actus processerat, eandem causam ad apostolice sedis examen remisit, nosque causam eandem ad eiusdem Hrochonis instanciam . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc capellano nostro et palacii apostolici causarum auditori, ... commisimus . . . .; qui ad instanciam magistri Rotgeri Balhorn eiusdem Hrochonis procuratoris contra prefatos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad nonnullos citacionis actus in causa huiusmodi in audiencia publica, ut moris est, processit, et deinde per dictum Rotgerum ad probandum causam huiusmodi ad Romanam curiam fore devolutam coram eodem episcopo, tunc auditore, nonnullis autenticis litteris et instrumentis publicis in iudicio productis, idem episcopus, tunc auditor, quia per producta huiusmodi sibi constitit causam huiusmodi fore ad eandem curiam devolutam et apud eam tractari et finiri debere, ad dicti Rotgeri instanciam eosdem Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad dandum et recipiendum libellum ac prestandum ac per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi in dicta audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios

competentes. In quibus dictus Rotgerus . . . . comparens, predictorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusavit et in eorum contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius episcopi, tunc auditoris, presencia prestitit iuramentum . . . . , idemque episcopus, tunc auditor, ad eiusdem Rotgeri instanciam prefatos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad dandum et per alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, in dicta audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. Et deinde, cum prefatus episcopus, tunc auditor, a dicta curia tunc animo redeundi ad eam se absentasset, nos . . . . magistro Jacobo de Aquila capellano nostro et dicti palacii causarum auditori, quousque idem episcopus, tunc auditor, ad eandem curiam rediret, commisimus audiendam; coram quo prefatus Rotgerus in iudicio comparens, predictorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusavit et in eorum contumaciam quosdam posiciones et articulos dedit pro parte sua . . . . . idemque Jacobus auditor ad eiusdem Rotgeri instanciam predictos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos quidquid vellent in audiencia predicta citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo prefatus Rotgerus coram prefato episcopo, tunc auditore, qui tunc ad eandem curiam reversus erat, in iudicio comparens, predictorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusavit, memoratus[que] episcopus, tunc auditor, ad eiusdem Rotgeri instanciam sepedictos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse uti vellent in huiusmodi causa, in dicta audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo prefatus Rotgerus in iudicio comparens, sepedictorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusavit et in eorum contumaciam nonnullas litteras autenticas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit, idemque episcopus, tunc auditor, ad eiusdem Rotgeri instanciam memoratos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad dicendum contra eadem producta quicquid vellent, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, in dicta audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dicto Rotgero . . . comparente et prefatorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusante et in huiusmodi causa concludi petente, sepedictus episcopus, tunc auditor, reputans eosdem Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam . . . . merito contumaces, in eorum contumaciam [cum] prefato Rothero in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc dato, et ad instanciam eiusdem Rotheri prenominatos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad suam in huiusmodi causa difinitivam sentenciam audiendam citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Rothero . . . . comparente ac predictorum Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusante et in eorum contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepefatus episcopus reputans eosdem citatos . . . . merito

contumaces, in eorum contumaciam . . . . . facta super hiis omnibus coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum coauditorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerant: per prefatum Jaroslaum male fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam revocandam fore et revocavit, et pro parte dicti Hrochonis ab eadem sentencia bene fuisse et esse appellatum, necnon presentacionem predictam fuisse et esse canonicam suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, ipsumque Hrochonum in dicta parrochiali ecclesia in rectorem instituendum fore et instituit, sibique eandem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis adiudicandam fore et adiudicavit, predictumque Hrochonem in corporalem possessionem parrochialis ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum inducendum fore et induxit, ac opposiciones et impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, sepedictis Stephano, Wenceslao, Nicolao Temeritz et Anne de et super opposicionibus et impedimentis ac parrochiali ecclesia predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, ipsosque Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam in expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnandos fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter idem episcopus, tunc auditor, ad dicti Rotheri instanciam prenominatos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam ad videndum taxari expensas huiusmodi in prefata audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo sepedicto Rothero . . . . comparente et eorundem Stephani, Wenceslai, Nicolai Temeritz et Anne non comparencium contumaciam accusante et in eorum contumaciam huiusmodi expensas taxari petente, supradictus episcopus, tunc auditor, reputans sepenominatos Stephanum, Wenceslaum, Nicolaum Temeritz et Annam . . . . merito contumaces, in eorum contumaciam predictas expensas ad quadraginta florenos auri de camera boni et iusti ponderis provida et iusta moderacione taxavit, predicti Rotheri super eisdem expensis iuramento secuto, prout in instrumento publico inde confecto dicti episcopi, tunc auditoris sigillo munito dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Hrocho, qui dictam ecclesiam et eius possessionem vel quasi extitit adeptus in vim sentencie memorate, timeat, ne aliqui post huiusmodi sentenciam in eandem parrochialem ecclesiam se imposterum intrudant, quodque . . . . Nicolaus Puchnik vicarius in spiritualibus . . . . archiepiscopi Pragensis seu alius quicunque de fructibus, redditibus et proventibus dicte ecclesie sequestratis apud eundem vicarium ante prolacionem dicte sentencie satisfacere et sibi eosdem tradere et assignare plenarie recuset, pro parte eiusdem Herthonis (*sic*) nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . que super hiis ab eodem episcopo, tunc auditore, provide facta sunt rata habentes et grata dictamque sentenciam auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes, eundem Herthonem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem parrochialis ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum amoto exinde quolibet detentore inducatis auctoritate nostra . . . . et defendatis inductum, facientes sibi de ipsius parrochialis ecclesie fructibus, redditibus, pro-

ventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi et de predicta florenorum summa pro dictis expensis iuxta predicti instrumenti earundem condemnacionis et taxacionis tenorem plenam et debitam satisfaccionem impendi Et insuper ad execucionem presencium eciam [contra] quoscunque iam forsan in ipsa ecclesia intrusos vel imposterum intrudendos huismodi perinde quoad possessionem ecclesie ac iurium et pertinenciarum et fructuum sequestratorum predictorum eidem Hrochoni tradendos plenarie eadem auctoritate procedatis, ac si sentencia contra eos lata foret, et nichilominus legitimis per vos super hiis habendis servatis processibus eos, quociens expedierit, aggravetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Aprilis a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 80v — Supra in marg.: BERTOLDUS; in fine: N. L DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Tadra, Acta iudic. III passim et ibid IV p. 38.

1750. *Alexius Henlimseye de Namslavia presbyter Vratislaviensis dioc in sedis apostolicae verum familiarem actu domesticum et continuum commensalem reciptur. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 12.

R. Lat. 87 fol. 92a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine DE MANDATO JAC. DE TERAMO.

1751. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Slavatam rectorem ecclesiae in Vtelno surroget ad omne ius, quod Sigismundo Berankonis tempore eius cessionis in quodam altari ecclesiae Pragensis competebat.*

Romae, 1401 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenberg capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Slawata rector parrochialis ecclesie in Wtelna Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Slawate peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Sigismundum Berankonis clericum Pragensem super altari Decem milium militum sito in ecclesia Pragensi, ad quod, tunc per liberam resignacionem . . . . Petri tunc ipsius altaris rectoris, per eum de illo coram notario publico et testibus extra Romanam curiam sponte factam, vacans, idem Slawata se per nonnullos laicos, veros patronos et existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi rectorem ad ipsum altare, infra tempus legitimum presentatum fuisse canonice, prefatumque Sigismundum se presentacioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere. . . . Sigismundus vero predicti prefatum altare ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad instanciam dicti Slawate . . . .

commisimus . . ., tuque in causa huiusmodi inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . prefatus Sigismundus lite et causa huiusmodi sic indecisa pendente, prefato altari necnon omni iuri sibi in illo seu ad illud quomodolibet competenti extra dictam curiam in manibus . . . . Bohuslai decani ecclesie predicte, habentis a loci ordinario super hoc specialem potestatem, de consensu patronorum predictorum sponte et libere cesserit, nos . . . . prefato Slawate . . ., qui presbyter est, ... graciam volentes facere specialem, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus eundem Slawatam . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Sigismundo in dicto altari seu ad illud tempore cessionis huiusmodi quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . . et nichilominus altare predictum, cuius fructus . . . . sedecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Slawate auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Slawata, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . eciam sedecim marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 73b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1752. *Martino Folkeri reservantur aliquot beneficia ecclesiastica in civitate et diocesi Varmiensibus vacantia vel vacatura.*

Romae, 1401 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . Martino Folkeri canonico Opoliensi Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum, duo, tria et plura . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si ipsum unum vel ipsorum . . . . plurium aliquod curatum aut dignitas vel personatus seu officium cum cura vel sine cura, et dignitas ipsa in collegiata ecclesia principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, et alterum eorum canonicatus et maior, media vel minor prebenda ecclesie cathedralis . . . . existant, cuius seu quorum fructus . . ., si ipsum unum vel ipsorum . . . . plurium aliquod curatum, viginti quinque, si vero sine cura fuerit seu fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad cuiuscunque seu . . . . quorumcunque collacionem . . . pertinens seu pertinencia, si quod vel si qua in Warmiensibus ecclesia aut civitate vel diocesi vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit seu simul vel successive vacaverint . . . ., conferendum seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa . . . . huiusmodi beneficia expectantibus, eciam illis, quibus forsan concessimus vel per nos concedi contingat, quod gracie cum clausula antelacionis seu anteferri aliis per nos concesse vel concedende . . . . eis preiudicare non debeant, preter-

quam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris nobis actu domestice et commensaliter famulantibus . . . ., te . . . volumus anteferri . . . ., seu quod nos dudum tibi, ut asseris, de canonicatu et prebenda Opoliensis Wratislauiensis diocesis necnon de perpetua vicaria s. Crucis Wratislauiensis ecclesiarum [1]), tunc certo modo vacantibus, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. duodecimo.

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Ariminensi et . . . . preposito s. Salvatoris et Omnium Sanctorum in Gutenstad Warmiensis diocesis ac decano Poznaniensis ecclesiarum . . . .

R. Lat. 94 fol. 121a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1644.

1753. *Cum Venceslao de Choczna dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1401 Aprilis 15.

Bonifacius . . . . Wenczeslao de Choczna ordinis fratrum minorum professori Luthomislensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu olim in quinto decimo etatis tue anno constitutus, conventum in Mutha ordinis fratrum minorum Luthomislensis diocesis intrasti, in quo fere per annum absque tamen aliqua professione expresse facta perseverasti, in sexto decimo vero anno simpliciter absque voto solemni in dicto ordine permanere velle quibusdam fratribus tuis presentibus et astantibus asserebas, in decimo septimo autem anno, habitu et ordine derelictis, ex quadam animi levitate de tui tamen superioris licencia exivisti et ad seculum reversus, in quo aliquandiu alium ordinem non intrando extitisti damnabiliter evagatus, propter quod excommunicacionis incurristi sentencias in tales per constituciones et statuta dicti ordinis et alias a iure generaliter promulgatas, quibus sic ligatus tamquam simplex et iuris ignarus, non tamen in contemptum clavium, ad omnes sacros ordines a quodam tamen antistite catholico et alias rite promotus fuisti ac in nonnullis ecclesiis sive capellis nonnullarum civitatum et diocesium, eciam excommunicatis, suspensis et interdictis presentibus, divina celebrasti officia, confessiones Christi fidelium tibi confiteri volencium audivisti, sacramenta eisdem ministrasti et alias te immiscuisti eisdem, propter que irregularitatis maculas incidisti. Cum autem propter certas legitimas causas ad reditum dicti ordinis non valeas animum tuum aliquatenus inclinare, cupiasque, ut teneris, sub regulari habitu domino famulari, nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi liceat ad aliquem conventum ordinis fratrum heremitarum s. Augustini, qui de mendicantibus existit, transferri et salutem propriam efficaciter procurare, sedesque apostolica super hiis et excessibus tuis aliis de oportuno remedio misericorditer providere dignaretur. Nos igitur . . . . te a dictis sentenciis et excessibus huiusmodi auctoritate apostolica absolvimus per presentes ac nichilominus tecum super irregularitate dicto modo contracta, et quod in omnibus ordinibus sic, ut prefertur, susceptis ministrare valeas, predicta auctoritate dispensamus, ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam premissorum occasione

contractam eadem auctoritate penitus abolemus, teque in integrum et statum pristinum restituimus per presentes, tibique, ut de dicto ordine fratrum minorum, cuius professor existis, ad ipsum ordinem s. Augustini, in quo voluntarios reperires receptores, transire ac beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura .... libere recipere et licite retinere possis, et quod in quibuscunque graciis per te de cetero a sede predicta impetrandis nullam, quod huiusmodi fratrum minorum professor extiteras, tencaris facere mencionem, fel. rec. Clementis pape V. predecessoris nostri in concilio Vienneusi, que incipit ‚Ut professores', et aliis quibuscunque constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus ordinis et monasteriorum seu locorum predictorum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, contrariis .... nequaquam obstantibus, eadem auctoritate .... indulgemus .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 6ª — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1754. *Ad petitionem decani et capituli ecclesiae Pragensis et rectoris parrochialis ecclesiae s. Venceslai in Pněvicz et oppidanorum fraternitatis dictae de Czecha oppidi Montium Cutnorum Pragensis dioc. fundatio capellae Corporis domini et b. Barbarae prope dictum oppidum in dominio Pragensi per fraternitatem antedictam facta confirmatur, quae fraternitas circa eandem capellam coemeterium fieri et ibidem scholas construi ordinavit ac in eadem capella quamplura altaria erexit; conceditur porro, ut pueri hominum apud dictam capellam residentium inibi baptisari et corpora mortuorum in coemeterio praedicto sepeliri possint; et nihilominus capella ipsa praefatae parrochiali ecclesiae in Pněvicz incorporatur, ita ut inantea rector eiusdem ecclesiae, ad praesentationem dictae fraternitatis a decano et capitulo Pragensis ecclesiae instituendus, praedictae capellae possessionem apprehendere et retinere possit.* „*Ad ea, que divini*" „*Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Maii a. duodecimo.*"

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 87 fol. 130ª — Supra in marg. sin.: JO. DO BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — Ed. Čelakovský, Codex iuris municipalis II. p. 951 nr. 738.

1755. *Ad petitionem oppidanorum oppidi Montium Cutnorum Pragensis dioc. indulgetur, ut in ecclesia Corporis Christi in eodem oppido de novo fundata et constructa sacramentum corporis Christi supra altare maius ipsius ecclesiae in vase perlucido singulis septimanis a vesperis quartae usque ad vesperas quintae feriae teneri valeat in patenti, omnibusque dictum sacramentum visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris perpetuo duraturis.* „*Immensa divine*" „*Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii a. duodecimo.*"

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 101a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: JAC. DE TERAMO. — Ed. Čelakovský, Cod. iuris municip. II p. 555 nr. 759; item e transsumpto regis Vladislai ddto. 1479 Martii 13 Kalousek, Dvě bully dané do Kutné Hory r. 1401 a 1403 (Zprávy král. Č. Spol. Nauk = Sitzb. der kön. böhm. Gesellschaft d. Wiss. 1885 p. 143.)

1756. *Cum Venceslao dicto Chochol de Radovesicz*[a]) *ord. fratrum heremitarum s. Augustini professore*[1]) *dispensatur, ut beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura per clericos saeculares gubernari consuetum recipere possit. „Religionis zelus“ „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*[b]) *a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 93 fol. 124a — a) ‚Radowess‘ b) Correctum in margine ex ‚Aprilis‘ cum nota: „Jac. [de Teramo]“. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1472.

1757. *Abbates monasteriorum s. Vincentii extra muros Vratislavienses et Scotorum in Vienna*[a]) *Pataviensis dioc. ac praepositus ecclesiae s. Aegidii Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii in Vilémov*[b]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*[c]) *a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 92 fol. 249a — a) ‚Wyenna‘ b) ‚Wylemow‘ c) correctum ex ‚Aprilis‘ cum nota: „Jac.“ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1758. *Priorissae et conventui s. Catherinae Pragensis conceditur, ut fratres ord. heremitarum s. Augustini personis infra limites dicti monasterii commorantibus ecclesiastica sacramenta ministrare possint.*

Romae, 1401 Aprilis 16.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Humilibus et honestis . . . . Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte . . . . priorisse et conventus monasterii s. Catherine Pragensis ord. s. Augustini peticio continebat, diverse utriusque sexus et seculares persone, que ad monasterium ipsum gerunt specialis devocionis fervorem, infra limites dicti monasterii et prope monasterium ipsum domos habeant et ibidem commorentur, pro parte dictarum priorisse et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod fratres ord. fratrum heremitarum dicti sancti, qui monasterio huiusmodi pro tempore presunt, personis ipsis ecclesiastica sacramenta ministrare . . . . valeant, licenciam . . . . concedere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . eisdem priorisse et conventui, ut fratres ipsi, qui dicto monasterio pro tempore prefuerint, ut prefertur, eisdem personis, que

infra limites huiusmodi commorantur ad presens vel imposterum commorabuntur et que id affectaverint, omnia et singula ecclesiastica sacramenta, matrimonii et baptismi sacramentis duntaxat exceptis, pro tempore ministrare . . . . valeant, alicuius alterius licencia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica . . . . indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*) a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 125ᵃ — *) Correctum ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1759. *Priori et fratribus domus ordinis heremitarum in Pivonia indulgetur, ut parrochiales ecclesias in Rokošín, Valtířov et Šitboř de cetero per fratres dictae domus gubernari facere possint.*

Romae, 1401 Aprilis 16.

Bonifacius . . . . priori et fratribus domus s. Marie in Pywonia ord. fratrum heremitarum s. Augustini Pragensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Hinc est, quod nos vestris devotis supplicacionibus in hac parte inclinati, vobis, ut in Rokossyn et in Waltyerz necnon in Vgezd alias in Ssydbor Pragensis dioc. parrochiales ecclesias, quarum ius patronatus ad vos, ut asseritis, ex pia largicione fidelium pertinere dinoscitur, et que per seculares presbyteros regi consueverunt, de cetero perpetuis futuris temporibus sine tamen preiudicio illorum, qui ecclesias ipsas presencialiter obtinent, singulas videlicet earum per singulos fratres vestre domus ad hoc ydoneos ac per te, fili prior, et successores tuos, priores eiusdem vestre domus pro tempore existentes, ad hoc deputandos et amovendos pro tempore regi et gubernari facere illasque cedentibus vel decedentibus rectoribus ipsarum, qui nunc sunt . . . ., in proprios usus perpetuo retinere . . . . possitis, alicuius licencia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica . . . . indulgemus . . . , proviso . . . ., quod vos teneamini racione dictarum ecclesiarum episcopalia iura solvere et alia consueta onera eis pro tempore incumbencia integre supportare. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 76ᵇ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO JAC. DE TERAMO.

1760. *Priori et fratribus domus s. Thomae in Brunna ord. fratrum heremitarum conceditur, ut quatuor ecclesias parrochiales Olomucensis diocesis recipere possint*

Romae, 1401 Aprilis 16.

Bonifacius . . . . priori et fratribus domus s. Thome in Brunna ord. fratrum heremitarum s. Augustini Olomucensis diocesis . . . . Sacre religionis, sub qua mundanis abiectis illecebris virtutum domino in humilitatis spiritu de-

votum et sedulum impenditis famulatum, merita promerentur, ut apostolica sedes vos et vestrum ordinem favoribus benignis confoveat et specialibus graciis prosequatur, in illis presertim, per que cultus divini nominis augeatur vosque pie vite studio vobis ipsis et aliis fidelibus ad animarum salutem proficere valeatis. Hinc est, quod nos . . . . vobis, ut quatuor dumtaxat ecclesias parrochiales, que de iure patronatus laicorum existant, in diocesi Olomucensi, si vobis ex pia largicione fidelium concedantur vel conferantur vel aliis iustis modis poteritis adipisci, recipere et licite retinere necnon iuxta illas domos et alia necessaria officina, prout vobis videbitur, edificari facere et inibi perpetuo commorari libere et licite possitis, fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinum mendicancium loca de novo recipiant vel recepta mutare valeant absque sedis predicte licencia speciali faciente plenam et expressam de prohibicione huiusmodi mencionem, et quibuslibet aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . licenciam elargimur . . . . , iure diocesani et cuiuscunque alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 77ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1761. *Ecclesiam monasterii b. Johannis Baptistae in Nova Domo ord. fratrum minorum Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis penthecostes et per octo dies sequentes visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Mariae in Portiuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo et secundo diebus mensis Augusti consequuntur; guardiano autem dicti monasterii et octo aliis presbyteris per eum eligendis indulgetur, ut confessiones Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa ad dictam ecclesiam confluentium auctoritate apostolica audire possint; praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*[a]*) a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 99ᵇ — a) Correctum in marg. ex ‚Aprilis‘ cum nota: „Jac.“ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1762. *Ecclesiam monasterii Insulensis visitantibus conceditur indulgentia ad instar indulgentiae ecclesiam s. Marci de Venetiis visitantibus concessae.*

Romae, 1401 Aprilis 16.

Bonifacius . . . . universis . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii ss. Marie et Benigne virginum in Insula ord. fratrum heremitarum s. Augustini Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam reparetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatis ascensionis domini nostri Jesu Christi et per septem dies ipsam festivitatem immediate sequentes ecclesiam ipsam devote

visitaverint et ad ipsius conservacionem et reparacionem manus prompcius porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in predicto festo ascensionis annuatim quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . priori dicti monasterii pro tempore existenti et octo aliis presbyteris sive pluribus ydoneis, tam secularibus quam religiosis, per eundem priorem annuatim eligendis, qui confessiones . . . . Christi fidelium in ipsa festivitate ascensionis domini nostri et septem diebus predictis causa huiusmodi indulgencie assequende confluencium . . . . audire et . . . . debitam eis absolucionem impendere valeant ac iniungere . . . . penitenciam salutarem, nisi forte talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, predicta auctoritate . . . . indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii[a]) a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 97[c] — [a]) Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1763. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam s. Laurentii martiris extra muros oppidi Mělnicensis ord. fratrum heremitarum s. Augustini Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis s. Laurentii et per septem dies sequentes visitantibus conceditur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii[a]) a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 98[b] — Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1764. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam monasterii b. Mariae virginis in Tusta ord. fratrum heremitarum s. Augustini Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis sanctae et individuae Trinitatis et per septem dies sequentes visitantibus conceditur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii[a]) a. duodecimo.*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 98[a] — [a]) Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1765. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam monasterii s. Venceslai martiris in Bělá[a]) ord. fratrum heremitarum s. Augustini Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis penthecostes et per septem dies sequentes visitantibus conceditur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii[b]) a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 97b — a) ‚Biela' b) Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO

1766. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam monasterii s. Thomae apostoli in Brunna ord. fratrum heremitarum Olomucensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos dominicae ‚Judica' et per septem dies sequentes visitantibus conceditur; praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*[a]*) a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 99a — a) Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — Ed. ex orig. in Cod. diplom. Mor. XIII. p. 111 nr. 104.

1767. *Eadem indulgentia omnibus capellam s. Blasii martiris in Antiqua Pilzna Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos dominicae ‚Exaudi domine' et per octo dies sequentes visitantibus conceditur, indulgeturque rectori dictae capellae et octo aliis presbyteris per eum eligendis, ut Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa ad eandem capellam confluentium confessiones auctoritate apostolica audire possint, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sedecimo kal. Maii*[a]*) a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 16.

R. Lat. 88 fol. 100a — a) Correctum in marg. ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1768. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam s. Johannis Baptistae in Zitavia*[a]*) Pragensis dioc. in festivitate s. Michaelis archangeli et per septem dies sequentes visitantibus conceditur, et Johanni rectori dictae ecclesiae eiusque successoribus indulgetur, ut sex vel plures presbyteros singulis annis ad confessiones Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa ad eandem ecclesiam confluentium auctoritate apostolica audiendas deputare possint. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Maii*[b]*) a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 17.

R. Lat. 87 fol. 152b — a) ‚Zyttauia' b) Correctum ex ‚Aprilis' cum nota: „Jac." — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1769. *Antonio episcopo Concordiensi mandatur, quatenus Jacobum Martini surroget ad omne ius, quod Mathiae de Prelouč tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Luková competebat.*

Romae, 1401 Aprilis 17.

Bonifacius . . . . Antonio episcopo Concordiensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Jacobus Martini rector altaris s. Catherine siti in ecclesia parrochiali in Czrnyewicz Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, quod, cum olim quondam Mathias Laurencii de Przelucz presbyter parrochialem ecclesiam in Lukowa Luthomislensis diocesis vigore quarundam litterarum nostrarum, in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripsimus, sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de ea sibi provisum fuisset canonice, ac . . . . Johannes Procopii de Czankowycz, qui se gerit pro presbytero Luthomislensis diocesis, se acceptacioni et provisioni contra iusticiam opponens, impedivisset ac fecisset ac impediret et faceret, quominus acceptacio et provisio predicte debitum sortirentur effectum, ac eundem Mathiam super dicta ecclesia in Lukowa et eius occasione multipliciter molestasset et perturbasset, seque in ipsa ecclesia in Lukowa intrusisset ipsamque occupasset et detinuisset ac detineret indebite occupatam, dictus Mathias eundem Johannem super hoc, petendo ecclesiam in Lukowa predictam sibi adiudicari et super ea prefato Johanni perpetuum silencium imponi, coram officiali Luthomislensi, qui executor dictarum litterarum per nos deputatus fuerat, traxit in causam, idemque officialis perperam in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam ecclesiam ipsam in Lukowa Johanni adiudicavit et super ea Mathie prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Mathie ad sedem fuit apostolicam appellatum. Cum autem . . . . lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Mathias dictam appellacionem prosequendo in Romana curia debitum nature persolvit, nos . . . . dicto Jacobo, qui presbyter est . . . ., graciam specialem facere volentes, fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus eundem Jacobum . . . . in omni iure et ad omne ius, quod ipsi Mathie in eadem ecclesia, cuius fructus . . . . duarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, vel ad illam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus predictam ecclesiam in Lukowa . . . . eidem Jacobo auctoritate predicta conferas et assignes . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Jacobus, ut asserit, altare s. Catherine predictum, cuius sex florenorum auri, obtinet, et super perpetua vicaria parrochialis ecclesie in Alta Muta dicte Luthomislensis diocesis, cuius quatuor marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare.[1]) Nos enim cum eodem Jacobo, ut dictam parrochialem ecclesiam in Lukowa . . . . recipere et una cum dicta vicaria in Alta Muta . . . ., postquam eandem ipsum interim evincere contingat, usque ad biennium insimul retinere . . . . valeat . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Volumus autem, quod dictus Jacobus alteram vicariam aut ecclesiam in Lukowa predictam pro alio beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili permutare infra huiusmodi terminum teneatur, alioquin ipsam ecclesiam in Lukowa . . . . dimittere teneatur . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Maii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 179a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1741.

1770. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Cosla perpetuam vicariam in ecclesia Vratislaviensi, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Aprilis 22.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses et . . cantori ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac . . officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus Johannes de Cosla clericus Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim perpetua vicaria in ecclesia Wratislauiensi, quam quondam Petrus Trachinburg . . . obtinebat,[1]) per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Petrus de Wserob canonicus Wratislauiensis certam prebendam in dicta ecclesia obtinens, cum ad canonicum eiusdem ecclesie illam, quam idem Petrus de Wserob obtinet, prebendam pro tempore obtinentem presentacio perpetui vicarii ad dictam vicariam, cum vacat pro tempore, de antiqua . . . . consuetudine pertineat, eundem Johannem in perpetuum [vicarium] ad prefatam vicariam . . . . Jacobo Saxo vicedecano predicte ecclesie infra tempus legitimum presentavit, idemque vicedecanus, cum ad vicedecanum ipsius ecclesie eciam pro tempore existentem institucio perpetui vicarii ad eandem vicariam de simili consuetudine pertineat, ipsum Johannem in perpetuum vicarium ad prefatam vicariam auctoritate ordinaria instituit, ipseque Johannes eandem vicariam . . . . extitit assecutus. Cum autem . . . . idem Johannes dubitet presentacionem et institucionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . vicariam predictam, que sine cura est, et cuius fructus . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, altare ss. Duodecim apostolorum situm in ecclesia parrochiali s. Galli Pragensi, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de uno sine cura ad dicti episcopi et . . . . capituli Wratislauiensis et de alio cum cura, consueto clericis secularibus assignari, ad . . . . abbatisse et conventus monasterii in Rathibor secundum regulam et instituta fratrum ordinis predicatorum vivencium collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, graciosse concessimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 156b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 768, ubi ‚Petrus Tasschenberg' perpetuus vicarius ecclesiae Vratislaviensis commemoratur, qui idem esse videtur ac iste ‚Petrus Trachinburg'.

1771. *Decano Pataviensi mandatur, quatenus Johanni, Henrico et Hertvicio de Liechtenstein ac oppidanis de Nikolsburg quandam capellam et hospitale fundandi licentiam largiatur.*

Romae, 1401 Aprilis 23.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Patauiensis . . . . Piis fidelium votis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . nobilium virorum Johannis et Hainrici ac Hertwicii baronum baronie de Liechtenstain ac oppidanorum oppidi de Nicolspurga Olomucensis diocesis peticio continebat, quod ipsi . . . . pro suarum et progenitorum suorum animarum salute de bonis ipsis a deo collatis in agro sancto extra muros dicti oppidi in ipsorum baronum fundo proprio, loco ad hoc congruo et honesto, unam capellam et unam domum pro suscepcione, usu et habitacione pauperum infirmorum et peregrinorum in honorem et sub vocabulo b. Marie virginis gloriose ac ss. Anne matris eiusdem et Marie Magdalene hospitis domini nostri Jesu Christi et s. Erasmi martiris fundare et construi facere ac pro nonnullis perpetuis capellanis inibi domino perpetuo in diuinis serviturис, qui quidem capellani vel aliqui ex ipsis confessiones infirmorum et personarum in ipso hospitali pro tempore degencium audire illisque ecclesiastica sacramenta ministrare ac oblaciones et elemosinas ibidem provenientes colligere et recipere valeant, ordinarii loci ac rectoris parrochialis ecclesie de dicto oppido et cuiuscunque alterius licencia seu consensu super hoc minime requisita, absque tamen aliorum iurium ipsius ecclesie parrochialis preiudicio et iactura sufficienter dotare proponant. Quare pro parte ipsorum baronum et oppidanorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis faciendi premissa licenciam concedere ac ius patronatus eiusdem capelle et presentandi huiusmodi perpetuos cappellanos ad eandem ipsis baronibus et oppidanis ac eorum heredibus et successoribus imperpetuum reservare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus predictis baronibus et oppidanis fundandi et construi faciendi cappellam, ac postquam fundata et constructa fuerit, si prius ipsam perpetuis capellanis ibidem instituendis sufficienter dotare nequeant, quod tamen ipsam dotare sufficienter non negligant, in tuis manibus promittant, alia premissa adimplendi auctoritate apostolica licenciam largiaris ipsisque ordinario et rectori parrochialis ecclesie ac aliis quibuscunque sub pena excommunicacionis, quam contrafaciens seu contrafacientes eo ipso incurrat seu incurrant, districcius inhibeas, ne huiusmodi pium opus, quominus feliciter valeat consumari, impedire seu retractare quoquo modo presumant, ac nichilominus ius patronatus dicte capelle et presentandi perpetuos capellanos ad eandem eisdem baronibus et oppidanis ac heredibus et successoribus auctoritate predicta imperpetuum reservare procures, alias iure dicte parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Maii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 101a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1772. *Statuitur, ut succustodiae ecclesiae Vratislaviensis beneficia manualia et non perpetua censeantur.*

Romae, 1401 Aprilis 27.

Bonifacius . . . ad futuram rei memoriam. Iis, per que status ecclesiarum presertim cathedralium salubriter dirigi valeat et augeri, sollicitis studiis inten-

dimus, illisque, quantum cum deo possumus, favorem apostolicum impartimur. Sane peticio pro parte . . . . Wenczeslai episcopi et . . . . capituli ecclesie Wratislauiensis nobis nuper exhibita continebat, quod in eadem ecclesia inter cetera duo officia seu beneficia ecclesiastica ‚succustodie' nuncupata fore noscuntur, et quod, licet succustodes officia seu beneficia ipsa pro tempore obtinentes officiorum seu beneficiorum ipsorum percipiant cum integritate proventus et propterea libros, calices, vasa, ornamenta, paramenta ecclesiastica et alia preciosa in ipsa ecclesia cultui seu usui divino deputata racione officiorum eorundem gubernare, custodire et preservare teneantur, iidem tamen succustodes ex eo forsan, quod huiusmodi officia eorum perpetua existunt et ab eis nequeunt amoveri, illa per se continue gerere et exercere non curantes, plerumque alias personas, eciam quandoque minus sufficientes et ignotas, ad gerendum vices eorum in huiusmodi officiis substituere et deputare propria auctoritate presumpserunt hactenus atque presumunt, propter quod eadem ecclesia in dictis officiis debitis quandoque defraudatur obsequiis, et alia incommoda ac damna evenire posse verisimiliter formidantur. Quare pro parte dictorum episcopi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut, quod cedentibus vel decedentibus dictis succustodibus, qui nunc sunt, vel succustodias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, extunc inantea eadem officia seu beneficia, quorum cuiuslibet fructus, redditus et proventus quindecim marcharum argenti puri secundum communem extimacionem valorem annuum non excedunt, per succustodes ad nutum episcopi Wratislauiensis, qui nunc est et erit pro tempore, et capituli dicte ecclesie ponendos et amovendos regi possint et debeant, statuere et ordinare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem ecclesie indemnitatibus paternis affectibus consulere cupientes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presencium statuimus et eciam ordinamus, quod cedentibus vel decedentibus dictis succustodibus, qui nunc sunt, vel succustodias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, officia seu beneficia predicta censeantur manualia et non perpetua ac deinceps perpetuis futuris temporibus, quociens illa vacare contigerit, per succustodes ad nutum episcopi et capituli huiusmodi absque ulla presentacione facienda de ipsis ponendos et amovendos regantur et gubernentur, et quod ad ipsas succustodias aliqui preterquam per huiusmodi episcopum et capitulum, ut premittitur, ponendi seu instituendi apostolica vel alia quavis auctoritate nullatenus admittantur, quodque dicte succustodie per alios quam per ipsos sic ponendos et amovendos quovis modo nequeant obtineri, et succustodes ipsi, cum ad eorum officia assumentur, corporali iuramento promittere teneantur se statuta et ordinaciones huiusmodi observare; ita tamen, quod huiusmodi fructus, redditus et proventus dictorum officiorum propterea nullatenus minuantur, sed ipsis succustodibus sic ponendis et amovendis, ut prefertur, ministrentur integre, sicut ante perpetuis succustodibus consueverunt exhiberi; non obstantibus quibuscunque apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitucionibus necnon statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis . . . ., seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus vel officiis in dicta ecclesia speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, ... quas quidem litteras et processus earum auctoritate habitos et habendos, inquantum presenti statuto et ordinacioni refragentur, ad dictas succustodias volumus

non extendi . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quintok al. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 122a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1773. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao de Choczna parrochialem ecclesiam in Bèstovicz eiusque filialem in Choczna, cum ipse praesentationi ad ecclesiam in Choczna archiepiscopo Pragensi de persona sua factae sponte renuntiaverit, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Aprilis 29.

Bonifacius . . . . episcopo Ferentinatensi et . . . . archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi ac . . officiali Pragensi . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas, . . . super quibus . . . . Wenczeslaus de Chocna presbyter, frater ord. s. Augustini Pragensis diocesis, . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenczeslai peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Biestouicz et eius filiali in Choczna, quas quondam Johannes Pisco . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus . . . . Mixo de Zampach baro regni Boemie tamquam patronus earundem ecclesiarum prefatum Wenczeslaum in rectorem dicte ecclesie in Choczna filialis sic vacantis . . . . Nicolao Puchnik . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis in spiritualibus vicario infra tempus debitum instituendum dumtaxat presentavit. Cum autem . . . . idem Wenczeslaus . . . presentacioni huiusmodi ac omnibus inde secutis sponte et libere renunciaverit . . . .,[1]) nos volentes eidem Wenczeslao, qui, ut asserit, presbyter et frater ord. s. Augustini existit . . . ., graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesias predictas, quarum fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wenczeslao . . . . auctoritate predicta conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 200a — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Emler, Lib. conf. VI. p. 1 et 30; necnon Tadra, Acta iudic. IV. p. 42.

1774. *Johanni abbati monasterii in Kamenz[a]) cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut, quotiescunque extra saepta dicti monasterii pro ipsius monasterii negotiis peragendis egredietur, cum sex fratribus praefati ordinis, quos secum assumpserit, diebus, quibus a sacris canonibus esus carnium communiter prohibitus non existit, carnibus vesci possit. „Exigit tue“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Aprilis 29.

R. Lat. 93 fol. 15a — a) ‚Kamenez‘ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1775. *Praeposito et cantori Vratislaviensis ac decano Premisliensis ecclesiarum mandatur, quatenus causam inter Benedictum de Bardis mercatorem Florentinum et Nicolaum episcopum Vladislaviensem super 4100 florenis auri, quos dictus Benedictus pro ecclesia Vladislaviensi camerae apostolicae persolvit, exortam decidant. „Cum nuper dilectus" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Maii a. duodecimo."*

Romae, 1401 Aprilis 30.

R. Vat. 317 fol. 112ª — In fine: (sin. F. DE MONTEPOLICIANO: (dext., DE CURIA, MARCUS — Ed. Theiner, Monum. hist. Poloniae I. p. 774 nr. 1045.

1776. *Litterae regis Venceslai super collegio mansionariorum in ecclesia Pragensi 1400 Octobris 5 datae confirmantur, quarum tenor praesentibus insertus est.*

Romae, 1401 Maii 1.

Bonifacius .... ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro divini cultus augmento et animarum salute ac statu prospero et tranquillo ecclesiarum, locorum et personarum ecclesiasticarum pie et laudabiliter facta sunt, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane pro parte carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris nobis nuper exhibita peticio continebat, quod, cum olim clare memorie Karolus Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex illustris, ipsius Wenceslai genitor, dum in minoribus foret constitutus, zelo pie devocionis accensus, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, pro suorum progenitorum et predecessorum successorumque suorum et cunctorum fidelium vivorum et mortuorum animarum salute in ecclesia Pragensi viginti quatuor clericorum secularium numerum seu collegium, precentoria in eo computata, quorum duodecim presbyteri, sex diaconi et sex subdiaconi fore deberent, et quos mansionarios voluit nuncupari, quique tenerentur et deberent quotidie in ipsa manere ecclesia et personaliter residere in eadem et non per alium vel alios horis canonicis in suis ordinibus continue interesse, de novo creasset et fundasset et ipsis de redditibus sufficientibus providisset liberaliter et graciose, quodque postmodum prefatus Wenceslaus rex matura deliberacione prehabita sanoque devotorum et fidelium accedente consilio ad honorem dei omnipotentis et gloriosissime virginis matris Marie et pro divini cultus augmento statuit et ordinavit, ut prefati duodecim mansionarii minores, videlicet sex diaconi et sex subdiaconi, qui ad hoc tamen fuerint ydonei, ad gradum presbyteratus congruis temporibus, sine tamen maiorum mansionariorum predictorum preiudicio, iuxta ipsorum voluntatem possent et valerent promoveri, sicque quod hii de virtute ad virtutem ascendere ac in dicto sacerdocii gradu domino in divinis laudibus possint famulari; decrevitque eciam et expresse voluit, quod dicti minores mansionarii sic ulterius ad gradum sacerdocii promoti de suis porcionibus, proventibus et utilitatibus essent contenti, nec per talem promocionem quidquam amplius sibi attrahere aut ultra continenciam statutorum pro se aliqua debeant usurpare, prout in patentibus litteris dicti Wenceslai regis inde confectis et suo sigillo munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare

pro parte ipsius Wenceslai regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissa omnia apostolico munimine roborare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dicti Wenceslai regis piam et laudabilem intencionem et devocionem plurimum in domino commendantes ac huiusmodi cultum divinum adaugeri intensis desideriis affectantes, ordinacionem et statutum ac omnia alia et singula in predictis litteris dicti Wenceslai regis contenta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis. Tenor autem dictarum litterarum talis est:

Wenceslaus dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex notum facimus tenore presencium universis. Altitudinis celestis immensa maiestas, sicut nos licet immeritos ad apicem regie maiestatis sua dignata est clemencia promovere, quamquam eidem ad minutissimas eciam graciarum vices aliqualiter rependendas nostra non sufficit fragilitatis humanitas, gratum tamen nos speramus eidem exhibere servicium, dum ministris ipsius die noctuque in suis laudibus devocius excubantibus nostri favoris et gracie dexteram innata liberalitate porrigimus et ipsorum congruo statui in hiis presertim, que divinum concernunt officium, providemus, ut exuti curis temporalibus eo libencius se exerceant in huiusmodi laudum exequiis sollicicius peragendis. Et licet singulis in talibus teneamur generaliter, sumus tamen hiis magis ex debito debitores, quos hereditarium regnum nostrum Boemie peculiaribus tenet limitibus et ante multorum annorum curricula felicis memorie nostri progenitores illustres deo inspirante fundarunt ac de bonis propriis dotaverunt. Sane quamquam dive recordacionis serenissimus ac invictissimus princeps et dominus dominus Karolus quondam Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex illustris, dominus et genitor noster carissimus, dum in humanis ageret et in minoribus foret constitutus, volens terrena in celestia, transitoria in eterna felici commercio[a]) commutare, pro suorum progenitorum, predecessorum, successorum suorum, cunctorumque fidelium vivorum et defunctorum animarum salute in ecclesia Pragensi viginti quatuor clericorum secularium numerum seu collegium, precentorie in eo computato, quorum duodecim presbyteri, sex diaconi et sex subdiaconi fore deberent, et quos mansionarios voluit nuncupari, quique tenerentur et deberent quotidie in ipsa manere ecclesia et eciam residere ac personaliter et non per alium horis canonicis in suis ordinibus continue interesse, de novo creavit, fundavit et ipsis de redditibus sufficientibus providerit liberaliter et graciose, prout hec omnia et singula in ipsius litteris fundacionis plenius sunt expressa. Volentes tamen, ut cultus divinus nostris temporibus ex predicta eciam fundacione non minuatur, sed deo propicio semper augeatur, non per errorem aut improvide, sed matura deliberacione prehabita sanoque devotorum et fidelium nostrorum accedente consilio dictam ministrorum ereccionem, fundacionem et dotacionem in nullo penitus revocantes, sed in suo robore ac vigore permanere volentes ipsamque eciam pocius deo favente, racione et utilitate suadente, pro divini cultus augmento declarantes, ad honorem dei omnipotentis eiusque gloriosissime et intemerate virginis matris Marie, cuius res agitur, quam piam et propiciam apud altissimum in extremo nostro examine advocatam confidimus invenire et patronam, necnon beatorum nostrorum patronorum, a quibus maioris presumpcionis audaciam pieque

subvencionis presentibus temporibus presidia postulamus, ut videlicet pro nobis in nostris necessitatibus velut cives domestici benignitatis officio erga regis eterni celsitudinem pronis affectibus intercedant, auctoritate regia Boemie et de certa nostra sciencia dictam fundacionem, ereccionem et dotacionem tenore presencium quoad duodecim mansionarios seu ministros minores, videlicet sex diaconos et sex subdiaconos, tanquam rex Boemie et dictorum ministrorum omnium patronus interpretamur, statuimus et de speciali gracia regiaque Boemie potestatis plenitudine indulgemus, ut prefati duodecim mansionarii seu ministri minores, videlicet sex diaconi et sex subdiaconi, qui ad hoc tamen fuerint ydonei, ad gradum presbyteratus congruis temporibus, sine tamen maiorum mansionariorum preiudicio, iuxta ipsorum voluntatem possint et valeant promoveri, sicque quod hii de virtute ad virtutem ascendere ac in dicto sacerdocii gradu domino in divinis laudibus possint famulari, decernentes eciam ac expresse volentes, quod dicti minores mansionarii sic ulterius ad gradum sacerdocii promoti de suis porcionibus, proventibus et utilitatibus, prout in litteris ereccionis et fundacionis continetur, omnino sint contenti nec per talem promocionem quidquam amplius sibi attrahere aut ultra continenciam statutorum pro se aliqua[b] debeant usurpare. Mandamus igitur venerabili archiepiscopo Pragensi, apostolice sedis legato principi, necnon suis suffraganeis aut in spiritualibus vicariis generalibus et signanter omnibus hiis, quos presens negocium tangere poterit in futurum, quatinus ipsi, non obstantibus prefati domini Karoli ordinacionibus et constitucionibus quoad prefatos mansionarios per ipsum ut premittitur factis[c], presens indultum nostrum nullatenus infringere, quin pocius prefatos mansionarios tam maiores quam minores circa huiusmodi tueri debeant et effectualiter conservare, prout indignacionem nostram gravissimam voluerint arcius evitare, presencium sub regie nostre maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Prage a. d. millesimo quadringentesimo die quinta Octobris, regnorum nostrorum anno Boemie tricesimo octavo, Romanorum vero vicesimo quinto.

Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii pont. n. a. duodecimo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis XXI, 5 exstat. In plica: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, ERASMUS; sub plica dext.: A. DE PORTUGRUARIO; a tergo: R[EGISTRATA], JAC. [DE TERAMO] — [a] ‚commemoratione' orig. [b]) ‚aliquam' or. [c]) ‚factos' or. — Istae litterae litteris archiepiscopi Zbynkonis ddto. 1404 Martii 8 insertae ap. Balbín, Miscellanea hist., dec. I lib. VI p. 145 nr. 85, et iterum ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae III p. 428 nr. 59 editae sunt. Litteras imperatoris Caroli, tunc marchionis Moraviae, super fundatione collegii mansionariorum ddto. 1343 Oct. 5 vide ap. Emler, Reg. Boh. IV nr. 1322. Cf. Klicman, Monum. Boh. Vatic. I nr. 367.

***1777**. Causa inter decanum et capitulum ecclesiae Pragensis et capitulum ecclesiae Olomucensis ex eo exorta, quod dicti decanus et capitulum processus contra Procopium marchionem Moraviae propter ecclesiae Olomucensis violationem factos publicare non auserunt, ad sedem apostolicam advocatur.*

Romae, 1401 Maii 1.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Nuper nobis innotuit, quod, cum dudum .... Henricus abbas monasterii Scotorum in Wienna ord. s. Benedicti Patauiensis diocesis, conservator dilectis filiis capitulo ecclesie Olomucensis contra inferentes eis in rebus et bonis eorum iniurias vel iacturas a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputatus, ad dictorum capituli, asserencium, quod .. . nobilis vir Procopius marchio Morauie eis et ecclesie Olomucensi predicte nonnulla gravia damna et iniurias intulerat tunc expressa, instanciam et requisicionem contra eundem marchionem et quosdam alios eius in hac parte complices tunc eciam expressos nonnullos graves processus, diversas excommunicacionum et alias sentencias atque penas in se continentes, emisisset,[1]) ac dilecti filii decanus et capitulum ecclesie Pragensis, ut processus huiusmodi exequerentur et publicarent, pro parte dictorum capituli ecclesie Olomucensis requisiti fuissent, iidem decanus et capitulum ecclesie Pragensis, considerantes pericula, que eis et ecclesie Pragensi predicte exinde provenire possent, et propterea id facere non audentes, a requisicione huiusmodi ad sedem apostolicam appellarunt, nosque causam appellacionis huiusmodi .... Jacobo electo Aquilano, capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici, ad dictorum decani et capituli ecclesie Pragensis instanciam audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui in huiusmodi causa procedens, sentenciam, per quam inter cetera per prefatos decanum et capitulum ecclesie Pragensis a requisicione huiusmodi male fuisse et esse appellatum, ipsosque in penas et sentencias in processibus huiusmodi contentas incidisse ac ipsos ligatos fuisse et esse pronunciavit et declaravit, promulgavit; a qua pro parte decani et capituli ecclesie Pragensis predictorum fuit ad sedem appellatum antedictam, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia et a nonnullis gravaminibus interiecte .... magistro Nicolao Wordis capellano nostro et causarum dicti palacii auditori .... commisimus ...., idemque Nicolaus auditor in huiusmodi causa ad nonnullos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Nos igitur statum cause huiusmodi ac tenorem processuum et omnium premissorum habentes presentibus pro sufficienter expressis et specifice declaratis, causam ipsam ad nos tenore presencium ex certis causis nostrum ad id inducentibus animum ac motu proprio .... advocamus eamque in eo statu, in quo nunc est, necnon interdicti ac alias sentencias atque penas, si quas iidem decanus et capitulum ecclesie Pragensis premissorum occasione incurrerunt, et processus propterea contra eos habitos usque ad nostrum beneplacitum suspendimus eosque ab excommunicacionum et aliis sentenciis et penis huiusmodi absolvimus per presentes, districcius inhibentes Nicolao auditori et conservatori prefatis ac quibusvis aliis, ne videlicet Nicolaus auditor interim in causa ipsa ad cuiusvis instanciam ad ulteriora procedere vel ipse conservator et alii huiusmodi contra eosdem decanum et capitulum ecclesie Pragensis premissorum pretextu quicquam innovare seu attemptare quoquo modo presumant .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 267a et iterum R. Lat. 89 fol. 100r — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1476.

1778. *Johanni de Montibus Cutnis conceditur, ut in assecutione beneficiorum alias ei in Pragensi et Olomucensi civitatibus reservatorum omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos domesticos anteferatur.*

Romae, 1401 Maii 1.

Bonifacius . . . . Johanni alias Hannusko de Montibus Kutinis[a]) rectori parrochialis ecclesie in Podyebrad Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem, videlicet idibus Maii pont. n. anno undecimo[1]), tibi de uno, duobus, tribus aut pluribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si[b]) canonicatus et prebende et tria eorum curata seu alias incompatibilia aut dignitates vel personatus seu officia in metropolitana, cathedrali vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse curate et in eisdem metropolitana vel cathedrali maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales forent, et ad eas consuevissent qui per eleccionem assumi, cuius seu quorum fructus . . . . quinquaginta marcarum argenti . . . . valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque seu quorumcunque collacionem . . . . pertinentibus, in Pragensibus vel Olomucensibus civitatibus vel diocesibus . . . . vacantibus seu vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, teque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus . . . voluimus anteferri. Et nichilominus tecum, ut tria beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si dignitates vel personatus seu officia curata, et dignitates ipse in metropolitana vel cathedrali maiores post pontificales et in collegiatis ecclesiis principales forent, et ad eas qui per eleccionem assumerentur, si alias tibi [ea] dictarum litterarum vigore conferri contingeret, recipere et una cum parrochiali ecclesia in Podyebrad dicte Pragensis diocesis, quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, usque ad unum annum, postquam ea pacifice assecutus fores, retinere posses, dispensavimus, ita tamen, quod huiusmodi tria curata seu incompatibilia beneficia et quodlibet eorum pro alio seu aliis . . . . beneficiis compatibilibus infra huiusmodi annum permutare, alioquin eadem tria curata seu incompatibilia beneficia et quodlibet ipsorum . . . . omnino dimittere tenereris[c]) . . . . Cum autem, sicut nuper nobis innotuit ac eciam ab aliquibus asseratur, quod tu tam propter multitudinem graciarum, diversis personis eciam cum simili clausula et antelacionis prerogativa quam eciam diversitatem facultatum nonnullis prelatis et presertim . . . . Wenceslao patriarche Antioceno de conferendo eciam auctoritate nostra variis modis et formis huiusmodi beneficia personis ad hoc per eos eligendis per nos hactenus concessarum vel imposterum concedendarum, eciam cum huiusmodi clausula et antelacionis prerogativa nequeas infra alicuius brevis temporis spacium aliquem fructiferum reportare effectum, nos . . . . motu proprio . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod tu omnibus . . . ., eciam auctoritate nostra cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa . . . huiusmodi beneficia expectantibus et sub cuiuscunque eciam prioris diei data te precedentibus, et eciam illis, quibus forsan est concessum vel imposterum concedi contigerit, quod quecunque gracie aliis personis cum huiusmodi vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . concesse

seu concedendo ipsis preiudicare non possint . . . possis et debeas anteferri, et quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque facultatis per nos hactenus concesse vel inantea concedende de aliquo beneficio sub dicta tua gracia cadente infra tempus ad acceptandum tibi in dictis litteris deputatum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui providere, quodque eciam nullus vigore seu pretextu cuiuscunque gracie sibi eciam sub . . . cuiuscunque prioris diei data concesse vel imposterum concedende . . ., nisi in eisdem facultate et gracia et qualibet earum de presencium toto tenore de verbo ad verbum ac de tuis nomine et cognomine propriis mencio specialis habeatur, . . . predictis cardinalibus et . . . familiaribus nostris domesticis nobis actu continue et commensaliter famulantibus dumtaxat exceptis, tibi . . . possit aut debeat anteferri seu alias in aliquo tibi aliquatenus preiudicare . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 38b cum his notis: (supra in marg. sin.) A. DE PORTUGRU ARIO; in fine: JAC. LXXX DE TERAMO. Altera copia in R. Lat. 94 fol 224a continetur, sed cancellata est adiuncta in marg. nota: „Cassata de mandato domini nostri, quia alibi registrata. Jac:" illic etiam supra in marg. sin. adscriptum est: „Bertoldus, Idem quoad correccionem"; in fine autem: „De mandato. Jac. de Teramo" a) ‚Kuttinis' Lat. 94 b) in Lat. 94 sequitur: ‚ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aut plurium cum cura dignitas vel personatus seu officium, et dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesiis principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, eciam si beneficia huiusmodi canonicatus et prebende cathedralium ecclesiarum forent, cuius seu quorum' c) ‚et nichilominus . . . . tenereris' om. Lat. 94. — 1) 1400 Maii 15.

1779. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si Petrum Pestal omni iure, quod ei in parrochiali ecclesia in Trebič competit, sententialiter privaverit, Johannem Ješiko ad ius huiusmodi surroget dictamque ecclesiam ei conferat.*

Romae, 1401 Maii 5.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao Vordis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Jessiko rector parochialis ecclesie in Gundrans Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Petrum Pestal monachum monasterii in Trebecz ord. s. Benedicti eiusdem diocesis et Nicolaum Johannis de Tusnouicz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia s. Martini in Trebecz prefate diocesis, quam, tunc per obitum quondam Johannis de Ruchowano . . . . vacantem, Petrus se auctoritate ordinaria assecutum fuisse canonice . . . ., Nicolaus vero prefati eandem ecclesiam s. Martini ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis,[1]) nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad predictam curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, bone memorie Nicolao episcopo Agri[g]entino, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad dicti Nicolai

Johannis instanciam audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui in causa ipsa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera ecclesiam s. Martini predictam Nicolao Johannis adiudicavit et super ea Petro prefato perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit, a qua pro parte ipsius Petri fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque, cum idem Petrus ecclesiam s. Martini nondum per triennium, ut asserebatur, pacifice possedisset et pro eodem Nicolao Johannis dicta sentencia lata fuisset. . . . . episcopo Olomucensi, eius proprio nomine non expresso, per nostras litteras mandavimus, ut eandem ecclesiam s. Martini iuxta constitucionem fel. rec. Clementis pape V. predecessoris nostri super hoc editam ‚Ad compescendas' sequestraret, exhibiturus id, quod de ipsius ecclesie fructibus debitis eius supportatis oneribus superesse contingeret, illi, qui finalem in causa victoriam obtineret. Et nichilominus causam appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc eciam capellano nostro et auditori causarum dicti palacii, ... commisimus . . . . Qui in causa huiusmodi procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatam sentenciam revocavit dictumque Petrum ab impeticione ipsius Nicolai Johannis absolvit, sentenciam promulgavit. A qua pro parte dicti Nicolai Johannis fuit ad sedem [apostolicam] appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia ipsius Nicolai episcopi Ferentinatensis, tunc auditoris, interiecte . . . . Bertrando archiepiscopo Amalphitano, tunc eciam capellano nostro et causarum dicti palacii auditori, ... commisimus . . . . Qui in causa ipsa procedens, prefatam sentenciam ipsius Nicolai episcopi Ferentinatensis, tunc auditoris, per suam diffinitivam sentenciam confirmavit. Cumque pro parte dicti Nicolai Johannis ab eadem sentencia ipsius archiepiscopi, tunc auditoris, ad sedem fuisset appellatum predictam, nos causam appellacionis huiusmodi tibi . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, postquam . . . . Johannes episcopus Olomucensis eandem ecclesiam s. Martini vigore litterarum huiusmodi sequestrari mandaverat, eademque ecclesia sequestrata fuerat, prefatus Petrus in reprobum sensum datus sequestrum huiusmodi violaverit seu sequestracionem ipsam impediverit aut fructus ipsius ecclesie post ipsam sequestracionem occupaverit, nos . . . . attendentes, quod veris existentibus supradictis idem Petrus omni iure sibi in eadem ecclesia s. Martini competenti ipso iure privatus existit aut cecidit ab eodem . . . ., discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si vocatis dicto Petro et aliis, qui fuerint evocandi, reppereris ipsum Petrum sequestrum huiusmodi violasse, impedivisse aut post sequestracionem fructus occupasse, ut prefertur, eundem Petrum omni iure, si quod sibi in dicta ecclesia s. Martini seu ad eam tempore violaci nis huiusmodi quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra sentencialiter declares fuisse et esse privatum et eundem ab eo cecidisse ipsumque amoveas realiter ab eodem: et insuper si prefatum Petrum huiusmodi iure privatum declarari contigerit, ut prefertur, eundem Johannem Jessiko . . . . in iure et ad ius huiusmodi auctoritate nostra surroges . . . . . et nichilominus ecclesiam s. Martini predictam, cuius fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . . , prefato Johanni Jessiko auctoritate nostra conferas et assignes . . . : non obstantibus . . . ., quod idem Johannes Jessiko, ut asserit,

ecclesiam in Gundrans predictam noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Johannes Jessiko, quamprimum ecclesiam s. Martini predictam fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Gundrans . . . . omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Maii a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 245[1] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXVII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 343, 168 et 902.

1780. *Johannes de Ostrov*[a]) *ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Maii pont. n. a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Maii 9.

R. Vat. 317 fol. 192[b] cum his notis in fine: (sin.) BERTOLDUS; (dext.) PRO L. DE FORLIUIO, G. DE PALAM — [a]) ‚Ostrow‘.

1781. *Abbati monasterii de Clara Tumba mandatur, quatenus gentes armorum, milites et nobiles regni Poloniae per regem Vladislaum Procopio marchioni Moraviae in subsidium destinatas ab excommunicatione et aliis sententiis, quas propter bonorum ecclesiae Olomucensis devastationem incurrerunt, absolvat.*

Romae, 1401 Maii 10.

Bonifacius . . . . abbati monasterii de Clara Tumba Cracouiensis diocesis . . . . Romanus pontifex, misericordis Christi vicarius, redeuntibus ad eum cum humilitate filiis post excessum libenter se benignum exhibet et eciam graciosum et errantibus, qui post eorum lapsus in devium contritis et humiliatis cordibus repetunt misericordie sue sinum, non solum consuevit ianuam aperire, sed eciam de solite sue benignitatis affluencia lapsis dexteram porrigens, eos ab invio retrahere satagit et ad viam salutis reducere sollicitudine paterna procurat. Exhibita siquidem nuper nobis pro parte . . . Wladislai regis Polonie illustris peticio continebat, quod, cum olim ipse per . . . . nobilem virum Procopium marchionem Morauie, qui nonnullas discordias et controversias cum . . . . nobili viro Jodoco eciam marchione Morauie habebat, ex quibus guerre et dissensiones non modice inter eos orte fuerunt, requisitus fuisset, ut sibi de aliquibus gentibus armorum pro tuicione sui et ad expugnandum prefatum Jodocum subveniret, prefatus rex, qui eundem Procopium intime diligebat ac statum et honorem ipsius affectabat, nonnullas gentes armorum cum aliquibus militibus et nobilibus regni Polonie prefato Procopio in eius subsidium et auxilium destinavit, quodque gentes, milites et nobiles prefati, postquam marchiam Morauie et terras dictorum marchionum intrarunt ac eisdem Procopio et eius gentibus adheserunt, una cum eodem Procopio et aliis capitaneis et gentibus suis terras, villas, castra et alia loca eidem Jodoco subiecta invaserunt illaque incenderunt et vastarunt ac multipliciter dampnifica-

runt ac ecclesie Olomucensi eiusque capitulo in bonis et rebus ad ecclesiam et capitulum prefatos spectantibus damna gravia et iniurias intulerunt, propter quod .... Henricus abbas monasterii b. Marie Scotorum in Wienna ordinis s. Benedicti Patauiensis diocesis, habens ad hoc per litteras apostolicas potestatem, in eundem Procopium omnesque alios et singulos, qui eidem Procopio in premissis astiterunt et qui bona ecclesie et capituli predictorum destruxerunt, diversas excommunicacionis et alias sentencias et penas promulgavit ipsosque tamdiu mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari, donec ecclesie et capitulo prefatis de dampnis et iniuriis huiusmodi esset integre satisfactum.[1]) Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, huiusmodi gentes, milites et nobiles dicti regni de huiusmodi damnis et iniuriis ac aliis ibidem per eos perpetratis ab intimis doleant cupiantque ad ecclesie unitatem redire et ab huiusmodi sentenciis et penis absolvi et liberari, pro parte dicti regis, de cuius mandato gentes, milites et nobiles huiusmodi ad prefatum Procopium accesserunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut gentes, milites ac nobiles huiusmodi regni sui ab huiusmodi sentenciis atque penis absolvere et alias ipsis et statui ipsorum in premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica [providere] dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus omnes huiusmodi gentes, milites et nobiles dicti regni, quibuscunque nominibus censeantur, si hoc humiliter pecierint, ab omnibus et singulis sentenciis et penis per eundem abbatem contra ipsos latis et promulgatis, cuiuscunque tenoris existant, auctoritate nostra hac vice absolvas, iniuncta eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Et nichilominus tibi apostolica auctoritate concedimus, ut confessionibus gencium, militum et nobilium huiusmodi et cuiuslibet ipsorum tibi eorum peccata confiteri volencium per te diligenter auditis, pro commissis debitam eis absolucionem impendas et iniungas penitenciam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica esset merito consulenda. Nos enim quascunque sentencias et penas per eundem abbatem et quoscunque alios contra gentes, milites et nobiles huiusmodi premissorum occasione de cetero ferendas irritas decernimus esse et inanes ac pro irritis et nullis per presentes haberi volumus et mandamus. Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 77 — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Litteras abbatis Scotorum super excommunicatione supradicta ddto. 1399 Mart. 4 vide in Cod. dipl. Moraviae XII p. 152 nr. 523 et 524; cf. etiam supra nr. 1476.

1782. *Wolframus archiepiscopus Pragensis quitatur de solutione partis sui communis servitii camerae apostolicae.*

Romae, 1401 Maii 10.

Universis .... Conradus, [archiepiscopus Nicosiensis, dom. pape camerarius ....] Universitati [.... notum facimus], quod reverendus pater dom. Wolframus dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte partis sui communis

servitii . . . . centum quinquaginta florenos camere nobis, non facta divisione de minutis nec aliquid soluto collegio [. . . . cardinalium], per manus dom. Symeonis de Perusio advocati consistorii, solventis de suis propriis pecuniis, [. . . . solvi fecit] . . . .; terminum [faciende solucionis residui . . . .] a festo pentecosten proxime futuro ad annum [. . . . prorogamus]. Datum Rome die decima mensis Maii, VIIII indiccione, pont. . . . . anno duodecimo.

Oblig. et sol. 55 fol 141ᵛ. — In fine: VISUM BAY[LARDINUS]; FL. V GR. V. N. DE DAMMIANO.

***1783**. Praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus Nicolaum de Janovicz eiusque complices absolvat ab excommunicationis sententia, quam Venceslaum patriarcham Anthiocenum in possessione praepositurae Vyšehradensis impedientes incurrerunt.*

Romae, 1401 Maii 11.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Nicolai Burchardi Strinad de Janowicz clerici Pragensis diocesis peticio continebat, quod, licet olim ipse preposituram [ecclesie] s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte, que nullius diocesis existit, tunc per obitum quondam Johannis ipsius ecclesie prepositi extra Romanam curiam defuncti vacantem, auctoritate ordinaria fuisset canonice assecutus illamque aliquamdiu tenuisset et possedisset, nos postmodum eandem preposituram, que tunc adhuc per huiusmodi obitum vacare credebatur, si vacabat . . . ., Wenceslao patriarche Antioceno per eum, quoad viveret, tenendam et regendam concesseramus in commendam, nonnullis desuper hinc inde et demum . . . . Anthonio episcopo Concordiensi et duobus aliis sibi in hac parte collegis super hoc executoribus per diversas litteras nostras deputatis, tandem procuratore prefati patriarche dicto episcopo falso referente prefatam preposituram per huiusmodi obitum, ut prefertur, vacare et ad ipsum patriarcham spectare et sibi debere per litteras antedictas, necnon nobilem virum Boczkonem de Podyebrad, baronem Henricum Haransmeister de Pobraticz,[1] Symonem Swinda de Pyeska et Martinum Kladimo[2] laicos Pragensis diocesis eundem patriarcham super eadem prepositura impedire, prefatus episcopus ad falsam relacionem huiusmodi ex arrupto et defecto procedens, reputans eosdem Nicolaum, Boczkonem, Henricum, Symonem et Martinum, quamvis non essent, pro sue libito voluntatis contumaces, in eos propter contumaciam huiusmodi, ut dicebat, excommunicacionis sentenciam promulgavit ipsosque mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari et huiusmodi excommunicacionis sentenciam aggravavit et reaggravavit, auxilio brachii secularis ad hoc invocato, in ipsorum preiudicium non modicum et gravamen. Pro parte vero prefatorum Nicolai, Boczkonis, Henrici, Symonis et Martini, senciencium exinde se indebite gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc capellano nostro et palacii apostolici causarum auditori, ... commisimus . . . .[3] Et deinde per ipsum episcopum, tunc auditorem, in dicta causa ad nonnullos citacionis et

inhibicionis actus processo, pro parte Nicolai, Boczkonis, Henrici, Symonis et Martini predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus committere alicui probo viro, qui eis beneficium absolucionis simpliciter vel ad cautelam a sentenciis huiusmodi impenderet, et alias eis de oportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur ex certa sciencia statum cause et premissorum ac litterarum et processuum huiusmodi quorumcunque tenorum pro sufficienter expresso habentes ac quascunque surrepciones et obrepciones, si que sint in eisdem, tollentes . . . . , [discrecioni tue] . . . . mandamus, quatenus vocatis dicto patriarcha et aliis, qui fuerint evocandi, prefatis Nicolao, Boczkoni, Henrico, Symoni, Martino et eis adherentibus huiusmodi beneficium absolucionis, si et prout de iure fuerit, auctoritate nostra impendas, non permittens eosdem Nicolaum, Boczkonem, Henricum, Symonem, Martinum et adherentes causa huiusmodi indecisa pendente sic ut prefertur aut alias quomodolibet impeti vel molestari aut causa vel lite huiusmodi pendente quicquam innovari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Maii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 83[4] – Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XVI DE BENEVENTO — [1] recte: Pokraticz [2] recte: Kladivo [3] Cf. nros. 1039, 1370 et 1556.

1784. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao de Znojma (?) perpetuam vicariam in ecclesia Cremsirensi, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Maii 11.

Bonifacius . . . . Tudensi et Olomucensi episcopis ac . . . . officiali Olomucensi . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Wenczeslaus de Gneym rector parrochialis ecclesie in Stikowicz Olomucensis diocesis, magister in artibus, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenczeslai peticio continebat, quod olim perpetua vicaria in ecclesia s. Mauricii in Cremsir dicte diocesis per obitum quondam Francisci ultimi ipsius vicarie perpetui vicarii extra Romanam curiam defuncti vacante . . . . , Czenko prepositus dicte ecclesie s. Mauricii, cum ad prepositum dicte ecclesie s. Mauricii pro tempore existentem de antiqua . . . . consuetudine collacio . . . . dicte vicarie pertineat, eandem vicariam dicto Wenceslao auctoritate ordinaria contulit et providit eciam de eadem, idemque Wenczeslaus . . . . dictam vicariam extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Wenczeslaus dubitet collacionem et provisionem et assecucionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . vicariam predictam, cuius fructus . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . . , eidem Wenczeslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . ; non obstantibus . . . ., quod idem Wenczeslaus, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam in Stikowicz, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Maii a. duodecimo.

R Lat 91 fol. 67ª Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1785. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in fratrem Johannem de Ostrov ord. fratrum minorum professorem ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse sedis apostolicae capellanus sit. „Rome ap. S. Petrum a. dom. millesimo quadringentesimo primo, indiccione nona, die tercia decima mensis Maii, pont. . . . . a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Maii 13.

Armar XXXI tom. 36 fol. 87ᵇ – ª) ‚Ostrow‘ — Cf. nr. 1780 et 297.

1786. *Decernitur, ut litterae apostolicae, per quas Bohušio Albo de prioratu s. Mariae in pede pontis Pragensi domus s. Johannis Jerosolimitani provisum est, perinde valeant, ac si per alias litteras apostolicas ad suggestionem Henrici de Nova Domo postea editas non essent revocatae.*

Romae, 1401 Maii 15.

Bonifacius . . . ad futuram rei memoriam. Dudum, videlicet kal. Marcii pont. n. anno duodecimo, per nos accepto, quod prioratus s. Marie in pede pontis Pragensis Minoris ciuitatis domus s. Johannis Jerosolymitani per obitum quondam Herssonis de Sweretitz extra Romanam curiam defuncti vacabat, nos . . . . Bohussio Albo preceptori hospitalis s. Johannis Jerosolymitani in Manitina Pragensis diocesis motu proprio . . . . per nostras litteras graciose mandavimus provideri, certis sibi super hoc executoribus deputatis . . . .[1]) Et deinde, videlicet kal. Maii proximo preteriti, nobis subgesto pro parte . . . . Henrici de Noua Domo fratris eiusdem hospitalis, asserentis se per fratres prioratus hospitalis predicti Boemie concorditer electum sive nominatum in priorem dicti prioratus, et ipsum prioratum sibi per . . . . Bartholomeum Carafam priorem prioratus s. Johannis Jerosolymitani de Urbe, magisterii prefati hospitalis locumtenentem, certis modo et forma per eius litteras fore collatum, concessum et donatum, dictumque prioratum s. Marie in pede pontis non esse prioratum Boemie, sed unam et principalem cameram prioratus Boemie predicti, ad huiusmodi subgestionem et importunam instanciam ipsius Henrici nobis factam per alias nostras litteras declaravimus huiusmodi litteras nostras pro dicto Bohussio concessas tamquam subrepticias nullum sortiri debere effectum, easque revocavimus, cassavimus et irritavimus . . . ., ac collacionem, concessionem et donacionem huiusmodi et omnia et singula in litteris dicti locumtenentis contenta et inde secuta confirmavimus, ipsumque Bohussium et quemlibet alium detentorem ab ipso prioratu amoveri mandavimus, certis eciam sibi executoribus deputatis . . . . Nos postmodum de omnibus plenariam informacionem habentes ac volentes super hoc salubriter providere, ex certis causis animum nostrum moventibus motu simili auctoritate apostolica et ex certa nostra sciencia volumus ac decernimus et

declaramus, quod predicte prime littere nostre dicto Bohussio concesse et processus habiti et habendi per easdem et quecunque inde secuta remaneant in suo primevo robore firmitatis, suumque debitum perinde consequantur effectum, ac si revocate, cassate et irritate non fuissent, et secunde nostre littere minime ut premittitur emanassent et quod dicte secunde nostre littere dicto Henrico concesse nullius sint roboris vel momenti, ipsasque secundas litteras et omnia inde secuta revocamus, cassamus, irritamus et totis viribus evacuamus. Et nichilominus ad omne dubium submovendum volumus et dicta auctoritate concedimus ac dictis executoribus in eisdem primis litteris contentis mandamus, quatinus ipsi vel eorum alter de dicto prioratu, sive prioratus s. Marie in pede pontis sive prioratus Boemie sive alio quovis modo vocetur seu nuncupetur, cum omnibus cameris, membris, iurisdiccionibus et iuribus dicti prioratus Boemie, eciam si fructus . . . . dicti prioratus summam in predictis primis litteris contentam excederent . . . ., prefato Bohussio tam presencium quam predictarum primarum litterarum vigore auctoritate nostra provideant sibique et nulli alteri de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre faciant responderi et a fratribus et aliis subditis dicti prioratus Boemie obedienciam et reverenciam debitas exhiberi et alias ad ulteriorem execucionem dictarum primarum litterarum, si nondum est processum, perinde procedant, ac si in eis fuisset expressum, quod prioratus Boemie nominaretur, et verus valor specialiter et expresse fuisset expressus . . . Volumus autem, quod dictus Bohussius responsionem, quam prior dicti prioratus Boemie pro tempore existens magistro dicti hospitalis pro tempore existenti vel eius locumtenenti loco et terminis consuetis annis singulis facere consuevit, magistro vel eius locumtenenti, qui est et erit pro tempore, integre et cum effectu facere teneatur, alioquin tam presentes quam prime littere nostre dicto Bohussio concesse nullius existant roboris vel momenti . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. duodecimo.

R. Lat. 82 fol. 132a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1735.

1787. *Sententia in palatio apostolico minus legitime lata, per quam canonicatus et praebenda ecclesiae Magdeburgensis Henningo Niendorp de Burg*[a]) *contra Vernerum de Schulenburg*[b]) *adiudicata est, necnon processus per Adam [de Nežetic] archidiaconum Gradicensem in ecclesia Pragensi ac quoscunque alios executores et subexecutores praetextu dictae sententiae habiti revocantur, mandaturque episcopo Thelesino et praeposito monasterii s. Johannis extra muros Halberstadensis ac officiali Brandeburgensi, quatenus dictum Henningum ad corporalem possessionem eorundem canonicatus et praebendae praefato Vernero dimittendam moneant „Romani pontificis“ „Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. duodecimo“.*

Romae, 1401 Maii 15.

R. Lat. 89 fol. 247a — a) ‚Borch‘ b) ‚Schulenborch‘ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1788. *Anno 1401 die XVI. Maii Johannes episcopus Culmensis, commendatarius monasterii s. Salvatoris Saxardiensis ord. s. Benedicti Quinquecclesiensis dioc., obligavit se camerae apostolicae pro suis servitiis per Vincentium Angelini Welucii perpetuum vicarium ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis.*

Romae, 1401 Maii 16.

Oblig. et sol. 57 fol. 17[a].

1789 *Scholastico ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus Petro de Kopidlno parrochialem ecclesiam in Stodůlky, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1401 Maii 17.

Bonifacius . . . . scolastico ecclesie Pragensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Petri de Copidlna presbyteri Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse in Oslow et . . . . Stiborius de Coptecz in Stodolka dicte diocesis parrochiales ecclesias, quas tunc temporis obtinebant, desiderantes illas . . . . invicem permutare, in manibus . . . . Nicolai Puchnik canonici Pragensis, vicarii . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis in spiritualibus generalis, extra Romanam curiam . . . . libere resignarunt, idemque vicarius, resignacionibus huiusmodi per eum extra eandem curiam auctoritate ordinaria receptis et admissis, in Stodolka Petro et in Oslow ecclesias predictas . . . . Stiborio prefatis eadem auctoritate contulit et de illis eciam providit, ipseque Petrus eandem ecclesiam in Stodolka . . . . assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . prefatus Petrus dubitet collacionem et provisionem predictas sibi, ut premittitur, factas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . parrochialem ecclesiam in Stodolka predictam, cuius fructus . . . . sexdecim marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Petro . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod nos dudum dicto Petro de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis, eciam dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . archiepiscopi [Pragensis] et . . . prepositi, . . decani, . . scolastici, . . archidiaconi et . . capituli ecclesie Pragensis . . . . spectantibus, eciam si huiusmodi dignitas curata vel electiva fuerit, sub data V. idus Novembris pont. n. anno primo[1]) graciose concessimus provideri. Nos enim cum eodem Petro, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias incompatibile recipere et una cum dicta ecclesia in Stodolka usque ad triennium retinere . . . . valeat . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus, ita tamen, quod ipse Petrus alterum ex parrochiali ecclesia in Stodolka et beneficio huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili infra huiusmodi triennium teneatur permutare, alioquin dictam ecclesiam in Stodolka . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Junii a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 3[illegible] — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXVI D[illegible] BENEVENTO — [1] 1389 Nov. 9.

1790. *Nicolao de ‚Direskwicz'[1]) reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica vacantia vel vacatura.*

Romae, 1401 Maii 18.

Bonifacius . . . . Nicolao quondam Henrici de Direskwicz presbytero Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si alterum eorum curatum fuerit, clericis secularibus assignari consueta, cuius seu quorum fructus . . . ., si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis eciam racione dignitatum personatuum vel officiorum, que in dicta ecclesia obtinent, et prepositi in Chouniez per prepositum soliti gubernari, necnon . . . . abbatisse et conventus Vallis s. Marie de Osslauia premonstratensis et cisterciensis ordinum monasteriorum Olomucensis diocesis collacionem . . . . pertinencia, eciam si alterum beneficiorum huiusmodi canonicatus et prebenda ipsius ecclesie fuerit, si quod vel si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint . . . , conferenda tibi . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . . si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . . , quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa . . . . eciam illis, quibus concessimus vel indulsimus aut forsan imposterum per nos concedi vel indulgeri contigerit, quod gracie expectative cum clausula antelacionis alicui per nos concesse vel concedende eis preiudicare non debeant, et eciam si de ipsis ac facultate et concessionibus ac indultis huiusmodi ac ipsorum nominibus et cognominibus propriis de verbo ad verbum in presentibus mencio foret habenda, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris continuis commensalibus actu nobis domestice et commensaliter famulantibus, huiusmodi beneficia expectantibus . . . , te . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Junii a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Concordiensi et . . . . Wellegradensis et Scotorum in Wyenna Olomucensis et Patauiensis diocesium monasteriorum abbatibus . . . .

R. Lat. 94 fol. 58[illegible] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Treskowitz (Troskotovice) in districtu Nikolsburgensi?

1791. *Archiepiscopo Pragensi ac Bambergensi et Eichstaedtensi[a]) episcopis mandatur, quatenus sententiam, quae in causa, inter Johannem Plessing armigerum Bambergensis dioc. et proconsules, consules et oppidanos oppidorum in Straubing[b])*

et in Deggendorf[c] *super quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis mota, per Johannem comitem de Trahendingen, vice et de mandato Venceslai Romanorum et Bohemiae regis tamquam iudicem curiae in civitate Pragensi pro tribunali sedentem. 1391 Februarii 4 pro praefato Johanne Plessing lata fuit, auctoritate apostolica exsequantur dictosque consules et oppidanos ad satisfaciendum ipsi Johanni Plessing eadem auctoritate compellant; per sententiam autem antedictam, cuius tenor praesentibus litteris insertus est, inter certos alios etiam dom. Borivoj de Swinař*[d] *summus procurator in Bavaria et omnes eius subditi defensores dicti Johannis Plessing super praemissis instituuntur. „Justis et honestis“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Junii a. duodecimo.*

Romae, 1401 Maii 21.

R. Lat. 89 fol. 193a — a) ‚Eysteten' b) ‚Strawbingen' c) ‚Dekendorff' d) ‚Borsywoy de Swynar' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1792. *Episcopo Misnensi mandatur, quatenus infrascriptos laicos, si eos in Martinum de Wettaburg scholarem studii Pragensis et alios clericos manus violentas iniecisse invenerit, a sede apostolica et conservatore dicti studii excommunicatos esse nuntiet.*

Romae, 1401 Maii 24.

Bonifacius . . . . episcopo Misnensi . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . Martini Kyczing de Wetenburg clerici Nuenburgensis diocesis peticio continebat, quod olim . . . Blasius decanus ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi conservator . . . . doctorum, magistrorum et scolarium universitatis studii Pragensis contra inferentes eis iniurias vel iacturas super bonis vel rebus ad eos spectantibus per apostolice sedis litteras deputatus, habens cognoscendi de hiis, que iudicialem indaginem exigunt, per easdam litteras potestatem specialem, ad ipsius Martini tunc dicti studii scolaris instanciam Henricum Proschicz civem et Catherinam quondam Conradi de Florstede laici viduam Nuenburgenses ac dictum Conradum ex eo, quod ipsi tempore, quo ipse Martinus dicti studii scolaris erat, nonnulla possessiones et bona in diocesi Nuenburgensi consistencia, ad ipsum scolarem iusto titulo tunc pertinencia, detinebant communiter indebite occupata, ad restituendum eidem scolari possessiones et bona huiusmodi coram se pretextu potestatis huiusmodi et prout id eciam habebat ex dictarum beneficio litterarum communiter fecerat ad iudicium evocari et eosdem civem et viduam tunc ac laicum, quia in prefixo eis certo termino peremptorio competenti coram eo comparere contumaciter recusaverant, reputans, prout erant, contumaces, propter huiusmodi eorum manifestam contumaciam ipsos excommunicacionis sentencia innodaverat et fecerat excommunicatos nunciari ac huiusmodi sentenciam aggravaverat, reaggravaverat; et deinde iidem civis et vidua, asserentes se exinde ab eodem decano, ut dicebant, excommunicatos ad sedem apostolicam appellasse, super appellacione huiusmodi apostolicas ad prepositum Nuenburgensem litteras contra dictum scolarem dicebantur impetrasse.

Et tandem pro parte dicti scolaris exposito quod dicti Henricus et Conradus in prefatum scolarem manus violentas diabolico spiritu instigati iniecerant, et de ipsorum Henrici, Conradi et vidue nomine, necnon mandato Conradi Proschitz, Henrici Treszewitz, Jacobi Sleife, Hermanni Sleifen, Johannis de Gena, Mathie Molendinatoris, Henrici Kyl, Conradi Baltersdorp, Ottonis Funken, Opatz Groszworm, Bernardi Sleifen, Johannis Spiligen consulum tunc civitatis Nuenburgensis ea rata habencium iniquitatis filii Henricus Halfgans et Nicolaus Wilkan laici dicte diocesis in dilectos filios Jacobum in Gotzstitz et Johannem in Gorfyn parrochialium ecclesiarum rectores tempore, quo processus excommunicacionis, aggravacionis et reaggravacionis huiusmodi ad mandatum dicti conservatoris exequebantur et publicabant, manus violentas consimili spiritu instigati iniecerant et carceri manciparant et eidem carceri mancipatos aliquamdiu detinuerant. Ortaque propterea inter scolarem ex una et proconsules, consules, cives, laicos et viduam predictos partibus ex altera occasione iniuriarum huiusmodi materia questionis, nos causam huiusmodi ad instanciam dicti scolaris bone memorie Nicolao episcopo Agrigentino, tunc capellano nostro et palacii apostolici causarum auditori, ... commisimus . . . ., non obstante, quod ipsa causa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset; idemque episcopus, tunc auditor, in huiusmodi causa procedens, primo in supradictos proconsules, consules, cives, laicos et viduam, quia in certis terminis peremptoriis ad hoc datis citatos et contumaces reputatos, propter contumaciam huiusmodi in non comparendo ad respondendum libello pro parte dicti scolaris dato et litem super eo contestandum excommunicacionis sentenciam promulgavit. Tandem nos causam ipsam . . . . magistro Brande de Castelliono capellano nostro et dicti palacii causarum auditori . . . . commisimus . . . .; quique . . . . supradictam excommunicacionis sentenciam aggravavit et reaggravavit et auxilium brachii secularis contra eosdem invocavit; et deinde eosdem proconsules, consules, cives, laicos et viduam ab eisdem sentenciis in eos per eum et dictum episcopum fulminatis et ab instancia iudicii absolvit et dictum scolarem in expensis condemnavit. Ac subsequenter nobis pro parte eorundem proconsulum, consulum, civium, laicorum et vidue suggesto, quomodo idem scolaris post et contra huiusmodi absolucionis intimacionem sibi factam in vim processuum et sentenciarum per ipsum Brandam et episcopum, tunc auditores, fulminatarum nonnulla bona incolarum Nuenburgensium arrestaverat et occasione arrestacionis huiusmodi nonnullas pecuniarum summas ab eisdem incolis extorserat et ad nonnulla verba iniuriosa in eos proruperat, pro parte vero eorundem proconsulum, consulum, civium, laicorum et vidue nobis supplicato, ut dictum scolarem compelli ad relaxandum arrestata et restituendum extorta huiusmodi mandare et causas super premissis et injuriis huiusmodi in dicta curia committere dignaremur, nos tunc eidem Brande auditori commisimus, ut arrestata relaxari et extorta predicta restitui faceret necnon causas huiusmodi audiret, si et prout de iure. Qui quidem Branda auditor eundem scolarem monuit, quatenus arrestata relaxaret et extorta predicta restitueret, alioquin in eum excommunicacionis sentenciam promulgabat ipsumque mandabat et fecit excommunicatum publice nunciari, atque eum certam pecuniarum penam tunc expressam incurrere volebat ipso facto, et nichilominus citari mandabat, quatenus coram eo compareret et se monicioni huiusmodi paruisse doceret in certo termino

tunc expresso. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, proconsules, consules, cives, laici et vidua tempore commissionis pro parte eorum a nobis, ut prefertur, impetrate et absolucionis ab instancia iudicii ac processuum contra dictum scolarem, ut prefertur, habitorum et dudum ante excommunicacionem, aggravacionem et reaggravacionem in ipsorum aliquos specialiter et aliquos generaliter per conservatorem predictum necnon aliarum excommunicacionum sentenciis, per sedem apostolicam in illos, qui manus in clericos iniecerint violentas aut eos carceri mancipaverint vel eidem carceri mancipatos tenuerint aut qui inieccionem ac carceris mancipacionem seu detencionem huiusmodi, quorum nomine vel mandato facta fuerint, rata habuerint, generaliter promulgatis, fuerint innodati, quare pro parte scolaris nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis sibi providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque statum cause et aliorum premissorum habentes presentibus pro expresso et quascunque surrepciones et obrepciones, si que sint in eisdem, tollentes ac causam ipsam ad nos advocantes, fraternitati tue . . . . mandamus, quatinus, si de manuum inieccione vel carceris mancipacione, detencione vel ratihabicione huiusmodi aut quod sentencie dicti conservatoris noudum sublate fuerint vel altera premissorum tibi constiterit, summarie huiusmodi sacrilegos tam diu a sede et conservatore predictis excommunicatos publice nuncies et facias ab aliis nunciari et ab omnibus arcius evitari, donec passis iniuriam satisfecerint competenter et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem eandem venerint absolvendi, necnon vocatis eisdem et aliis, qui fuerint evocandi, huiusmodi commissionem, absolucionem ab instancia iudicii, processum et inde secuta quecunque contra scolarem post predictas sentencias, nulla super eis absolucione, revocacione aut expurgacione legitima obtenta, inveneris fore facta, ea declares et denuncies auctoritate nostra fore nulla et nullius existere roboris vel momenti, et nichilominus per te legitimis servatis processibus, dictas sentencias pro eodem scolari latas innoves et facias eas eadem auctoritate una cum invocacione dicti brachii inviolabiliter observari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Junii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 253b — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1793. *Cum Johanne Nicolai plebano in Kozlow dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1401 Maii 24.

Bonifacius . . . . Johanni Nicolai rectori parrochialis ecclesie in Kotlowo Wratislauiensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod, cum olim tres alieni et incogniti viri ad quandam tabernam, quam pater tuus protunc inhabitabat, declinassent ac tecum propter quandam famulam patris tui predicti ad verba iniuriosa devenissent, unus ex viris huiusmodi te cum quodam baculo percutere nitebatur, tuque considerans tibi periculum imminere, ad quandam domum vicini tui aufugisti ac ibidem, quadam lancea per te ad manus recepta causa te defendendi, ab uno virorum huiusmodi in brachio sinistro graviter vulneratus fuisti, cumque

parrochiani tui accurrentes eundem vulnerantem detinuissent, ac alii duo ex eisdem viris te causa, ut creditur, te interficiendi aggressi fuissent, iidem parrochiani satagantes te de manibus illorum liberare, huiusmodi aggressores insequebantur ac unum eorum in campis captivarunt. Cumque quidam familiaris tuus, qui in campis huiusmodi laborabat, accurrens te intelligeret graviter vulneratum, eundem captivatum cum adiutorio parrochianorum huiusmodi ibidem interfecit, te id penitus ignorante Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu de premissis doleas ab intimis ac dubites te premissorum occasione posse imposterum molestari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi et statui tuo super hoc de oportuno remedio . . . . dignaremur. Nos igitur . . . tecum, qui presbyter es, ut in susceptis ordinibus ministrare ac quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura se invicem compaciencia, que forsan obtines vel tibi alias canonice conferentur, recipere et retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica . . . . dispensamus, ac abolemus omnem inhabilitatis, irregularitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam, teque in omnibus et per omnia in statum pristinum restituimus per presentes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Junii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 253ª — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine N. XX DE BENEVENTO.

***1794**. Decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Carolo Herssonis motu proprio unum vel duo beneficia ecclesiastica vacantia vel vacatura reservet.*

Romae, 1401 Maii 28.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Carolum Herssonis rectorem parrochialis ecclesie in Markowicz Pragensis diocesis, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Carolum . . . . ad curatum beneficium obtinendum ydoneum esse reppereris . . . ., motu proprio . . . . unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si canonicatus et prebende et ipsum unum aut ipsorum duorum alterum cum cura aut dignitas vel personatus seu officium eciam cum cura vel sine cura in metropolitana seu cathedrali aut collegiatis ecclesiis fuerit seu fuerint, et ad illam vel illum seu illud consueverit quis per eleccionem assumi, et si forsan ita esse non reppereris . . . ., dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum beneficium seu beneficia sine cura ydoneum esse inveneris . . . ., sine cura dumtaxat unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum aut dignitas vel personatus, viginti quinque, si vero sine cura nec dignitas vel personatus fuerint seu fuerit, decem et octo marcarum argenti puri . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, . . decani et . . capituli singulorumque canonicorum et

personarum maioris, ac . . prepositi, . . decani et . . capituli singulorumque canonicorum et personarum s. Petri Wissiegradensis Pragensium Romane ecclesie immediate subiecte ecclesiarum, necnon abbatisse et . . conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti collacionem . . . . pertinens seu pertinencia, eciam si canonicatus et prebende metropolitane seu cathedralis aut collegiatarum ecclesiarum fuerint, dummodo dignitas ipsa in metropolitana seu cathedrali maior post pontificalem vel in collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis non existat, si quod vel si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint . . . ., conferendum seu conferenda eidem Carolo . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus tam fel. rec. Urbani pp. V. . . . ., in qua cavetur, quod nullus in maiori vel alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos vel plures canonicatus et prebendas simul retinere possit, ... quam aliis constitucionibus apostolicis . . . ., aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice et continue famulantibus prefatum Carolum . . . . volumus anteferri . . . . Nos enim cum prefato Carolo, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias incompatibile, eciam si dignitas vel personatus seu officium curatum fuerit, recipere et una cum dicta ecclesia in Markowicz usque ad triennium insimul . . . . retinere valeat . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus, proviso . . . . quod infra huiusmodi triennium parrochialem ecclesiam aut dignitatem vel personatum seu officium curatum huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin dictam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a. duodecimo.

R. Lat. 94 fol. 144[a] — in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1795. *Decano ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni de Duba neque Venceslao [Rohle de Jičín] in quodam altari ecclesiae Pragensis ius competere, altare ipsum dicto Johanni conferat.*

Romae, 1401 Maii 31.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Pragensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . ., merita, super quibus . . . . Johannes de Duba perpetuus beneficiatus in ecclesia s. Georgii in castro Pragensi . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Wenceslaum, qui se gerit pro rectore parrochialis ecclesie s. Martini Maioris in muro Antique ciuitatis Pragensis, super altari sanctarum Sapiencie et Undecim milium virginum sito in maiori ecclesia Pragensi, ad quod, tunc per obitum

quondam Jaclini ipsius altaris ultimi rectoris extra Romanam curiam defuncti vacans, Johannes se per .... Franciscum Rokyczaner[a]) civem Pragensem, qui se verum patronum, Wenceslaus vero se per .... Elizabeth .... Francisci dicti Werner civis Pragensis uxorem, que se eciam veram patronam dicti altaris asserere dicuntur, tibi, cum ad decanum dicte ecclesie Pragensis pro tempore existentem institucio rectoris dicti altaris, cum vacat pro tempore, de antiqua .... consuetudine pertineat, ad dictum altare infra tempus legittimum presentatos fuisse canonice asserebant, quolibet ipsorum presentacionem de se factam canonicam fore pronunciari et se in rectorem ipsius altaris institui petente, coram te non ex delegacione apostolica materia questionis, tu in eadem causa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur neutri dictorum Johannis et Wenceslai in dicto altari seu ad ipsum ius competere, nos statum cause huiusmodi, eciam si in ea ad conclusionem inclusive processum sit habentes presentibus pro expresso ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Johannis et Wenceslai in dicto altari seu ad eum *(sic)* [ius] competere, predictum altare, quod sine cura est, et cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Johanni conferre et assignare procures ....; non obstantibus .... quod idem Johannes, ut asserit, in dicta ecclesia s. Georgii quoddam perpetuum beneficium ‚canonicatum' nuncupatum ac parrochialem ecclesiam in Libiczicz Pragensis dioc., quorum fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Junii a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 120[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — Altera copia in R. Lat. 95 fol. 220[a], ubi autem finis bullae cum data et cum nota registratoris deest. — [a]) ‚Rokyczanar' Lat. 97.

1796. *Johannes de Thomaskirch[a]) ord. fratrum praedicatorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum octavo idus Junii pont. a. duodecimo."*

Romae, 1401 Junii 6.

R. Lat. 317 fol. 222[a] — [a]) ‚Tomaskirche' — In fine: sin.) XX. M. DE SANCTA AGATHA; (med.) BERTOLDUS; (dext.) JA. DE BONONIA.

1797. *Ecclesiam monasterii monialium s. Catherinae Vratislaviensis sub cura et secundum instituta ordinis fratrum praedicatorum viventium ac altare s. Annae in eadem ecclesia situatum in vigilia et per totam diem assumptionis b. Mariae virginis visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini quomodolibet consequuntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis „Licet is" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii a. duodecimo."*

Romae, 1401 Junii 8.

R. Lat. 88 fol. 120b — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine DE MANDATO. JAC. DE TERAMO

***1798**. Cum Zbynkone de Hasenburg dispensatur, ut officium capitaneatus in regno Bohemiae exercere seque artibus bellicis immiscere possit.*

Romae, 1401 Junii 9.

Bonifacius . . . . Sbineoni de Hasenborg preposito ecclesie Melnicensis Pragensis diocesis . . . . Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut votis tuis, illis presertim, que ad quietem conscience tue cedere noscuntur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex illustris de tua industria confisus te capitaneum in nonnullis partibus regni Boemie pro defensione et tuicione ipsius regni ac bonorum tuorum contra inimicos et malificos constituerit, pro parte tua, qui, ut asseris, in minoribus duntaxat ordinibus constitutus existis, [ut] tecum, quod officium capitaneatus huiusmodi exercere et te bellicis artibus pro tuicione et defensione dicti regni ac tuis bonis immiscere libere et licite valeas, dispensare et alias tibi et statui tuo super hoc providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . tecum, ut capitaneatus officium huiusmodi exercere et te artibus bellicis pro defensione et tuicione predicti regni ac bonorum tuorum dumtaxat una cum subditis et amicis tuis immiscere libere et licite valeas, et quod propterea nullam irregularitatis seu inhabilitatis maculam sive notam incurrere censearis, auctoritate apostolica . . . . dispensamus. Volumus autem, quod te in officio et bellicis artibus huiusmodi taliter geras, quod id tibi non possit apud deum ad culpam imputari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Junii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 95a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

***1799**. Ernesto abbati et conventui monasterii ad S. Coronam indulgetur, ut imposterum abbates per dictum conventum eligendi absque licentia seu confirmatione cuiuscunque regimen praefati monasterii exercere possint.*

Romae, 1401 Junii 10.

Bonifacius . . . . Ernesto abbati et conventui monasterii s. Marie ad S. Coronam cisterciensis ord. Pragensis diocesis . . . . Magne et sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobamini, promeretur, ut votis vestris, illis presertim, que utilitatem et commodum vestrum et tui monasterii respicere dinoscuntur, favorabiliter annuamus. Tuis igitur in hac parte supplicacionibus inclinati vobis auctoritate apostolica indulgemus, ut, quandocunque et quocienscunque predictum vestrum monasterium, de quo hactenus sedes apostolica disponere non consuevit neque providit, per resignacionem vel per obitum tuum, fili abbas, seu successorum tuorum, abbatum dicti monasterii, qui erunt pro

tempore, aut alio quovis modo vacare contigerit, liceat vobis, filii conventus, non obstantibus quibuscunque iurisdiccionibus et restriccionibus, ad elecc[i]onem abbatis dicti vestri monasterii licite procedere, prout eciam hactenus facere consuevistis, et quod omnes et singuli, qui successive pro tempore abbates eiusdem vestri monasterii, cum vacabit, per vos conventum electi fuerint, ut ab expensarum oneribus et laboribus releventur, statim et eo ipso, qui sic erunt electi, absque confirmacione aliqua sint veri abbates eiusdem monasterii et pro talibus habeantur et eciam censeantur, et proinde absque licencia visitatoris vestri, patris abbatis vel cuiuscunque alterius libere administrare bona dicti monasterii ac curam monachorum et personarum eiusdem monasterii gerere ac omnia alia et singula, que ad curam, administracionem et regimen dicti monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus pertinent, licite facere et exercere possint, ac si huiusmodi eleccio foret canonice confirmata, nec aliquam confirmacionem seu installacionem a quocunque petere seu recipere teneantur; vobis nichilominus de uberioris dono gracie, quod huiusmodi abbates per vos conventum imposterum eligendi absque aliqua confirmacione libere et licite a quocunque maluerint abbate eiusdem ordinis, graciam et communionem apostolice sedis habente, munus benediccionis recipere valeant, et idem abbas huiusmodi abbates libere et licite possit benedicere, tuque, fili abbas, et abbates successores tui pro tempore eiusdem monasterii licite possis et possint vasa et vestes ac calices et alia ornamenta ad monasterium, divinum [cultum] ac altaria pertinencia benedicere, concedentes, constitucionibus vel litteris ac privilegiis apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti monasterii et ordinis nostri contrariis . . . . non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome apud S. Petrum quarto idus Junii a. duodecimo.

R. Lat 93 fol. 161[a] — Supra in marg. sin. BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1800. *Cantori ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Johanni Henrici Gurteler parrochialem ecclesiam in Lesen Vratislaviensis dioc., cuius fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, post mortem ultimi rectoris Francisci, qui extra Romanam curiam decessit, per Venceslaum episcopum Vratislaviensem auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat; non obstante, quod idem Johannes canonicatum et praebendam ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis, quorum fructus etiam 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Junii a. duodecimo."*

Romae, 1401 Junii 12.

R. Lat. 97 fol. 5[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1801. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus iudicem et scabinos iuratos in Nymburga ab excommunicationis et aliis sententiis, quas propter cuiusdam presbyteri suspendium incurrerunt, absolvat.*

Romae, 1401 Junii 15.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Sedes apostolica pia mater .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Viti Stokow iudicis et Hanusski Stokow, Nicolai Rayman, Johannis Brada, Petri Wlach, Wenceslai Maii, Conradi Mrazko, Johannis Hawran, Gyre Pamade[1], Benessii Bracsatoris, Hanusskonis Carnificis, Tomykonis Merkil et Mathie Batzenhyrn scabinorum iuratorum in Nymburga super Albea prope Pragam peticio continebat, quod olim ipsi de mandato subcamerarii .... Wenzeslai Romanorum et Boemie regis[2]) quendam presbyterum suis culpis et demeritis exigentibus ultimo tradiderunt supplicio et sentencialiter suspendi fecerunt, diversas sentencias et penas in tales promulgatas dampnabiliter incurrendo. Et sicut eadem peticio subiungebat, prefati iudex et scabini de premissis dolent[es] ab intimis, cupiunt ad ecclesie redire unitatem. Pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de absolucionis beneficio ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis, quas propter premissa incurrerunt, et alias de oportune dispensacionis gracia de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sedis predicte clemencia non consuevit penitentibus veniam denegare ...., discrecioni tue .... committimus et mandamus, quatenus, si est ita, eosdem iudicem et scabinos et quemlibet eorum, si hoc humiliter pecierint, ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis, quas, ut premittitur, incurrerunt, auctoritate nostra hac vice duntaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inter alia sub virtute iuramenti, per eos tactis scripturis sacrosanctis ad s. dei evangelia corporaliter prestandi, quod de cetero similia non committant nec ea facientibus prestent consilium, auxilium et favorem, ac pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Julii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 236[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1]) i. e. Panicide? [2]) Iste subcamerarius sine dubio Sigismundus Huler est, qui aa. 1387—1402 subcamerarii regii officium tenuit et aa. 1392 et 1393 Pragae duos clericos propter diversa crimina morti tradi iussit. C. Tomek, Dějepis Prahy III.$_2$ p. 365

1802. *Nicolaus Andreae de Znojma[a]) ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Julii a. duodecimo*“.

Romae, 1401 Junii 15.

R. Vat. 317 fol. 229[a] — [a]) ‚Znoyma‘ — In fine: (sin.) XX, M. DE SANCTA AGATHA; (dext.) A. DE PORTUGRUARIO, JO DE TREMOSNICZ.

1803. *Abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis mandatur, quatenus Hinconi dicto Hynek parrochialem ecclesiam in Cestiez, quam ipse aliquamdiu illegitime obtinebat, postquam eam dimiserit, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1401 Junii 21.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Hodie siquidem pro parte . . . . Hinconis dicti Hynek subdiaconi Pragensis diocesis nobis exposito, quod olim ipse parrochialem ecclesiam in Czyestycz dicte diocesis tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, canonice assecutus eamque per annum et ultra et adhuc nulla canonica dispensacione super hoc obtenta possidens se ad sacerdocium promoveri non fecit, fructus eciam post annum huiusmodi ex ea percipiendo licet de facto, nos omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per ipsum Hinconem premissorum occasione contractam per alias nostras litteras abolevimus et voluimus, quod idem Hinco dictam ecclesiam extunc realiter et omnino dimitteret . . . . Cum autem secundum premissa dicta ecclesia adhuc per non promocionem huiusmodi vacare noscatur, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . quindecim marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Hinconi, postquam eam primitus libere dimiserit, ... eadem apostolica auctoritate conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Julii a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 72a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1804. *Infrascriptis armigeris Pragensis diocesis quandam capellam seu altare fundandi licentia conceditur.*

Romae, 1401 Junii 26.

Bonifacius . . . . nobilibus viris Petro de Skalka, Rudigerio de Wrssowicz et Conrado de Zelenicz armigeris Pragensis diocesis . . . . Exigit magne vestre devocionis sinceritas, ut votis vestris, illis presertim, que ad vestrarum et progenitorum necnon heredum vestrorum animarum salutem ac divini cultus augmentum cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod vos zelo devocionis accensi . . . . de quibusdam bonis vestris, vobis partim per alios Christi fideles ad hoc assignatis et commissis, pro vestrarum et eciam progenitorum et heredum vestrorum necnon dictorum Christi fidelium animarum salute quandam capellam sive altare in ecclesia sive loco, ubi hoc vobis magis acceptum videbitur, de novo creare et erigi facere et illam seu illud pro uno presbytero, qui inibi perpetuo domino deserviat in divinis, competenter dotare desideretis et eciam affectetis, si ad id apostolice sedis accedat assensus. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis et heredibus vestris premissa perficiendi licenciam impartiri et ius patronatus ad ipsam capellam seu altare [rectorem] presentandi vobis et heredibus ac successoribus vestris perpetuo re-

servare . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . vobis, ut capellam seu altare huius modi in ecclesia seu loco, ubi hoc vobis magis acceptum videbitur seu conveniens, erigi facere illamque seu illud dotare libere et licite possitis, diocesani loci vel alterius cuiuscunque licencia seu consensu minime requisitis, auctoritate apostolica . . . . indulgemus, necnon ius patronatus ad capellam seu altare huiusmodi ydoneum seu ydoneos rectorem seu rectores, postquam erecta seu erectum et competenter dotata seu dotatum fuerit, ut prefertur, pro tempore presentandi vobis et heredibus ac successoribus vestris auctoritate predicta . . . . nichilominus imperpetuum reservantes, statuto et consuetudine ecclesie seu loci huiusmodi, in qua seu quo capellam seu altare huiusmodi erigi, fundari et dotari contigerit, et aliis forsan in contrarium editis non obstantibus quibuscumque, iure tamen ecclesie seu loci predictorum in omnibus semper salvo . . . . Datum Rome apud S. Petrum sexto kal. Julii a. duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 140ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1805. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Svatoslao Jaroslai neque Nicolao de Lubano in parrochiali ecclesia in Radčicz ius competere, ecclesiam ipsam dicto Svatoslao conferat.*

Romae, 1401 Junii 28.

Bonifacius . . . . magistro Leonardo de Sulmona capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas, ... super quibus . . . . Swatoslaus Jaroslai ordinis fratrum b. Marie de Monte Carmelo professor . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Swatoslai peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Nicolaum de Lubano, qui se gerit pro presbytero Misnensis diocesis, super parrochiali ecclesia in Radczicz Pragensis diocesis, de qua tunc certo modo vacante Swatoslaus sibi auctoritate apostolica graciose et canonice mandatum fuisse provideri,[1]) ipsamque . . . . sibi deberi, prefatumque Nicolaum se mandato et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . . dictamque ecclesiam occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatam, Nicolaus vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, nos causam huiusmodi tibi ad instanciam dicti Swatoslai . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tuque in eadem causa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Swatoslai et Nicolai in ipsa ecclesia seu ad eam ius competere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi constiterit neutri eorundem Swatoslai et Nicolai in ecclesia predicta seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam parrochialem, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Swatoslao auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Julii pont. n. a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 198c — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO – [1]. Cf. nr. 1166.

1806. *Ecclesiam s. Mariae in Budweis visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1401 Junii 29.

Bonifacius . . . . universis . . . . Dum precelsa meritorum . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii s. Marie in Budways ord. predicatorum Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur ac eciam conservetur, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui a primis vesperis usque ad secundos vesperos nativitatis eiusdem b. Marie virginis et per octo dies eandem festivitatem immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim vel ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi annis singulis quomodolibet consequuntur. Et nichilominus . . . . episcopo Wladramensi [1]) et . . . . priori eiusdem monasterii, qui nunc sunt et erunt pro tempore, ut octo vel plures sacerdotes ydoneos seculares vel regulares annis singulis deputare et eligere possint, qui confessiones omnium et singulorum Christi fidelium in festo et octo diebus sequentibus predictis . . . . eadem auctoritate audire et . . . . pro commissis eis debitam absolucionem impendere ac iniungere pro modo culpe penitenciam salutarem, nisi forsan talia sint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, ... possint, auctoritate predicta . . . . indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod omnes oblaciones et emolumenta, que ad eandem ecclesiam causa huiusmodi visitacionis et indulgencie . . . . provenerint, in fabricam, reparacionem et conservacionem eiusdem ecclesie penitus convertantur . . . ., concedentes, quod, si forsan tales indulgencie per nos vel sedem apostolicam in genere vel in specie revocarentur seu cassarentur vel quomodocunque anullarentur, quod tales revocaciones seu cassaciones nullatenus quoad presentes nostras litteras subintelligantur, sed [eas] in suo robore firmitatis volumus remanere. Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a duodecimo.

R. Lat. 89 fol. 113b Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. – [1]) Id est Vladimirensi. Ladimirensi. Nicolaus episcopus Vladimirensis aa. 1399—1403 pluries in Bohemia in Krummau, clericos ordinavit. Cf. Frind, Kirchengeschichte Böhmens III. p. 332.

1807. *Cum Hynkone*[a]) *rectore parrochialis ecclesiae in Česticz*[b]) *Pragensis dioc., in subdiaconatus ordine constituto, dispensatur, ut usque ad septennium a data praesentium dictam ecclesiam retinere possit et interim ad sacros ordines promoveri non teneatur.*[1]) *„Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Julii a. duodecimo“.*

Romae, 1401 Junii 30.

R. Lat. 88 fol. 123c — a) ‚Hinco' b) ‚Czesticz' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO — 1) Cf. nr. 1803.

1808. *Episcopus Vratislaviensis et abbates monasteriorum Strahoviensis Pragensis ac Scotorum in Vienna*[a]) *Pataviensis dioc conservatores Volframi archiepiscopi Pragensis usque ad decennium instituuntur. „Ad hoc nos deus" „Rome ap. S. Petrum kal. Julii a. duodecimo".*

Romae, 1401 Julii 1.

R. Lat. 92 fol. 251b — a) ‚Wyenna' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1809. *Conrado Schilher gratia exspectativa alias ei concessa ad plura beneficia civitatis et dioecesis Vratislaviensium extenditur, statuiturque eum in assecutione huiusmodi beneficiorum omnibus praeter cardinales et veros familiares apostolicos anteferri debere.*

Romae, 1401 Julii 1.

Bonifacius . . . . Conrado Schilher canonico Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas . . . . Dudum siquidem, videlicet sub data idibus Novembris pontificatus nostri anno primo[1]), tibi de Spirensis et de s. Andree Wormaciensis et deinde sub data kalendis Aprilis eiusdem pontificatus anno decimo[2]) de Wratislauiensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura dicte Wratislauiensis ecclesiarum, eciam si ad dignitatem, personatum vel officium huiusmodi consuevisset quis per eleccionem assumi, et dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia Wratislauiensi foret, per diversas nostras litteras graciose duximus providendum, teque inter cetera omnibus preterquam auctoritate nostra in Spirensi et s. Andree, in Wratislauiensi vero omnibus, eciam auctoritate nostra in canonicos receptis vel prebendas in eisdem ac dignitates, personatus vel officia huiusmodi in Wratislauiensi ecclesiis predictis eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus . . . . voluimus anteferri, ac nichilominus per easdem ultimas litteras tecum, ut huiusmodi dignitatem vel personatum seu curatum officium . . . . aut aliud beneficium curatum seu alias cum parrochiali ecclesia in Hasfurt Herbipolensis diocesis, quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, incompatibile, eciam si dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia huiusmodi principalis foret, et ad illam, illum vel illud consuevisset quis per eleccionem assumi . . . ., recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia vel alio beneficio curato seu alias incompatibili, quod te loco illius forsan assequi contingeret, quoad viveres, retinere ac parrochialem ecclesiam et dignitatem vel personatum seu officium aut alia beneficia huiusmodi . . . . tociens, quociens tibi placeret, dimittere et . . . . alia . . . . be-

neficia . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere libere et licite valeres, graciose duximus dispensandum, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . . Nos igitur . . . . motu proprio . . . . litteras prefatas, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii dicte ecclesie Wratislauiensis providimus, ut prefertur, cum reservacionis, inhibicionis et decreti ac aliis clausulis in eis contentis, et processus habitos seu habendos per easdem, ad unum vel duo seu plura ac tot . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, quod eius seu eorum valor ad summam quinquaginta marcharum argenti secundum taxacionem decime ascendat annuatim, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum, trium seu plurium aliquod curatum aut dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura alicuius collegiatarum civitatis et diocesis Wratislauiensium ecclesiarum, et dignitas ipsa in aliqua ex collegiatis ecclesiis eisdem principalis fuerit, et ad dignitatem, personatum vel officium huiusmodi consueverit quis per eleccionem assumi, ad cuiuscunque . . . . collacionem . . . . pertinencia, si quod vel si qua in civitate vel diocesi Wratislauiensibus predictis vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint, . . . tibi . . . per huiusmodi executores vel subexecutores ad hoc deputatos seu deputandos iuxta tenorem dictarum ultimarum litterarum ac processuum habitorum et habendorum per easdem conferendum seu conferenda auctoritate apostolica a data earundem ultimarum litterarum de speciali gracia extendimus per presentes; et insuper . . . . auctoritate predicta motu simili ex certa sciencia declaramus per aliquas gracias de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum huiusmodi per nos seu auctoritate nostra alicui seu aliquibus cum quacunque antelacionis prerogativa . . . . preterquam cardinalibus et familiaribus nostris predictis factas seu faciendas quoad . . . . assecucionem . . . . beneficiorum huiusmodi . . . . tibi non intendisse seu intendere in aliquo derogare, ac nichilominus volumus et motu simili auctoritate predicta ex certa sciencia tibi concedimus, quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque facultatis sibi a sede apostolica concesse sive concedende de huiusmodi . . . . beneficiis sub tuis graciis predictis cadentibus infra tempus ad acceptandum tibi in presentibus et litteris predictis deputatum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui providere, quodque tu omnibus et singulis . . . ., eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa . . . . sub cuiuscunque eciam prioris diei data cum quibuscunque clausulis derogatoriis . . . . beneficia huiusmodi expectantibus, eciam si in theologia aut in medicina magistri aut iuris canonici vel civilis doctores seu baccalarii formati in eadem theologia aut in medicina vel in iure canonico vel civili huiusmodi licenciati fuerint, et eciam si gaudeant privilegiis . . . . apostolice sedis vel nostrorum familiarium domesticorum continuorum commensalium aut ipsos huiusmodi privilegiis uti et gaudere posse et debere declaraverimus vel ipsos sub quacunque forma vel concepcione verborum in familiares nostros domesticos et continuos commensales hactenus recepcrimus vel inantea recipiemus, ac eciam si eis concesserimus vel indulserimus aut per nos concedi contigerit vel indulgeri, quod gracie quecunque aliis personis cum huiusmodi vel quibuscunque aliis antelacionum prerogativis . . . . concesse vel concedende ipsis preiudicare non possint, et eciam si de fa-

cultatibus, privilegiis, declaracionibus, concessionibus, indultis et derogacionibus huiusmodi et cuiuslibet eorum toto tenore de verbo ad verbum ac de personarum huiusmodi et quorumcunque aliorum nominibus et cognominibus propriis in presentibus plena et expressa mencio foret habenda, nisi in eis de presencium toto tenore de verbo ad verbum ac de tuis nomine et cognomine propriis specialis mencio habeatur, et alias expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis expressione ex certa sciencia velle derogare, dictis cardinalibus et . . . . veris nostris familiaribus domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice commensaliter et continue famulantibus dumtaxat exceptis . . . ., possis et debeas anteferri, et quod nullus tibi in aliquo valeat preiudicare . . . ., non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus Wratislauiensis et aliarum civitatis et diocesis Wratislauiensium ecclesiarum predictarum, et presertim illis, quibus caveri dicitur, ne quis in duabus aut pluribus ecclesiis earundem civitatis et diocesis canonicatus et prebendas insimul retinere, et quod nullus dignitatem, personatum seu officium in eadem Wratislauiensi vel alia civitatis et diocesis predictarum ecclesiis assequi possit, nisi canonicus actu prebendatus et capitularis ecclesie seu ecclesiarum huiusmodi existat et vocem in capitulo et ius presencie habeat, ac declaracionibus, facultatibus, privilegiis, concessionibus, indultis, litteris et graciis quibusvis personis eciam ordinariis sive prelatis factis et concessis, quibus omnibus auctoritate, motu et sciencia predictis per presentes derogamus, ipsis alias in suo robore permansuris, necnon constitucionibus, declaracionibus, voluntatibus et ordinacionibus apostolicis et presertim declaracione, voluntatibus et ordinacionibus per nos editis, videlicet quod gracie expectative cum clausula anteferri aliquibus per nos concesse vel concedende aliis similes gracias cum simili clausula primo habentibus et precedentibus eos in data non preiudicent, sed secundum ordinem date eciam quoad ipsas clausulas gracias ipsas debuisse et debere sortiri effectum, ita quod prior in data in assecucione gracie ceteris preferatur, quodque, si quis habens duas gracias expectativas sub datis V., IIII., III., II. idus Novembris pont. n. anno primo [3]), aut in duabus graciis clausulam anteferri, sub quacunque data hactenus obtinuerit vel obtineat in futurum aliam vel alias graciam seu gracias expectativas, quod relique ultra ipsas primas duas et processus habiti et habendi per easdem sint cassi, et quod, si vigore aliarum graciarum ultra dictas duas primas beneficium seu beneficia assequatur, quod in ipsis propterea nullum ius ei acquiratur; quodque, si quis habeat graciam expectativam de uno, duobus aut pluribus seu tot beneficiis, quod eorum fructus . . . . ad certam summam annuatim ascendant, in certis provinciis, civitatibus et diocesibus vel locis eciam ad collacionem . . . . quorumcunque collatorum et collatricum, quod vigore huiusmodi gracie talis expectans non possit ultra quatuor beneficia acceptare nec de illis facere sibi provideri [4]), ac aliis contrariis ac eciam omnibus illis, que in prefatis litteris voluimus non obstare. Volumus autem, quod, quamprimum sive presencium sive earundem ultimarum litterarum vigore beneficium seu officium curatum aut dignitatem vel personatum fueris pacifice assecutus, relique ex presentibus et ultimis litteris prefatis ac processus habiti et habendi per easdem et quecunque inde secuta quoad beneficium seu officium curatum aut dignitatem vel personatum sint casse et irrite . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Julii a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 170a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1] 1389 Nov. 13 – [2] 1389 April. 1 [3]) 1389 Nov. 9 – 12 [4]) Cf. Reg. Bonifacii IX (ap. Ottenthal l. c.) nr. 40, 46, 55.

1810. *Ecclesiam Olomucensem in s. Venceslai et s. Christini festivitatibus et per septem dies sequentes visitantibus indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Julii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Julii 5.

R. Lat. 89 fol. 184[1] Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — Ed. ex originali in Cod. dipl. Mor. XIII. nr. 120.

1811. *Parrochialem ecclesiam s. Bartholomaei in Luk Olomucensis dioc. certis diebus anni (qui in nro. 366 nominati sunt, et in festivitatibus s. Bartholomaei apostoli et s. Catharinae) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Julii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Julii 6.

R. Lat. 89 fol.185a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1812. *Indulgentia ecclesiam monasterii s. Clarae in Krummau in ostensione reliquiarum visitantibus concessa extenditur.*

Romae, 1401 Julii 7.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Dudum siquidem pro parte nobilis viri Henrici baronis baronie de Roesenbergh Pragensis diocesis nobis exposito, quod s. crucis et una de spinis corone domini nostri Jesu Christi et pars mensalis, in quo in ultima cena cum discipulis suis discubuit, ac nonnulle sanctorum reliquie alie in custodia sua servabantur, que in octava festivitatis corporis eiusdem domini nostri Jesu Christi populorum multitudini ex diversis mundi partibus Crumpnano dicte diocesis, in quo dictus Henricus domicilium habebat, causa devocionis veniencium circa ecclesiam monasterii s. Clare dicti oppidi ord. eiusdem sancte solempniter ostendebantur, nos . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui dicta die, dum huiusmodi reliquie ostendebantur, causa devocionis ostensioni huiusmodi interessent a primis vesperis usque ad secundos vesperos eiusdem festivitatis predictamque ecclesiam monasterii prefati devote visitarent annuatim et ad ipsius fabricam et conservacionem manus porrigerent adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum, que et sicut habetur apud s. sepulchrum dominicum in Terra sancta, auctoritate apostolica per quasdam concessimus et voluimus, quod quecunque indulgencie per nos vel pre-

decessores nostros eidem ecclesie monasterii huiusmodi quomodocunque seu qualitercunque .... concesse in suo nichilominus permanerent robore firmitatis; et deinde per alias nostras litteras eidem Henrico indulsimus, ut decem vel plures sacerdotes ydoneos, seculares vel regulares, annis singulis deputare et eligere posset, qui confessiones .... Christi fidelium in octava et duobus diebus precedentibus huiusmodi ad eandem ecclesiam monasterii huiusmodi .... confluencium .... eadem auctoritate audire .... valeant, prefatis litteris perpetuis temporibus duraturis [1]) .... Nos itaque, ne propter brevitatem temporis statuti ad huiusmodi indulgenciam assequendam Christi fideles presertim ab oppido distantes per spacia longiora huiusmodi indulgencie frustrentur effectu, prefatam indulgenciam et remissionem peccatorum per totam octavam a die dicte octave computandam duraturam, infra quam fideles ipsi huiusmodi indulgenciam et remissionem peccatorum sicut ipsa die octave festivitatis huiusmodi corporis domini perpetuis futuris temporibus consequi valeant, auctoritate predicta ex certa sciencia extendimus per presentes, priori voluntate nostra et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Julii a. duodecimo.

R. Lat. 94 fol. 228b — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nros. 1702 et 1708.

1813. *Capellam hospitalis leprosorum ss. Undecim milium virginum extra muros Vratislavienses certis diebus anni (qui in nro. 366 sunt nominati, ac in festivitatibus ss. undecim milium virginum et s. Margarethae) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Julii a. duodecimo.“*

Romae, 1401 Julii 9.

R. Lat. 89 fol. 240a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1814. *Episcopo Tulensi et archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi ac officiali Caminensi mandatur, quatenus Mathiae Brizik presbytero Caminensis dioc.[1]) altare s. Johannis Evangelistae situm in parrochiali ecclesia in Pyritz[a]) dictae dioc., ad quod auctoritate ordinaria institutus est, auctoritate apostolica conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Julii a. duodecimo“.*

Romae, 1401 Julii 10.

R. Lat. 97 fol. 108b — a) ‚Piricz‘ — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) ‚Mathias Bryczik, Bryczikch, Breczig de Piritz de natione Saxonum‘ in universitate Pragensi studuit, ibique a. 1391 a rectore universitatis iuristarum intitulatus, a 1396 ad magisterium in artibus admissus et a. 1398 in examinatorem bacalariandorum in artibus electus est. (Monum. univ. Prag. II./I. p. 144 et ibid I. I. 309, 332, 366.)

1815. *Ecclesiam s. Bartholomaei apostoli prope Ujest*[a]) *Vratislaviensis dioc. in festo s. Bartholomaei a primis vesperis usque ad secundos vesperos et per tres dies sequentes visitantibus illa indulgentia conceditur, quam ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini visitantes consequuntur, plebano dictae ecclesiae autem indulgetur, ut quatuor presbyteros ad confessiones Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa ad eandem ecclesiam confluentium auctoritate apostolica audiendas eligere possit; praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum idibus Julii a. duodecimo.*

Romae, 1401 Julii 15.

R. Lat. 89 fol. 249[v]. — [a]) Wyasd. — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1816. *Frederico de Gars providetur de canonicatu sub expectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Olomucensis, eique motu proprio aliquot beneficia ecclesiastica in civitate et diocesi Pataviensibus vacantia vel vacatura reservantur.*

Romae, 1401 Julii 16.

Bonifacius . . . . Frederico de Gars decano ecclesie Patauiensis . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter ac baccalarius in decretis et . . . . nobilis viri Alberti ducis Austrie secretarius existis, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Olomucensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero eiusdem ecclesie ac dignitatem, personatum seu officium cum cura vel sine cura in eadem ecclesia Olomucensi, eciam si dignitas ipsa maior post pontificalem fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, necnon unum vel duo seu tria aut plura ac tot . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, quod eius seu eorum fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedant, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aut plurium aliquod seu aliqua cum cura fuerit seu fuerint, ad cuiuscunque seu . . . quorumcunque . . . civitatis et diocesis Patauiensium collacionem . . . . pertinencia, eciam si ipsorum beneficiorum aliquod canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non fuerit, (*sic*) si que vel si qui aut si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint . . . ., conferendas seu conferendos seu conferenda tibi . . . . motu proprio . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . . , si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ipsa ecclesia Olomucensi receptis vel prebendas in eadem ac dignitates, personatus vel officia vel huiusmodi beneficia eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . expectantibus, eciam illis, quibus forsan concessimus aut per nos concedi contigerit, quod gracie cum prerogativa antelacionis seu clausula anteferri aliquibus concesse vel concedende ipsis preiudicare non debeant, ... preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris

domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice et continue famulantibus te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, decanatum ecclesie Patauiensis aut parrochialem ecclesiam in Gars dicte Patauiensis diocesis canonice noscens obtinere. Nos enim tecum, ut dignitatem, personatum vel officium aut plura beneficia curata . . . . recipere et una cum decanatu, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in ipsa ecclesia Patauiensi existit, ac parrochiali ecclesia predictis ac aliis beneficiis, que obtines et expectas et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, quoad vixeris, retinere . . . . valeas . . . ., motu simili . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Augusti a. duodecimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Scotorum ac decano Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis. . . .

R. Lat. 91 fol. 29ᵛ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1817. *Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus Venceslaum de Hradiště*[a]*) monachum monasterii in Velehrad cisterciensis ord. Olomucensis dioc., qui nimia vini potatione gravatus Venceslaum presbyterum ac monachum professum et protunc custodem dicti monasterii inscius occidisse dicitur, iniuncta ei de huiusmodi ebrietate penitentia salutari, ipsum nullam ob praemissa irregularitatis maculam incurrisse auctoritate apostolica declaret. „Humilibus et honestis“ „Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Augusti a duodecimo.“*

Romae, 1401 Julii 19.

R. Lat. 93 fol. 164ᵛ — [a] Rediss' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.-Ed. e transsumpto ddto. 1401 Sept. 1 in Cod. diplom. Morav. XIII p. 128 nr. 123.

1818. *Francisco abbati Milocensi conceditur facultas in monasterio Milocensi durante praesenti schismate omnia illa faciendi et ordinandi, quae alias ad abbatis Praemonstratensis potestatem pertinent.*

Romae, 1401 Augusti 1.

Bonifacius . . . . Francisco abbati monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Hinc est, quod nos tuis in hac parte devotis supplicacionibus inclinati, tibi et successoribus tuis, abbatibus monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis, qui erunt pro tempore, ut durante instanti damnato scismate quoscunque canonicos dicti monasterii ab omnibus et singulis excommunicacionis et aliis sentenciis atque penis, quas ex quacunque causa forsan incurrerunt hactenus vel incurrent in futurum, absolvere, et cum eis super irregularitate, si quam celebrando divina vel immis.

cendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerunt vel contrahent in futurum, dispensare, ac abolere omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos qualitercunque contractam seu contrahendam, eosque ad statum pristinum restituere, ac omnia alia et singula circa premissa necessaria et que abbas monasterii Premonstratensis dicti ordinis, quod inter scismaticos et damnate memorie Roberto olim basilice duodecim apostolorum presbytero cardinali, tunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, adherentes [est] situatum, circa premissa et alia quecunque in dicto monasterio Milocensi facere et ordinare posset, si sub nostra et sedis apostolice obediencia et devocione persisteret, facere et ordinare . . . . possitis et valeatis . . . ., auctoritate apostolica . . . . concedimus facultatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum Kal. Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 217a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

—

1819. *Statuitur ecclesiam Pragensem nonnisi per archiepiscopum Pragensem ecclesiastico interdicto summitti posse.*

Romae, 1401 Augusti 2.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Specificate sinceritatis et devocionis affectus, quo nos et Romanam ecclesiam . . . . decanus, canonici et capitulum ceterique beneficiati ecclesie Pragensis revereri dinoscuntur, non immerito promeretur, ut illa eis favore benivolo concedamus, que divini cultus augmentum et dicte ecclesie statum respiciunt et eorum quieti et tranquillitati fore conspicimus salubriter oportuna. Sane siquidem pro parte dictorum decani, canonicorum, capituli et beneficiatorum nobis nuper exhibita peticio continebat, quod plerumque contingit eandem ecclesiam per diversos locorum ordinarios, iudices et prelatos variis exquisitis occasionibus preter eorum culpam ecclesiastico interdicto summitti et divinorum officiorum celebracionem inhiberi in eadem, propter quod in ecclesia ipsa divinus cultus extitit multipliciter diminutus, dictique decanus, canonici et capitulum ac beneficiati divinorum officiorum huiusmodi solacio destituti consuetis obsequiis defraudantur. Quare pro parte dictorum decani, canonicorum, capituli et beneficiatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum et dicte ecclesie statui in premissis oportune providere paterna diligencia curaremus. Nos itaque, qui huiusmodi cultum nostris temporibus feliciter in domino augmentari intensis desideriis appetimus. . . . . volumus et apostolica auctoritate tenore presencium statuimus et eciam ordinamus, quod inantea perpetuis futuris temporibus dicta ecclesia per quemquam ordinarium, iudicem vel prelatum aut quamvis aliam personam ecclesiasticam vel mundanam, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel condicionis existat, quacunque auctoritate fulgentem, eciam occasione vel causa quacunque, preterquam per . . . . archiepiscopum Pragensem, qui nunc est et pro tempore erit, aut ad hoc eius delegatum vel commissarium nullo umquam tempore ecclesiastico valeat summitti interdicto vel divinorum offi-

ciorum celebracio inhiberi in eadem, aut ipsi vel eorum aliquis interdicti sentenciam valeant in eandem quoquo modo promulgare, nichilominus eisdem ordinariis, prelatis, iudicibus et personis, ne dictos decanum, canonicos, capitulum et beneficiatos, quominus in dicta ecclesia exclusis publice et nominatim excommunicatis, quos agnoverint esse presentes, suis loco et tempore congruentibus divina officia huiusmodi possint et valeant apertis ianuis et alta voce solenniter decantari, impedire seu contra presencium nostrorum voluntatis, statuti et ordinacionis tenorem molestare quoquo modo presumant, districcius inhibentes ac decernentes quodcunque interdictum et divinorum officiorum huiusmodi celebracionis inhibicionem necnon interdicti sentenciam huiusmodi, quod et quas in dicta ecclesia summitti vel adversus eandem contra predictorum nostrorum voluntatis, statuti et ordinacionis tenorem haberi contigerit seu eciam promulgari, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum IIII. nonas Augusti pont. n. a. duodecimo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XXI, 10 exstat. In plica ad dext.: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE. JE. DE FERENTINO; sub plica: A. DE PORTUGRUARIO. A tergo: R[EGISTRATA]. JAC. [DE TERAMO].

1820. *Vratislaviensis et Pataviensis episcopi ac abbas monasterii Strahoviensis Pragensis conservatores praepositi, decani et capituli ecclesiae Pragensis instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto nonas Augusti a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Augusti 2.

R. Lat. 92 fol. 252a. — Supra in marg. sin: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC DE TERAMO.

1821. *Monasterio b. Mariae virginis in Gredis Monachorum cisterciensis ord. Pragensis dioc., cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedant, uniuntur parrochiales ecclesiae s. Clementis Pragensis et in Rybitví*[a]) *ac in Lukov*[b]) *necnon in Bakov*[c]) *et in Hlavice*[d]) *dictae dioc., quarum ius patronatus ad abbatem et conventum praedicti monasterii pertinet, et quarum fructus 70 marcarum argenti valorem annuum non excedunt; quae ecclesiae de cetero per monachos dicti monasterii aut alios saeculares presbyteros ad nutum praefati abbatis amobiles gubernari debent.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Augusti a. duodecimo.*“

Romae, 1401 Augusti 7.

R. Lat. 93 fol. 216a — a) ‚Rybitwie‘ b) ‚Lukow‘ c) ‚Bakow‘ d) ‚Hlawicze‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1822. *Ecclesiam monasterii in Gredis Monachorum visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1401 Augusti 7.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii b. Marie virginis in Gredis Monachorum cisterciensis ord. Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo nativitatis b. Marie virginis a primis vesperis usque ad secundos vesperos ipsius festi necnon per septem dies festum ipsum immediate sequentes supradictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica concedimus, quam ecclesiam s. Marie de Porciuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinatenses a primis vesperis usque ad secundos vesperos prin.o et secundo diebus mensis Augusti, qui vero in dedicacione ecclesie eiusdem monasterii similiter a primis vesperis usque ad secundos vesperos et per septem dies dedicacionem ipsam immediate sequentes dictam ecclesiam monasterii huiusmodi visitaverint annuatim et adiutrices manus porrexerint . . . ., illam indulgenciam et remissionem peccatorum concedimus, ... quam ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis a primis vesperis usque ad secundos vesperos ascensionis domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim quomodolibet consequuntur, et nichilominus . . . . abbati ipsius monasterii . . . ., ut duodecim vel plures presbyteros ydoneos, seculares et religiosos, singulis annis deputare et eligere possit, qui confessiones Christi fidelium in nativitatis et dedicacionis festivitatibus necnon septem diebus sequentibus predictis ad eandem ecclesiam causa huiusmodi indulgencie assequende confluencium eadem auctoritate audire . . . . valeant . . . ., auctoritate predicta . . . . indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 6 b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTEGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1823. *Francisco Flosser [de Brega] conceditur, ut in assecutione beneficiorum alias auctoritate apostolica vi reservatorum omnibus praeter cardinales et veros familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1401 Augusti 8.

Bonifacius . . . . Francisco Flosser rectori parrochialis ecclesie in Tyncz Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de uno vel duobus aut tribus seu pluribus . . . beneficiis . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum . . . . plurium aliquod curatum aut canonicatus et prebenda, dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura, et dignitas ipsa maior post pontificalem in cathedrali aut principalis in collegiata ecclesiis foret, et ad eam quis per eleccionem assumeretur, cuius seu quorum fructus . . . . quadra-

ginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque seu quorumcunque collacionem . . . . pertinentibus, in civitate vel diocesi Wratislauiensibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, per nostras litteras cum certis reservacionibus, inhibicionibus, voluntatibus, decreto et aliis clausulis graciose mandavimus provideri, volentes inter cetera te omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel dissimili aut alia quavis antelacionis prerogativa huiusmodi beneficium seu beneficia exspectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice servientibus . . . . anteferri, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . . Cum autem, sicut accepimus, tu dictarum litterarum vigore parrochialem ecclesiam in Tynez dicte diocesis dumtaxat assecutus extiteris, ac dubitetur a nonnullis tam propter multitudinem graciarum diversis personis eciam cum prerogativa, quod[a]) aliis eciam auctoritate nostra similiter cum quavis antelacionis prerogativa aut alias quovis modo huiusmodi beneficia expectantibus in assecucione ipsorum beneficiorum anteferri debeant, quam eciam propter diversitatem facultatum, nonnullis prelatis de conferendo eciam auctoritate nostra variis modis et formis beneficia ecclesiastica personis ydoneis ad hoc per ipsos prelatos electis vel eligendis per nos hactenus concessarum vel imposterum forsan concedendarum, te non posse infra alicuius brevis temporis spacium aliquem alium ex eisdem litteris fructiferum reportare effectum, nos.... volumus et tibi auctoritate predicta motu proprio . . . . concedimus, quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque facultatis sibi . . . . a sede apostolica concesse vel inantea concedende de aliquo beneficio sub huiusmodi tua gracia cadente infra tempus ad acceptandum tibi in dictis litteris deputatum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui providere, quodque eciam nullus similiter auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectans vigore cuiuscunque gracie sibi . . . . per nos similiter hactenus concesse vel imposterum concedende, eciam si sibi forsan hactenus indulserimus vel imposterum indulgere contigerit, quod gracie cum antelacionis prerogativa quibusvis personis qualitercunque per nos concesse vel concedende ei nullatenus preiudicare debeant . . . . , nisi in huiusmodi facultate gracia seu indulto per nos inantea forsan concedendis et qualibet ipsarum de presencium toto tenore de verbo ad verbum ac de tuis nomine et cognomine propriis mencio specialis habeatur, et alias expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis expressione ex certa sciencia velle derogare, predictis cardinalibus et familiaribus dumtaxat exceptis, tibi . . . . possit aut debeat anteferri seu alias in aliquo tibi aliquatenus preiudicare, et si forte contingat reperiri aliquas litteras, privilegia, indulta, facultates seu concessiones nostras per nos hactenus concessa seu inantea concedenda presentibus in aliquo derogancia, illis quoad hoc exnunc derogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 91 fol. 206b — [a]) ‚aut' cod. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1824. *Henrico Scharffi de Freistadt conceditur, ut in assecutione beneficiorum alias auctoritate apostolica ei reservatorum omnibus praeter cardinales et eius familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1401 Augusti 9.

Bonifacius .... Henrico Scharffe de Vreynstat presbytero Pomezaniensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem, videlicet XII kal. Aprilis pont. n. anno undecimo, tibi de uno, duobus, tribus aut pluribus .... beneficiis .... ecclesiasticis ...., cuius seu quorum fructus .... quinquaginta marcharum argenti .... valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque .... collacionem .... pertinentibus, in Pragensibus, Wratislauiensibus et Olomucensibus civitatibus seu diocesibus .... vacantibus vel vacaturis ...., mandavimus provideri, teque inter cetera omnibus eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia .... expectantibus preterquam .... cardinalibus et .... familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus .... voluimus anteferri .... Cum autem a nonnullis asseratur tam propter multitudinem graciarum, diversis personis eciam in data te precedentibus eciam cum simili clausula et antelacionis prerogativa in genere vel in specie, quam eciam diversitatem facultatum, nonnullis prelatis et presertim .... Wenceslao patriarche Anthioceno de conferendo eciam auctoritate nostra cum prefatis et aliis variis clausulis, modis et formis beneficia ecclesiastica personis ydoneis .... per nos concessarum vel imposterum concedendarum, effectum dictarum litterarum quoad assecucionem beneficiorum huiusmodi diucius posse retardari, nos.... motu proprio.... volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus .... de huiusmodi beneficiis sub tua gracia cadentibus .... possit aut debeat quomodolibet disponere ...., quodque tu omnibus et singulis .... sub cuiuscunque eciam prioris diei data vigore litterarum quarumcunque cum quibuscunque clausulis derogatoriis huiusmodi beneficia expectantibus, eciam si gaudeant privilegiis .... apostolice sedis vel nostrorum familiarium domesticorum continuorum commensalium, aut ipsos huiusmodi privilegiis uti et gaudere posse et debere declaraverimus, vel ipsos .... in familiares nostros domesticos et continuos commensales receperimus, ac eciam si concesserimus vel indulserimus aut per nos concedi contigerit vel indulgeri, quod gracie quecunque aliis personis cum huiusmodi vel quibusvis aliis antelacionum prerogativis .... concesse vel concedende ipsis preiudicare non possint, nisi in eis de graciis, indultis et concessionibus predictis aliis personis per nos factis et concessis ac toto earum et eorum tenore cum illarum propriorum nominum et cognominum expressione plena et expressa mencio haberetur, ac alias evidenter appareret [nos] velle huiusmodi graciis, indultis et concessionibus aliis personis sic factis per nos .... motu simili derogare, ... possis et debeas anteferri; ita quod nullus ...., nisi .... expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis expressione .... velle derogare, dictis cardinalibus et .... veris nostris familiaribus domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice commensaliter et continue famulantibus dumtaxat exceptis. .... tibi possit aut debeat anteferri seu alias in aliquo derogare. Et insuper .... auctoritate predicta motu simili .... de-

claramus et decernimus per aliquas gracias, de huiusmodi beneficiis per nos seu auctoritate nostra alicui seu aliquibus cum quacunque antelacionis prerogativa preterquam cardinalibus et familiaribus nostris predictis factas seu faciendas, quoad assecucionem beneficii seu beneficiorum huiusmodi . . . . tibi non intendisse seu intendere in aliquo derogare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 247. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1825. Auditori apostolico mandatur motu proprio, quatenus, si ei constiterit neque Johanni de Kbel neque Georgio de Jecíčko in canonicatu et praebenda ecclesiae Olomucensis ius competere, ipsos canonicatum et praebendam dicto Johanni conferat.

Romae, 1401 Augusti 10.

Bonifacius . . . magistro Nicolao Wordis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . ., super quibus . . . Johannes Kbel canonicus Pragensis, decretorum doctor, . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem ad nostri noticiam deducto, quod orta dudum inter ipsum Johannem et quondam Nicolaum de Gewizka clericum super canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis . . . ., tunc per obitum quondam Adalberti alias Wichichii (*sic*) ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantibus . . . ., materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Nicolai ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis quondam Jacobo Steube capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . commiseramus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset; quodque, postquam idem auditor in huiusmodi causa inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem processerat, dicto Nicolao extra eandem curiam vita functo, nos eidem Jacobo tunc auditori, nostris litteris, sub data videlicet octavo kalendas Decembris pont. n. anno nono,[1] qua idem Nicolaus dicitur obiisse, dedimus in mandatis, ut prefatum Johannem . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Nicolao tempore sui obitus in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat seu competere poterat, auctoritate nostra surrogaret . . . . ipsumque Johannem . . . . ad possessionem ipsorum, in qua prefatus Nicolaus tempore sui obitus erat, admitteret et admitti faceret, ut est moris, et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi sibi constaret Johanni non competere ac Nicolao prefatis, dum vixit, non compeciisse ius in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos, prefato Johanni de dictis canonicatu et prebenda . . . . eadem auctoritate provideret . . . . Postmodum vero, sicut nobis innotuit, prefatus auditor ad huiusmodi litterarum execucionem procedens, inter cetera prefatum Johannem in iure et ad ius huiusmodi surrogavit . . . . et ad possessionem dictorum canonicatus et prebende . . . .

admisit et admitti mandavit, ut est moris, quodque deinde orta inter . . . . Johannem et . . . . Georgium Bisunti de Gewizka, qui se gerit pro canonico ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis, qui occasione earundem surrogacionis . . . . et admissionis . . . ., asserens se per eas gravatum, dicitur ad sedem apostolicam appellasse, super eisdem canonicatu et prebenda . . . . materia questionis, nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, tunc capellano nostro et causarum palacii predicti auditori ad instanciam dicti Georgi . . . . commisimus . . . .[2]) Qui quidem Nicolaus episcopus, tunc auditor, in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera predictos canonicatum et prebendam Georgio adiudicavit et super illis Johanni prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Johannis fuit ad sedem appellatum eandem, nosque causam ultime appellacionis huiusmodi tibi . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ultime appellacionis huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclussionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis asseratur surrogacionem . . . . et admissionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere ac neutri dictorum Johannis et Georgii ius in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos competere, nos . . . . volentes prefato Johanni . . . . motu proprio . . . . graciam facere specialem, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri Johannis et Georgii predictorum in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . triginta octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., prefato Johanni auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 148. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. 1407 Nov. 24 . Cl. III. 128.

1826. *Episcopo Concordiensi mandatur, quatenus Maczeo de Lamberto et Thomae de Legnicz beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare desiderant, conferat.*

Romae, 1401 Augusti 13.

Bonifacius . . . . Antonio episcopo Concordiensi in Romana curia commoranti . . . . Apostolice sedis . . . . Cum itaque . . . . Maczeus de Lamberto clericus camere nostre parrochialem ecclesiam in Slawp Wratislauiensis diocesis et Thomas Martini Geytan de Legenicz altare Corporis Christi situm in ecclesia Wratislauiensi, que obtinent, desiderent . . . . invicem permutare, nos . . . . motu proprio . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eisdem Maczeo, qui eciam familiaris noster ac fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in nonnullis partibus collector existit, et Thoma vel procuratoribus eorum . . . . resignaciones parrochialis ecclesie necnon altaris predictorum . . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, et . . . . altare, cuius octo, Maczeo et parrochialem ecclesiam predicta, cuius duodecim marcarum argenti puri

fructus .... valorem annuum .... non excedunt, ... Thome prefatis auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Augusti a. duodecimo.

R. Lat. 88 fol. 139ᵃ. Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1827. *Cum Vitkone de Cernčicz[a]) praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis, de nobili genere procreato, dispensatur, ut aliquod beneficium ecclesiasticum, etiam si parrochialis ecclesia aut dignitas, personatus seu officium cum vel sine cura in metropolitana vel cathedrali seu collegiata, et dignitas ipsa in metropolitana aut cathedrali maior post pontificalem et in collegiata ecclesiis principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, recipere et una cum dicta praepositura, quae dignitas principalis in dicta ecclesia s. Aegidii existit, usque ad septennium retinere valeat. „Nobilitas generis" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Septembris a. duodecimo.*

Romae, 1401 Augusti 17.

R. Lat. 91 fol. 175ᵇ — a) ‚Czrnczicz' — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1828. *Statuitur, ne de cetero perpetuis futuris temporibus subditi Vilhelmi senioris marchionis Misnensis et successorum eius ad cuiusvis instantiam et ex quacunque causa coram conservatoribus scholarium, magistrorum et doctorum studii Pragensis a sede apostolica deputatis vel coram quibuscunque aliis iudicibus ordinariis vel delegatis praeterquam coram episcopo Misnensi et eius in spiritualibus vicario seu officiali ad iudicium evocari possint, dummodo alias episcopus vel vicarius aut officialis praedicti in praemissis negligentes non fuerint. „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Septembris pont. n. a. duodecimo."*

Romae, 1401 Agusti 18.

Ed. Codex diplom. Saxoniae II. (Urkundenbuch des Hochstifts Meissen herausg. von Gersdorf II.) p. 297 nr. 757.

1829. *Judicibus mandatur, quatenus Bohunconi de Bitov conferant quoddam altare ecclesiae Pragensis, quod ipse alias pro canonicatu et praebenda ecclesiae Boleslaviensis permutavit.*

Romae, 1401 Augusti 23.

Bonifacius .... abbati monasterii Strahouiensis Pragensis ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac officiali Pragensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Bahunco (*sic*) Johannis de Bitow rector parrochialis ecclesie in Sesslicz Pragensis diocesis .... com-

mendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod . . . . Vlricus Petri de Strassicz altare s. Margarete virginis situm in ecclesia Pragensi et prefatus Bohunco canonicatum et prebendam ecclesie ss. Cosme et Damiani in Antiqua Boleslauia dicte diocesis, quos obtinebant, desiderabant . . . . invicem permutare, in eum videlicet effectum, quod altare Bohunconi prefato ac canonicatus et prebenda predicta . . . . Jeronimo Hasconis clerico Pragensi conferrentur, nos . . . . abbati monasterii Aule Regie dicte diocesis, eius proprio nomine non expresso, per nostras litteras mandavimus, quatenus ab eisdem Vlrico et Bohuncone vel procuratoribus eorum . . . . resignaciones altaris ac canonicatus et prebende predictorum . . . . auctoritate nostra ea vice dumtaxat reciperet et admitteret et canonicatum et prebendam Jeronimo et altare predicta . . . Bohunconi prefatis predicta auctoritate conferret et assignaret . . . . Postmodum vero, sicut exhibito nobis nuper pro parte dicti Bohuncons peticio continebat, ipse Bohunco canonicatum et prebendam, et prefatus Vlricus, qui eciam familiaris noster existebat, prout existit, altare prefata . . . . in manibus . . . . Frederici abbatis dicti monasterii extra Romanam curiam libere resignarunt, ac idem abbas . . . . altare Bohunconi ac canonicatum et prebendam predicta . . . . Jeronimo prefatis . . . . contulit et de illis eciam providit, ipseque Bohunco altare predictum . . . . extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . prefatus Bohunco dubitet collacionem et provisionem predictas, sibi ut prefertur factas . . . ., viribus non subsistere . . . ., nos volentes prefato Bohunconi, qui presbyter est . . . ., graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . altare predictum, quod sine cura [est], et cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt . . . ., prefato Bohunconi conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Bohunco parrochialem ecclesiam predictam, que de iure patronatus Laicorum existit, et altare s. Dorothee virginis situm in ecclesia s. Petri Wissegradensi Pragensis diocesis, quorum fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, obtinet et quod auctoritate ordinaria in dicta ecclesia s. Petri in canonicum est receptus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Septembris a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 141[a] — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO JAC. DE TERAMO.

1830. *Jeronymo Seidenberg conceditur, ut gratia apostolica de diversis beneficiis alias ei facta valeat certis statutis et ordinationibus contrariis non obstantibus.*

Romae, 1401 Augusti 29.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenberg decretorum doctori, capellano nostro . . . . Grata tue devocionis . . . . Nuper siquidem, videlicet septimo idus Januarii proxime preteriti . . . . tibi de uno vel duobus seu tribus aut pluribus ac tot . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, quod eorum fructus . . . . ad valorem octuaginta marcharum argenti puri . . . . annuatim ascenderent, ... eciam si . . . .

dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura . . . forent, ... ac eciam si beneficium huiusmodi seu beneficia . . . quoquo modo disposicioni apostolice generaliter vel specialiter existerent reservata, si quod vel si qua in Pragensibus, Wratislauiensibus, Olomucensibus seu Warmiensibus civitatibus et diocesibus . . . . vacabant tunc, vel cum . . . .vacarent . . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus ac voluimus inter cetera te omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel dissimili vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . preterquam . . . . cardinalibus et . . . . veris familiaribus nostris continuis commensalibus nobis actu domestice famulantibus huiusmodi beneficia expectantibus, anteferri, certis tibi super hiis executoribus deputatis, prout in predictis et nonnullis aliis nostris litteris inde confectis . . . . plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut accepimus, in suburbiis dicte civitatis Pragensis sit quedam collegiata ecclesia s. Petri Wissegradensis communiter appellata Romane ecclesie immediate subiecta, que a nonnullis asseritur ex suis privilegiis exemptionum sub nulla penitus diocesi comprehendi, in eadem quoque civitate Pragensi quoddam statutum fel. rec. Urbani pape V. predecessoris nostri vigere dicitur, quo cavetur, quod nullus in ipsa maiori Pragensi et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem plures canonicatus et prebendas simul obtinere possit . . . .,[2]) et propterea ab aliquibus asseratur propter privilegia et statutum huiusmodi ac ordinacionem nostram nuper, videlicet III. nonas Decembris proxime preteriti, per nos editam seu factam circa habentes gracias expectativas se extendentes eciam ad dignitates, personatus, officia ac alia quecunque beneficia cum cura vel sine cura disposicioni nostre vel sedis apostolice generaliter reservata, quod deinceps vigore talium graciarum huiusmodi beneficia ut prefertur generaliter reservata nullo modo acceptare possent nec de illis sibi facere provideri, ac eciam acceptaciones et provisiones prius de ipsis facte non valerent,[3]) te ex huiusmodi gracia tua optatum fructum non posse reportare, nos volentes te, qui eciam auditor causarum palacii apostolici existis, ... favoribus prosequi gracie amplioris, motu proprio . . . . volumus et tibi apostolica auctoritate concedimus, quod tu vigore dictarum nostrarum litterarum et processuum inde habitorum possis acceptare secundum tenorem ipsarum litterarum dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas ac alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura huiusmodi in predictis Pragensibus, Wratislauiensibus, Olomucensibus et Warmiensibus civitatibus et diocesibus ac eciam in dicta s. Petri Wisegradensi ecclesia et de ipsis beneficiis tibi per tuos executores vel subexecutores facere provideri usque ad summam in dictis nostris litteris pretaxatam, quodque littere et processus huiusmodi et quecunque inde secuta ab ipsorum data perinde valeant . . . ., ac si privilegia, statutum et ordinacio nostra huiusmodi . . . . per nos vel dictum seu alios predecessores nostros facta minime extitissent, premissis et aliis ordinacionibus et constitucionibus apostolicis atque nostris ac priori voluntate nostra et aliis contrariis . . . . non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Septembris a. duodecimo.

R. Lat 89 fol. 157b — In fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — [1] Cf. nr. 1723. [2] Cf. nr. 4 not 2. [3] Cf. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 72.

1831. *Litterae apostolicae dudum abbati Zabrdovicensi et duobus aliis iudicibus directae, per quas eis mandatum est, ut abbatissam et conventum monasterii Vallis s. Mariae de Oslavia cisterciensis ord. Olomucensis dioc. ad possessionem parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Brunna praeposito et capitulo ecclesiae s. Petri etiam in Brunna dimittendam compellerent,*[1]) *necnon processus per dictam abbatem habiti atque excommunicationis et aliae sententiae earum praetextu fulminatae motu proprio cassantur. „Provisionis nostre" „Rome ap. S. Petrum kal. Septembris a. duodecimo."*

Romae, 1401 Septembris 1.

R. Lat. 88 fol. 179c — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — Ed. ex originali in Cod. diplom. Moraviae XIII. p. 137 nr. 129 — [1]) Cf. nr. 1734.

1832. *Conrado de Zelenicz motu proprio conceditur, ut in assecutione praebendae ecclesiae Pragensis alias auctoritate apostolica ei reservatae omnibus praeter cardinales et veros familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1401 Septembris 1.

Bonifacius . . . . Conrado de Zelenicz clerico Pragensis diocesis . . . . Nobilitas generis . . . . Dudum siquidem, videlicet V. idus Novembris pont. n. a. primo,[1]) canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate contulimus et de illo eciam providimus, ac prebendam in eadem, si qua tunc vacabat, vel cum vacaret, ... conferendam tibi . . . donacioni apostolice reservavimus, volentes inter cetera te omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas huiusmodi expectantibus in huiusmodi prebende assecucione anteferri . . . . Nos igitur . . . . volentes te, qui, ut asseris, ex utroque parente de militari genere et magister in artibus existis, ... favoribus prosequi graciosis, motu proprio . . . . auctoritate apostolica . . . . declaramus per aliquas gracias, de quibuscunque beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis per nos seu auctoritate nostra alicui seu aliquibus alii vel aliis cum quacunque antelacionis prerogativa . . . factas vel faciendas, quoad assecucionem prebende huiusmodi . . . tibi ac gracie tue huiusmodi non intendisse seu intendere in aliquo derogare. Et nichilominus volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod nullus ordinarius aut alter quicunque prelatus eciam vigore cuiuscunque facultatis sibi hactenus a sede apostolica concesse vel concedende de prebenda sub tua gracia huiusmodi cadente infra tempus tibi in dictis litteris ad acceptandum deputatum possit aut debeat quomodolibet disponere aut alicui seu aliquibus providere, quodque tu omnibus et singulis . . . ., eciam auctoritate nostra eciam cum simili gracia vel alia quavis antelacionis prerogativa . . . . huiusmodi prebendas expectantibus et te in data precedentibus vel sequentibus, eciam illis, quibus per nos forsan est concessum vel imposterum concedi contingat, quod quecunque gracie eciam cum clausula anteferri aut quacunque antelacionis prerogativa aliis concesse vel concedende ipsis preiudicare non possint, ... possis aut debeas anteferri; ita quod nullus . . . . vigore

cuiuscunque gracie . . . ., nisi . . . . expresse appareat nos presentibus ac dicte tue gracie cum tui nominis et cognominis expressione velle derogare. . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris nobis actu domestice et commensaliter servientibus duntaxat exceptis, tibi . . . . possit aut debeat anteferri seu acceptacioni et provisioni huiusmodi aut alias in aliquo tibi quomodolibet preiudicare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Septembris pont. n. a. duodecimo.

Originale, a quo bulla abscissa est, in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XXI. 11 exstat. Sub plica: A. DE PORTUGRUARIO; supra plicam: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, GERLACUS. A tergo: R[EGISTRATA]. JAC. DE TERAMO. — [1]) 1389 Nov. 9.

1833. Iudicibus mandatur motu proprio, quatenus Stephano de Zeleznicz canonicatum et praebendam maioris ecclesiae Pragensis, a Venceslao patriarcha Anthiocheno ei collatos, auctoritate apostolica conferant.

Romae, 1401 Septembris 5.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac s. Appollinaris Pragensis ecclesiarum decanis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . .Stephanus de Zelesnicz canonicus ecclesie Boleslauiensis Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem ad nostram noticiam pervenit, quod olim . . . . Wenczeslaus patriarcha Anthiocenus, habens ad hoc a sede apostolica per ipsius sedis litteras potestatem, canonicatum et prebendam maioris ecclesie Pragensis, quos tunc ex concessione eiusdem sedis obtinebat, extra Romanam curiam coram notario publico et testibus . . . . resignavit, eosque canonicatum et prebendam per huiusmodi resignacionem vacantes predicto Stephano earundem litterarum vigore contulit et de illis eciam providit, ipseque Stephanus eosdem canonicatum et prebendam . . . . extitit assecutus. Cum autem a nonnullis asseratur collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere, dictosque canonicatum et prebendam adhuc ut prefertur vacare, nos resignacionem huiusmodi ratam habentes et gratam . . . ., motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . triginta quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo . . . . seu alias per liberam resignacionem dicti patriarche seu . . . . Vlrici de Strassicz clerici Pragensis diocesis, familiaris nostri, ... vacent, eciam si . . . . super eis inter dictos patriarcham et Vlricum seu quoscunque alios ipsarum resignacionis, provisionis et collacionis per eundem patriarcham extra curiam, ut prefertur, factarum temporibus lis . . . . in dicta curia vel alibi pendeat seu remanserit indecisa . . . ., prefato Stephano auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Ceterum volentes, quod presentes littere ipsi Stephano fructuose existant, ipseque eosdem canonicatum et prebendam absque alicuius impugnacione valeat possidere et eorum fructibus pacifice perfrui et gaudere, eciam si forsan alii vel aliis de dictis canonicatu et prebenda, ut

premittitur vel alias quovis modo vacantibus, sub cuiuscunque dicti data eciam utiliter providerimus aut mandaverimus seu concesserimus provideri, aut alias auctoritate litterarum apostolicarum ipsis aliis provisum fuerit, huiusmodi provisiones et mandata .... motu simili cassamus .... ac nullius esse volumus roboris vel momenti, presentesque litteras nostras suum effectum sortiri debere perinde, ac si ipsa provisiones et mandata a nobis minime emanassent .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. duodecimo.

R. Lat. 97 fol. 143b. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1834. *Abbati monasterii Velehradensis mandatur, quatenus Paulum de Olomucz monachum dicti monasterii ab inhabilitate absolvat.*

Romae, 1401 Septembris 5.

Bonifacius .... abbati monasterii in Wellegrado cisterciensis ord. Olomucensis diocesis .... Sedes apostolica pia mater .... Sane peticio pro parte .... Pauli de Olomucz monachi tui monasterii nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse ex quadam animi levitate de monasterio predicto, in quo regularem professionem emiserat, habitu dicti ordinis derelicto apostatando exivit et aliquandiu fuit per seculum evagatus, vestes deferens clerici secularis, et deinde ad cor reversus ad monasterium ipsum redivit et ab excessu propterea commisso et excommunicacionis sentencia, quam incurrerat, fuit debite absolutus et pro commissis debitam et condignam propterea iniunctam penitenciam peregit. Quare pro parte ipsius Nicolai (!) nobis fuit humiliter supplicatum], ut sibi suoque statui super hoc providere .... dignaremur. Nos igitur volentes eundem Nicolaum, qui presbyter est, ... favoribus prosequi graciosis ..., discrecioni tue .... committimus et mandamus, quatenus, si est ita, prefato Nicolao, ut premissis et quibuscunque constitucionibus apostolicis .... nequaquam obstantibus, ad stallum in choro et locum ac vocem in capitulo predicti monasterii recipi et admitti debeat et ad quecunque officia, administraciones ac dignitates eciam abbaciales monasterii et ordinis predictorum eligi, prefici et assumi valeat, auctoritate apostolica concedas et alias aboleas omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 37a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1835. *Domui s. Mariae Pragensi hospitalis s. Johannis Jerosolimitani parrochialis ecclesia in Chržín incorporatur.*

Romae, 1401 Septembris 9.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Hiis, que ecclesiasticarum personarum honorem et statum concernunt, libenter intendimus illaque favoribus

prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Heinrici prioris prioratus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Boemie peticio continebat, quod, cum prior conventualis domus s. Marie in pede pontis dicti hospitalis Pragensis, que domus camera huiusmodi prioratus fore dinoscitur, pro tempore existens, ex indulto apostolico speciali mitra, anulo et aliis pontificalibus insigniis fungatur, neque tantum redditum seu fructum annuatim percipiat, quod in actibus suis ecclesiasticis per ipsum exercendis et servitoribus sibi necessariis, ut insignia huiusmodi postulare videntur, se valeat condecenter habere. Quare pro parte dicti Heinrici nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicte domui parrochialem ecclesiam in Chyzin Pragensis diocesis unire perpetuo dignaremur. Nos tante necessitati occurrere cupientes, ne insigniis huiusmodi decorata persona, seu eciam predicta insignia necessariis servitoribus derelicta quasi in vilipendium habeantur . . . . , ecclesiam parrochialem predictam, que de iure patronatus eiusdem prioris Boemie existit, cuiusque fructus . . . . sexaginta florenorum auri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem domui unimus, incorporamus ac perpetuo annectimus, ita quod cedente vel decedente ipsius ecclesie rectore . . . . prior conventualis predictus . . . . possessionem ecclesie predicte apprehendere . . . . fructusque . . . . ipsius ecclesie ad suam mensam convertere possit, diocesani loci vel alterius cuiuscunque licencia minime requisita . . . . Volumus autem, quod in dicta parrochiali ecclesia per priorem conventualem dicte domus pro tempore existentem perpetuus vicarius instituatur, qui ecclesie et parrochianorum ipsius curam gerat, cui per eundem priorem conventualem de redditibus seu proventibus ipsius ecclesie sufficiens porcio assignetur, ex qua possit congrue sustentari, iura episcopalia solvere et alia ei incumbencia onera supportare. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Septembris pont. a. duodecimo.

R. Lat. 93 fol. 54ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1836. *Danieli Zal reservantur motu proprio aliquot beneficia ecclesiastica in civitatibus et dioecesibus Vratislaviensibus, Vladislaviensibus et Varmiensibus vacantia vel vacatura.*

Romae, 1401 Septembris 20.

Bonifacius . . . . magistro Danieli Zal rectori parrochialis ecclesie in Ilgenburg Pomezaniensis diocesis, capellano et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi, qui capellanus et familiaris noster existis . . . ., graciam facere specialem, unum vel duo seu tria aut quatuor vel plura . . . . beneficia . . . . ecclesiastica . . . ., consueta clericis secularibus assignari, ... quorum fructus . . . . ad summam octuaginta marcharum argenti puri . . . . ascendant annuatim, eciam si canonicatus et prebende cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum, et ipsum unum vel ipsorum . . . plurium aliquod unicum cum cura aut dignitas vel personatus seu officium cum cura vel sine cura ac canonicatus et prebenda in cathedrali aut collegiata, et dignitas ipsa in cathedrali

maior post pontificalem aut in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis meriti, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad .... quorumcunque collatorum aut .... collatricum collacionem .... pertinencia, si quod vel si que in ecclesiis, civitatibus et diocesibus Wratislauiensibus, Wladislauiensibus et Warmiensibus .... vacant ad presens, vel cum .... vacaverint ...., conferenda tibi .... motu proprio .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus quibuscunque constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ac nostra ordinacione, per quam dudum inter cetera voluimus, quod habens graciam expectativam de uno, duobus, tribus, quatuor aut pluribus ac tot beneficiis ecclesiasticis, quod eorum fructus .... ad certam summam ascendant annuatim ...., quod vigore huiusmodi gracie talis expectans non possit ultra quatuor beneficia expectare nec de illis sibi facere provideri,[1]) aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis ..... apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint ...., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra cum ... quavis antelacionis prerogativa huiusmodi beneficia ... expectantibus ...., nisi .... expresse appareat nos presentibus cum tui proprii nominis expressione voluisse et velle .... derogare, preterquam .... cardinalibus .... te .... volumus anteferri .... Nos enim tecum, ut dignitatem vel personatum seu officium vel beneficium curatum huiusmodi .... recipere et una cum parrochiali ecclesia in Ilgenburg Pomezaniensis diocesis ad quinquennium retinere ... valeas ...., auctoritate apostolica ... dispensamus, proviso ...., quod alteram vel alterum ex parrochiali ecclesia ac dignitate vel personatu seu officio vel beneficio predictis infra quinquennium huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum earum vel eorum reliqua vel reliquo compatilibi permutare, alioquin illam vel illum seu illud ex parrochiali ecclesia ac dignitate vel personatu seu officio ac beneficio curato huiusmodi, quam vel quem seu quod primo assequeris ...., omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris a. duodecimo.

Simili modo .... Culmmensi et .. Tudensi ac .. Pomezaniensi episcopis ....

R. Lat. 94 fol. 32[c] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. Ottenthal, Die päpstl. Kanzleiregeln p. 66 (Bon. IX Reg. nr. 46).

1837. *Parrochialem ecclesiam in Brumow visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1401 Septembris 22.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia beatorum Petri et Pauli apostolorum in Brumow Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur ...., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo penthecosten a primis vesperis usque ad secundos vesperos et per septem dies ipsum festum immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem seu fabricam ipsius ecclesie manus prompcius porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica concedimus, quam visitantes ecclesiam

monasterii s. Clare oppidi Crumpnaw Pragensis diocesis in octava festi corporis Christi et per septem dies ipsam octavam immediate sequentes annuatim predicta auctoritate quomodolibet consequuntur. Et nichilominus . . . . rectori dicte parrochialis ecclesie pro tempore existenti et octo vel pluribus aliis presbyteris ydoneis, secularibus vel religiosis, per ipsum rectorem pro tempore deputandis, quod singulorum Christi fidelium in festo et diebus predictis ad ipsam ecclesiam confluencium et eis confiteri volencium confessionibus diligenter auditis, eis pro commissis debitam absolucionem impendere valeant . . . ., quodque idem rector, si forsan dictum oppidum in Brumow cum eius suburbio tempore indulgenciarum huiusmodi quovis ecclesiastico interdicto suppositum fuerit, in dicta ecclesia indulgenciis huiusmodi durantibus divina officia apertis ianuis eciam pulsatis campanis et alta voce, excommunicatis et interdictis exclusis, celebrare et celebrari facere possit, dummodo ipse causam non dederit interdicto, nec id sibi contigerit specialiter interdici, auctoritate predicta . . . . indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus in suo robore duraturis. Volumus autem et auctoritate predicta decernimus, quod, si hujusmodi vel alias consimiles concessiones per nos aut sedem predictam in genere vel in specie revocari contingeret, presentes littere sub huiusmodi revocacione nullatenus comprehendantur, sed quoad omnem earum effectum in sui permaneant roboris firmitate, ac si revocacio huiusmodi a nobis vel sede prefata minime emanaret, nisi in eadem revocacione de presentibus specialis et nominatim expressa mencio habeatur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum X. kal. Octobris pont. n. a. duodecimo.

Copia ex originali monasterii Břevnoviensis B IV. 116 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali hae notae inscriptae sunt: (sub plica ad sin.) MAR., CCXXXX, M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE BONONIA; (sub plica ad dext.) F. DE MONTEPOLICIANO; (in plica ad dext.) REGISTRAVIT A. DE AUERSA, JO. DE TREMOSNICZ XXIIII; (a tergo) R[EGISTRATA].

1838. *Monasterio in Vilemov ord. s. Benedicti Pragensis dioc., cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Světlá, Bojanov ac Heřmaň Pragensis et Litomyšlensis dioc., quae de iure patronatus dicti monasterii existunt, et quarum fructus valorem annuum 33 marcarum argenti non excedunt; quas ecclesias dicti abbas et conventus per idoneos presbyteros, monachos dicti monasterii ad nutum abbatis ponendos et removendos, regi facere possint et onera eisdem ecclesiis incumbentia solvere teneantur. „Exigit vestre devocionis“ „Rome ap. S. Petrum X. kal. Octobris pont. n. a. duodecimo.*

Romae, 1401 Septembris 22.

Editum apud Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 446 (Diplomatarium Wilemov. nr. 57). Copia ex originali archivii Břevnoviensis [Vilemov] B X 287 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originale, cui in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX appendet, has notas habet: (sub plica ad sin. CLXXX, M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE BONONIA; (sub plica ad dext.) F. DE MONTEPOLICIANO; (supra plicam ad dext.) JO. DE TREMOSNICZ XX. — Excerptum Raynaldi „ex libro sexto de diversis formis

de beneficiis vacantibus et fructibus percipiendis a. XII fol. 180[c] in codice Vatic. 6952 fol. 307[b] continetur.

1839. *Tudensi et Plocensi episcopis ac abbati monasterii in Czerwinsk*[a]) *Plocensis dioc. mandatur, quatenus Mathiae fratri professo monasterii s. Adalberti in castro Plocensi ord. s. Benedicti conferant parrochialem ecclesiam in Przybyszew*[b]) *Poznaniensis dioc., quam. tunc per obitum Mathiae de Vratislavia extra Romanam curiam defuncti vacantem, dictus Mathias frater se alias minus legitime assecutum esse dubitat. „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Octobris a. duodecimo."*

Romae, 1401 Septembris 30.

R. Lat. 91 fol. 171[b] — [a]) Czerwensko [b]) Przibissewo — Supra in marg. sin. A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO

1840. *Nicolaus Stenczer de Kamenz*[a]) *ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum kal. Octobris pont. a. duodecimo."*

Romae, 1401 Octobris 1.

R. Vat. 317 fol. 252[a]— [a]) Camenez — In fine: sin. XX, M. DE SANCTA AGATHA; med. A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) PRO F. DE MONTEPOLICIANO N. HEYNLINI.

1841. *Judicibus mandatur, quatenus Zbynkoni de Ohništan parrochialem ecclesiam in Jeníkov, a Venceslao patriarcha Anthioceno ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Octobris 2.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac archidiacono Plznesnensi (*sic*) in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Sbinko de Ohmistayn (*sic*) clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Sbinkonis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Jenikow dicte diocesis per liberam resignacionem . . . . Wenceslay patriarche Anthioceni, per eum de illa, quam tunc ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinebat, extra Romanam curiam coram certis notario publico et testibus sponte factam, vacante, idem patriarcha, habens ad hoc eciam a nobis specialem potestatem, ecclesiam ipsam sic vacantem prefato Sbinkoni vigore potestatis huiusmodi contulit et de illa eciam providit. Cum autem . . . . idem Sbinko dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . viribus non subsistere

. . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam ipsam, cuius et parrochialis ecclesie in Ohnistayn dicte Pragensis diocesis, super qua dictus Sbinko, ut asserit, in palacio apostolico litigat, et de qua sibi eciam hodie de novo graciose mandavimus provideri,[1] et per cuius assecucionem dictam ecclesiam in Jenikow se obtulit dimissurum, fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Sbinkoni auctoritate nostra . . . . conferre et assignare curetis . . . . Volumus autem, quod idem Sbinko, si forsan . . . . predictam ecclesiam in Jenikow fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Ohnistayn, si illam interim assequatur, ... omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Datum Rome ap. S. Petrum sexto nonas Octobris a duodecimo.

R. Lat. 91 fol. 94b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA: in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1842.

1842. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Zbynkoni de Ohnišťan neque Adae de Sedliště neque Petro [de] Chomuticz in parrochiali ecclesia in Ohnišťan ius competere, ecclesiam ipsam dicto Zbynkoni conferat.*

Romae, 1401 Octobris 2.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenberg capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Sbynko de Ohnistyan clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Sbynkonis peticio continebat, quod, cum olim inter quondam Henricum de Mostek clericum ex una et . . . . Adam de Sedliscz et Petrum Chomutitz, qui se gerunt pro presbyteris dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Ohnistian dicte diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Sdisslai dicti Kale ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Henricus se per quendam, ac Adam et Petrus prefati et quilibet ipsorum per se per quosdam alios laicos, quos veros patronos ipsius ecclesie [esse credebant], ... Wolframo archiepiscopo Pragensi infra tempus legitimum presentatos fuisse, et quilibet eorum dictam ecclesiam ad se spectare asserebant, partibus ex altera coram eodem archiepiscopo non ex delegacione apostolica orta fuisset materia questionis, dictusque Henricus lite huiusmodi sic indecisa pendente extra eandem curiam extitisset vita functus, prefatus archiepiscopus, asserens collacionem dicte ecclesie ea vice ad se spectare, ecclesiam ipsam sic vacantem prefato Sbynkoni auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit ipsumque ad prosecucionem litis et cause huiusmodi pro suo admisit interesse, ac tandem causam ipsam . . . . Ade de Nezeticz canonico Pragensi audiendam commisit et fine debito terminandam. Qui in causa ipsa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera dictum Adam in rectorem dicte ecclesie instituit illamque sibi adiudicavit et super ea Sbinkoni et Petro prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte Sbinkonis et Petri predictorum fuit ad eundem archiepiscopum appellatum, idemque archie-

piscopus causam appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao Ganheri[1], scolastico ecclesie Wissegradensis . . . . commisit . . . . Qui in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera predictam sentenciam, in quantum contra dictum Sbynkonem, confirmavit, in quantum vero pro dicto Adam lata extitit, revocavit, dictamque ecclesiam Petro adiudicavit et super ea Sbynkoni et Ade prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte Sbinkonis et Ade predictorum fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam ultime appellacionis Sbinkonis tibi . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur nulli dictorum Sbinkonis, Ade et Petri in dicta ecclesia seu ad eam ius competere, nos . . . . discrecioni tue . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit nullum ex dictis Sbinkone, Adam et Petro in dicta ecclesia seu ad eam ius habere, ecclesiam ipsam, cuius ac parrochialis ecclesie in Jenikow predicte diocesis, de qua alias tunc certo modo vacante extitit eidem Sbynkoni auctoritate apostolica provisum, et de qua eciam hodie sibi graciose mandavimus provideri,[2] et per cuius assecucionem dictam ecclesiam in Ohnistyan ac omne ius sibi in ea . . . . competens dimittere se obtulit, fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Sbinkoni auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Volumus autem, quod idem Sbynko, quamprimum . . . . predictam ecclesiam in Ohnistyan fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Jenikow, si illam interim assequatur, . . omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere . . . teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto nonas Octobris a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 131b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Recte Geunheri. [2]) Cf. nr. 1841.

1843. *Iudicibus mandatur, quatenus Mathiae de Trnavka parrochialem ecclesiam in Nedvědicz, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1401 Octobris 4.

Bonifacius . . . . Gradicensis prope Olomucz et . . Lucensis ac in . . Sdiar Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Mathias Duchkonis de Trnawka presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Nedwyedycz dicte diocesis, quam quondam Michael de Cogetan . . . . obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... nobilis vir Wilhelmus baro baronie de Perstayn eiusdem diocesis, ut asserit, verus patronus ipsius ecclesie . . . ., prefatum Mathiam quondam Nicolao episcopo Olomucensi ad dictam ecclesiam infra tempus legitimum presentavit, idemque episcopus eundem Mathiam

n rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria [ut]tituit, ipsequ e Mathias . . . ecclesiam predictam extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Matheas dubitet presentacionem et institucionem predictas . . . viribus non subsisteri . . . . , nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . duarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Mathie auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Octobris a. duodecimo.

R Lat. 97 fol 123c Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1844. *Episcopo Lubucensi mandatur, quatenus decisionem litis, quae inter monasterium Novae Cellae et monasterium Lubense super quibusdam possessionibus in metis marchionatus Moraviae et ducatus Saganensis consistentibus vertitur, marchioni Moraviae et duci Saganensi committat.*

Romae, 1401 Octobris 14.

Bonifacius . . . . episcopo Lubucensi . . . . Ad ea ex debito ministerii pastoralis libenter intendimus, per que licium dispendia inter personas ecclesiasticas presertim sub religionis observancia domino famulantes salubriter valeant summoveri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii Noue Celle cisterciensis ord. Misnensis diocesis peticio continebat, quod ipsi certas possessiones in metis marchionatus Morauie et ducatus Saganensis consistentes et ad ipsum monasterium legitime pertinentes a longis retroactis temporibus tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident de presenti, quodque, licet tam ipsi quam predecessores eorum fuerint et sunt in pacifica possessione vel quasi iuris possessionum earundem, tamen . . . . abbas et conventus monasterii Lubensis dicti ordinis Wratislauiensis diocesis, pretendentes dictas possessiones ad se spectare de iure, eosdem abbatem et conventum monasterii Noue Celle super hoc, petendo decerni et declarari possessiones huiusmodi ad ipsos abbatem et conventum monasterii Lubensis pertinere sibique illos adiudicari et super eis abbati et conventui monasterii Noue Celle predictis perpetuum silencium imponi, coram certo iudice in partibus ex delegacione apostolica traxerint in causam, idemque iudex ad nonnullos actus citra tamen conclusionem in huiusmodi causa inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipsi abbas et conventus ad evitandum licium huiusmodi dispendia ac parcendum laboribus et expensis desiderent super hiis cum dictis abbate et conventu monasterii Lubensis amicabilem inire concordiam, sed quia Noue Celle sub marchionis Morauie et Lubense monasteria huiusmodi sub ducis Saganensis pro tempore existencium dominiis temporalibus consistant, huiusmodi concordia commode fieri nequiret, nisi ad id marchionis et ducis predictorum accederet assensus, potissime cum dubitetur, an possessiones predicte infra limites marchionatus vel ducatus huiusmodi sint situate, pro parte ipsorum abbatis et conventus monasterii Noue Celle nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi dubium

decisioni et discussioni marchionis et ducis predictorum committi mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... fraternitati tue .... mandamus, quatenus, si est ita, decisionem et discussionem predictas eisdem marchioni et duci auctoritate nostra committas eo moderamine adhibito, quod, si forsan marchio et dux predicti decisionem et discussionem huiusmodi facere recusaverint, extunc discussio et finalis decisio dubii huiusmodi ad imperialis curie cognicionem et examen eo ipso devolvantur, ac nichilominus utramque parcium predictarum ad standum et parendum discussioni et finali decisioni huiusmodi auctoritate predicta compellere non postponas .... Per hoc autem omnes et singulas causas inter ipsos abbates et conventus ac quendam Apecz-konum Bogmelsdorf armigerum dicte Misnensis diocesis ac quosdam alios super dictis possessionibus aut aliqua parte earundem pendentes suspensas esse volumus .... illasque ad nos auctoritate apostolica harum serie .... advocamus, districcius inhibentes omnibus et singulis causarum palacii apostolici auditoribus et aliis quibuscunque iudicibus, commissariis et conservatoribus datis et dandis, ne in causis huiusmodi, donec illas de novo per nos committi contigerit audiendas, ulterius procedere quoquo modo presumant, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Octobris a. duodecimo.

R. Lat. 91 fol. 103 a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

...

1845. *Praeposito Soldinensi Caminensis dioc. et s. Mauritii Magdeburgensis ac castri Pragensis ecclesiarum decanis ad petitionem abbatum et conventuum Antiquae Cellae et Novae Cellae monasteriorum cisterciensis ord. Misnensis dioc. mandatur, quatenus Friderici II. et Caroli IV. imperatorum ac Honorii III. papae constitutiones super ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum libertate in civitate et diocesi Misnensibus observari faciant, non permittentes eisdem abbatibus et conventibus in bonis et rebus eorum iniurias inferri. „Iustis et honestis" „Rome ap. S. Petrum idibus Octobris a. duodecimo."*

Romae, 1401 Octobris 15.

R. Lat. 91 fol. 104a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N C DE BENEVENTO.

1846. *Johanni de Budissin conceditur, ut litterae apostolicae, per quas canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis est assecutus, valeant, etiam si dicti canonicatus et praebenda alias vacaverint, quam in eisdem litteris est expressum.*

Romae, 1401 Octobris 21.

Bonifacius .... Johanni de Budissin canonico Wratislauiensi .... Vite ac morum honestas .... Dudum siquidem, cum tu maiorem s. Petri in Budisin

Misnensis diocesis, in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, cum decanatu eiusdem ac succustodiam Wratislauiensis, et . . . . Johannes de Hokinborn eiusdem Wratislauiensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebatis, desideraretis . . . . invicem permutare, nos . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario ac officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regenti, nostris dedimus litteris in mandatis, ut a te et dicto Johanne vel procuratoribus vestris . . . . resignaciones canonicatuum et prebendarum ac decanatus necnon succustodie predictorum . . . . auctoritate nostra ea vice dumtaxat reciperet et admitteret, ipsisque resignacionibus per eum receptis et admissis, Wratislauiensis tibi ac s. Petri ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas necnon decanatum ac succustodiam predictos, cum per huiusmodi resignaciones vacarent, prefato Johanni auctoritate predicta conferret et eciam assignaret . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, cum tu maiorem s. Petri cum decanatu ac succustodia . . . per te ipsum et dictus Johannes eiusdem Wratislauiensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas huiusmodi per . . . . Petrum Hoczinplocz canonicum ecclesie b. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, procuratorem suum . . . , ex causa permutacionis huiusmodi in manibus eiusdem Bartholomei apud sedem apostolicam resignavissetis, prefatus Bartholomeus resignacionibus huiusmodi apud eandem sedem dictarum litterarum vigore per eum admissis, Wratislauiensis tibi et s. Petri ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas cum decanatu et succustodia huiusmodi Johanni prefatis dicta auctoritate contulit et de illis eciam providit, tuque eosdem canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis . . . assecutus, illos extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides, pacifice et quiete. Cum autem . . . . tu dubites dictos canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis alias quam ut premittitur vacavisse seu vacare, teque super hiis posse imposterum molestari, nos volentes te, qui presbyter es, ... favoribus prosequi graciosis, ... volumus et tibi, canonicatum et prebendam ecclesie s. Crucis Wratislauiensis, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, obtinenti, apostolica auctoritate concedimus, quod littere predicte ab earum data ac processus habiti per easdem et quecumque inde secuta, in quantum tuum concernunt interesse, valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, eciam si dicti canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, alias quam ut premittitur vel ex eo, quod . . . . Vlricus Petri de Strassycz, qui se gerit pro clerico Pragensi, cui dudum de eisdem canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, tunc certo modo, ut credebatur, vacantibus, auctoritate predicta mandatum fuit provideri, ipsis canonicatui et prebende ecclesie Wratislauiensis, eorum possessione per eum non habita, ac omni iuri sibi in eis seu ad eos quomodolibet competenti coram certis notario publico et testibus extra Romanam curiam libere et sponte cessit, quam quidem cessionem ratam habemus et gratam, aut ex alterius cuiuscunque persona . . . . vacent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 77 fol. 23b — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

***1847**. Judicibus mandatur, quatenus Andreae de Tišňovicz parrochialem ecclesiam in Lissicz, ad quam per patronos eiusdem sedi apostolicae fuit praesentatus conferant.*

Romae, 1401 Octobris 25.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . preposito ecclesie Montis s. Petri in Brynna Olomucensis diocesis ac archidiacono Znoymensi in ecclesia Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Andreas Wenczeslai de Tissnowicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Lissicz dicte diocesis, quam quondam Wenczeslaus Rebeczka . . . . obtinebat, per ipsius Wenczeslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, . . . nobiles viri Proczko de Cunstath, Alsso de Cunstath, Erhardus de Lissicz, Wenczeslaus et Boczko germani de Lissicz barones terre Morauie, veri patroni eiusdem ecclesie . . . ., cum . . . . episcopum Olomucensem ac eius officialem presumerent suspectos esse in hac parte, eundem Andream in rectorem dicte ecclesie, cuius possessionem idem Andreas non habet, per nos instituendum presentarunt, et quia . . . . Wenczeslaus de Czebraniez presbyter dicte diocesis eundem Andream occasione presentacionis huiusmodi super eadem ecclesia multipliciter vexavit, idem Andreas . . . . ad sedem apostolicam appellavit, et sicut accepimus, dicta ecclesia adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . eundem Andream in rectorem dicte ecclesie instituatis et ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quatuordecim marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 186b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

***1848**. Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Hartberg canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis conferant.*

Romae, 1401 Octobris 28.

Bonifacius . . . . archidiacono Bechinensi in ecclesia Pragensi et . . Pragensi ac . . Olomucensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Ludouici de Hartberg clericus Salzeburgensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Mathias alias Matheo . . . . obtinebat, per ipsius Mathie obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacantibus, dictus Johannes auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam necnon dignitatem

vel personatum seu officium dicte ecclesie expectabat, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit et de illis eciam sibi fecit provideri, ipseque Johannes eosdem canonicatum et prebendam . . . . extitit assecutus, prout eos tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . . dictus Johannes dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt. . . ., eidem Johanni . . . . conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 91 fol. 85b — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1849. *Iudicibus mandatur, quatenus Procopio Blažkonis canonicatum et praebendam ecclesiae Boleslaviensis conferant.*

Romae, 1401 Octobris 28.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac decano Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac scolastico maioris Pragensis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Procopius Blaskonis clericus Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Procopii peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Boleslauiensis Pragensis diocesis, quos quondam Nicolaus Hadek . . . . obtinebat, per ipsius Nicolai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Procopius vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ipsius ecclesie provideri manda veramus, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit et de eisdem sibi obtinuit provideri ipsorumque possessionem pacificam extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Procopius dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Procopio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 209a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1850. *Episcopo Sibinicensi mandatur, quatenus Simonem Luterborgh surroget ad omne ius, quod Johanni Pes in canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis tempore eius cessionis competebat.*

Romae, 1401 Octobris 31.

Bonifacius . . . . Antonio episcopo Sibinicensi in Romana curia commoranti . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Symon Luterborg rector parrochialis ecclesie s. Jacobi in Thorun Culmensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Symonis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Johannem Pes et Matheum de Cracouia clericos super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos, tunc per obitum quondam Petri de Cunczendorff . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantes, Johannes sibi vigore quarundam litterarum apostolicarum de illis provisum fuisse seque illos huiusmodi provisionis vigore assecutum extitisse canonice[1]) . . . ., Matheus vero predicti predictos canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Matheus adhuc asserit, materia questionis, nos causam huiusmodi, cum partes ipse in dicta curia presentes existerent, ... Jacobo episcopo Aquilano tunc ad instanciam dicti Mathei primo, et deinde tibi, tunc eciam capellanis nostris et causarum palacii apostolici auditoribus, ... commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . hodie prefatus Johannes in possessione dictorum canonicatus et prebende existens, liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in eisdem canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competenti necnon possessioni huiusmodi per . . . . Friedericum Rothardi canonicum Warmiensem, procuratorem suum . . . ., in manibus nostris sponte cesserit, nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam, nos . . . . fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatenus prefatum Symonem . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Johanni tempore cessionis huiusmodi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . ., necnon ad possessionem ipsorum canonicatus et prebende, in qua idem Johannes, ut prefertur, erat, admittas et admitti facias, ut est moris, et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Johanni tempore dicte cessionis non competiisse et Matheo prefatis non competere ius in canonicatu et prebenda predictis seu ad eos, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . viginti quinque marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Symoni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . .; non obstantibus . . ., quod idem Symon, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam necnon in Plocensi et in s. Salvatoris in Gutenstat ac in s. Petri Cruswiciensi Warmiensis, Wladislauiensis et Culmensis diocesium ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 265a — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1360 et 1568.

1851. *Nicolao [de] Budčovicz providetur de parrochiali ecclesia in Gundrum (Komořan) iam antea ei reservata.*

Romae, 1401 Novembris 5.

Bonifacius . . . . Nicolao Nicolai Budczowicz rectori parrochialis ecclesie s. Johannis in Gundranis Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . quorumcunque, per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia vel inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari; et deinde declaravimus omnia beneficia supradicta, que per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum huiusmodi vacare sperabantur, si beneficia huiusmodi per obitum illa obtinencium aut alias quam per assecucionem predictam vacare contingeret, fore disposicioni apostolice reservata, ac subsequenter pro parte quondam Johannis Jesiko rectoris parrochialis ecclesie s. Johannis in Gundranis Olomucensis diocesis nobis exposito, quod orta dudum inter . . . Petrum Pestal monachum monasterii in Trebecz ord. s. Benedicti eiusdem diocesis ac Nicolaum Johannis de Tussnowicz, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, super parrochiali ecclesia s. Martini in Trebecz prefate diocesis . . . . materia questionis, nos causam huiusmodi . . . . bone memorie Nicolao episcopo Agrigentino, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . commiseramus . . . .; qui in causa ipsa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera ecclesiam s. Martini predictam Nicolao Johannis adiudicaverat et super ea Petro prefatis perpetuum silencium imposuerat, sentenciam promulgaverat, a qua pro parte ipsius Petri fuerat ad sedem apostolicam appellatum, nosque . . . . episcopo Olomucensi, eius proprio nomine non expresso, per nostras litteras mandaveramus, ut eandem ecclesiam s. Martini . . . . sequestraret, exhibiturus id, quod de ipsius ecclesie debitis eius supportatis oneribus superesse contingeret, illi, qui finalem in causa victoriam obtineret, et nichilominus causam appellacionis huiusmodi . . . . episcopo Ferentinatensi, tunc eciam capellano nostro et auditori causarum predicti palacii . . . . commiseramus . . . .; qui in causa huiusmodi procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatam sentenciam revocaverat . . . ., sentenciam promulgarat, a qua pro parte dicti Nicolai Johannis ad sedem fuerat appellatum eandem, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . Bertrando archiepiscopo Amalfitano, tunc eciam capellano nostro et causarum predicti palacii auditori, ... commiseramus . . . .; qui in causa ipsa procedens, prefatam sentenciam ipsius Nicolai episcopi Ferentinatensis . . . per suam diffinitivam sentenciam confirmaverat; cumque pro parte dicti Nicolai Johannis ab eadem sentencia ipsius archiepiscopi, tunc auditoris, ad sedem fuisset appellatum predictam, nos causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . magistro Nicolao Vordis eciam capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commiseramus . . . ., ipseque Nicolaus auditor in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas dicebatur processisse, quodque, postquam . . . . Johannes episcopus Olomucensis eandem ecclesiam s. Martini vigore litterarum huiusmodi sequestraverat, prefatus Petrus . . . sequestrum huiusmodi violaverat . . .,

nos .... prefato Nicolao auditori eisdem litteris nostris commisimus et mandavimus, ut, si .... reperiret ipsum Petrum sequestrum huiusmodi violasse ...., eundem Petrum omni iure, si quod sibi in dicta ecclesia s. Martini seu ad eam tempore violacionis huiusmodi quomodolibet competebat ac competere poterat, auctoritate nostra sentencialiter declararet fuisse et esse privatum ....; et insuper si prefatum Petrum huiusmodi iure privatum contingeret declarari, ut prefertur, eundem Johannem Jesiko .... in iure et ad ius huiusmodi auctoritate nostra surrogaret ...., et nichilominus ecclesiam s. Martini predictam .... prefato Johanni Jessiko auctoritate nostra conferret et eciam assignaret, volentes inter cetera, quod ipse Johannes Jessiko, quamprimum .... ecclesiam s. Martini predictam foret pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Gundranis .... dimittere teneretur ....[1], et successive, cum dicta ecclesia s. Johannis propterea vacare speraretur, nos de eadem ecclesia s. Johannis, cum illam ut prefertur vel alias quovis modo preterquam per ipsius Johannis Jessiko obitum vacare contingeret, tibi graciose concessimus provideri. Cum itaque postmodum dicta ecclesia s. Johannis per ipsius Johannis obitum, qui, antequam prefatam ecclesiam s. Martini adipisceretur, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens, ... nos .... ecclesiam s. Johannis predictam, cuius fructus .... quinque marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., apostolica tibi auctoritate conferimus ....[2] Datum Rome ap. S. Petrum nonis Novembris a. duodecimo.

Simili modo .... episcopo Concordiensi et .... abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac preposito ecclesie Olomucensis ....

R. Lat. 96 fol. 69b — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: N. XVI. XVIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1779. [2]) Cf. nr. 2049.

1852. *Augustinus Conradi de Reichenbach[a]) Vratislaviensis dioc. ord. heremitarum s. Augustini professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum nonis Novembris a duodecimo“.*

Romae, 1401 Novembris 5.

R. Vat. 317 fol. 270a — a) ‚Reychbach'. — In fine: (sin.) XXX. M. DE SANCTA AGATHA: (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) P. DE CASTRO.

1853. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni de Tremošnicz neque Smiloni de Vicov in canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis ius competere, ipsos canonicatum et praebendam dicto Johanni conferat.*

Romae, 1401 Novembris 8.

Bonifacius .... Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus ....

Johannes Petri de Tremosniez plebanus ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Smylonem de Wyczow, qui se gerit pro presbytero Olomucensis diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte, de quibus, tunc per obitum quondam Jacobi de Sicca . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantibus, Johannes sibi auctoritate apostolica graciose et canonice provisum fuisse . . . ., Smylo vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, nos causam huiusmodi . . . . Johanni episcopo Assanensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Johannis Petri primo, et deinde, postquam idem Johannes episcopus, tunc auditor, in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat, tibi, qui adhuc locum unius ex auditoribus dicti palacii de mandato nostro tenes . . . ., commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse.[1]) Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutrum dictorum Johannis Petri et Smylonis in eisdem canonicatu et prebenda seu ad eos ius habere, nos . . . . volentes dicto Johanni Petri, qui eciam litteras apostolicas de mandato nostro scribit . . . ., graciam facere specialem, fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri eorundem Johannis Petri et Smylonis in predictis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . viginti marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni Petri auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus tam fel. rec. Urbani pape V., in qua cavetur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul retinere possit, ... quam aliis quibuscunque constitucionibus apostolicis . . . ., seu quod idem Johannes Petri, ut asserit, plebaniam dicte ecclesie s. Egidii obtinet,[2]) et nos dudum sibi de archidiaconatu Lithomericensi in maiori ecclesia Pragensi, per cuius possessionem pacificam dictam plebaniam dimittere tenetur, ac canonicatu et prebenda ipsius maioris ecclesiarum, quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcarum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, necnon deinde sibi de uno vel duobus seu tribus aut quatuor vel quinque seu sex . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si canonicatus et prebende et duo ipsorum curata aut dignitates vel personatus seu officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus aut collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus post pontificales maiores aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales forent, et ad eas qui per eleccionem assumerentur, cuius seu quorum fructus . . ., si ipsorum unum vel duo cum cura, centum et quinquaginta, si vero sine cura foret seu forent, centum et triginta marcarum argenti puri . . . . valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque seu . . . quorumcunque seu quarumcumque collacionem . . . . pertinentibus, in Pragensibus, Olomucensibus, Wratislauiensibus et Luthomislensibus ecclesiis, civitatibus et diocesibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, per alias diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac ipsum voluimus omnibus, eciam

auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, ... cardinalibus et . . . cubiculariis nostris dumtaxat exceptis, in assecucione beneficii seu beneficiorum huiusmodi anteferri, secumque, ut duo curata beneficia aut duas dignitates vel duos personatus seu duo officia huiusmodi . . . recipere, et quoad viveret, insimul retinere libere et licite valeret, de speciali gracia dispensavimus, quodque idem Johannes vigore huiusmodi litterarum capellam s. Mauricii in castro Pragensi, que sine cura est, certo modo vacantem, et partem bonorum ipsius, cuius fructus . . . . duodecim marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, extitit assecutus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Novembris a. duodecimo.

R. Lat. 86 fol. 118a. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO SCRIPTORE. N. DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 969. — Cf. nr. 438.

1854. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao Luginsland presbytero Vratislaviensis dioc. parrochialem ecclesiam ss. Simonis et Judae apostolorum in Fredeck Culmensis dioc., vacantem per liberam resignationem Jacobi Nicolai Currificis ipsius ecclesie rectoris, per Franciscum [de] Burg[a] rectorem parrochialis ecclesiae in Schweinhaus[b] et eiusdem Jacobi procuratorem apud sedem apostolicam factam, auctoritate apostolica conferat; non obstante, quod idem Nicolaus quoddam altare sine cura in ecclesia s. Mariae Magdalenae Vratislaviensi, cuius fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Novembris a. duodecimo“.*

Romae, 1401 Novembris 8.

R. Lat. 86 fol. 71a. — a) Bork. b) Sveyn. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII. DE BENEVENTO.

1855. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi [per litteras in registro cancellatas] mandatur, quatenus Jacobo Budislai de Kluk presbytero Pragensis dioc. reservet unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, consueta clericis saecularibus assignari, quorum fructus 25 resp. 18. marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis, necnon abbatissae et conventus monasterii in Teplicz ord. s. Benedicti Pragensis dioc. pertinentia, si qua vacant, vel cum vacaverint. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum . . .“[1])*

Romae [1400 Nov. 9. — 1401 Nov. 8.?].

R. Lat. 94 fol. 145b et fol. 166ab. — Supra in marg. sin.: CANCELLATA. QUIA NON SIGNATA PER MANUM REGISTRATORIS. — [1]) Reliquum deest in registro.

1856. *Cum Johanne de Třemošnicz dispensatur, ut plures canonicatus et praebendas in civitate Pragensi eiusque suburbiis simul obtinere possit.*

Romae, 1401 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Johanni de Třemosnicz canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte, que nullius diocesis existit . . . . Vite ac morum honestas . . . . Volentes itaque tibi, qui litterarum apostolicarum abbreviator existis et litteras ipsas de mandato nostro scribis, ... graciam facere specialem, tecum, qui, ut asseris, in ecclesia s. Petri Wissegradensi prope Pragam canonicatum et prebendam canonice obtines [1]) ut duos vel plures alios canonicatus et duas vel plures alias prebendas in maiori Pragensi et aliis collegiatis ecclesiis civitatis et suburbiorum Pragensium, si tibi alias canonice quomodolibet conferantur, libere recipere et una cum eisdem canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis predicte licite retinere valeas, statuto et ordinacione fel. rec. Urbani pape V. predecessoris nostri, quibus caveri dicitur, ut nullus in dicta maiori Pragensi seu suburbiorum duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit, nisi forsan huiusmodi canonicatus et prebende alicui dignitati, personatui vel officio in aliqua dictarum ecclesiarum existenti [sint] canonice uniti, et quod quicunque in ipsa maiori ecclesia aut aliqua aliarum ecclesiarum civitatis et suburbiorum predictorum canonicatum et prebendam obtinens, illos canonicatum et prebendam dicte maioris aut aliarum ecclesiarum huiusmodi foret pacifice assecutus, dictis canonicatu et prebenda, quos prius obtinebat, esset ipso iure privatus [2]) et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, auctoritate apostolica . . . . dispensamus, seu quod, ut asseris, plebanatum s. Egidii Pragensis obtines [3]), et nos dudum tibi de archidiaconatu Lithomericensi in maiori Pragensi, per cuius possessionem pacificam dictam plebaniam teneris dimittere, ac de canonicatu et prebenda ipsius maioris ecclesiarum, quorum omnium necnon canonicatus et prebende ecclesie s. [Petri] predictorum fructus . . . . centum marcharum argenti puri . . . . valorem annum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, necnon deinde tibi de uno vel duobus seu tribus aut quatuor vel quinque seu sex . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis . . . . in Pragensibus, Olomucensibus, Wratislauiensibus et Luthomislensibus ecclesiis, civitatibus et diocesibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, per alias diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri ac te voluimus omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, ... cardinalibus et . . . . cubiculariis nostris dumtaxat exceptis, in assecucione . . . . beneficiorum huiusmodi anteferri tecumque, ut duo curata beneficia ac duas dignitates vel duos personatus seu duo officia huiusmodi . . . . recipere et, quoad viveres, insimul retinere libere et licite valeres, ... dispensavimus, quodque tu vigore huiusmodi litterarum capellam s. Mauricii in castro Pragensi, que sine cura est, certo modo vacantem seu partem bonorum ipsius, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, extitisti assecutus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 100 fol. 154[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1853 [2]) Vide nri. 4 not. 2 [3]) Cf. nr. 438.

1857. *Clemen[i] Venceslai de Nova Villa[a]) clerico Olomucensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis secularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Velehrad[b]) cisterciensis ord. Olomucensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. tercio decimo". — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii Trebecensis Olomucensis dioc. ac officiali Olomucensi.*

Romae, 1401 Novembris 9.

R. Lat. 98 fol. 222[b] — [a]) ‚Nouauilla' [b]) ‚Welegrado'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1858. *Johanni de Moravia collectori Pragensi mandatur, ut contra Venceslaum Portulanum olim succollectorem Pragensem, qui certas pecunias nomine camerae apostolicae receptas ei solvere recusavit, procedat.*

Romae, 1401 Novembris 11.

Bonifacius . . . . Johanni de Morauia in provincia Pragensi fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectori . . . . Intelleximus, quod, licet tu contra Wenceslaum Portulanum olim fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in civitate et diocesi Pragensibus succollectorem, qui diversas nostras et dicte camere pecuniarum summas recepit et tibi assignare recusavit, certos processus, excommunicacionis et alias sentencias et penas continentes, feceris eosque aggravaveris et reaggravaveris contra eum, tamen idem Wenceslaus, sue salutis immemor, huiusmodi processibus vilipensis, easdem pecunias solvere penitus recusavit et eciam recusat in anime sue periculum et dicte camere non modicum detrimentum et perniciosum exemplum. Nos igitur indempnitati dicte camere precavere ac maliciis dicti Wenceslai obviare volentes, discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eundem Wenceslaum per te vel alium seu alios moneas et requiras eique mandes sub pena privacionis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, que obtinet, et inhabilitacionis ad illa et alia imposterum obtinenda, quam, si secus egerit, ipso facto incurrat, ut infra certum terminum peremptorium competentem per te sibi ad id prefigendum huiusmodi pecunias tibi assignet et assignari faciat cum effectu, et si secus egerit, ipsum, ubi et quando tibi videbitur expedire, in maiori et aliis ecclesiis et locis, dum missarum solempnia celebrabuntur, et maior aderit populi multitudo, pulsatis campanis et candelis accensis et demum extintis excommunicatum, privatum et inhabilitatum publice denuncies et facias nunciari et ab aliis arcius evitari; et nichilominus, si idem Wenceslaus infra dictum terminum mandatis tuis non paruerit cum effectu, ipsum cites ac eidem mandes, ut infra certum alium terminum peremptorium competentem nostro conspectui in Romana curia personaliter se presentet pro demeritis recepturus, prout iusticia suadebit. Si autem premissa non adimpleverit, quod absit, elapso huiusmodi termino ipsum

capias et capi facias eumque tam diu carceribus teneas et detineri facias mancipatum, donec a nobis aliud habueris in mandatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Novembris pont. n. a. tercio decimo.

R. Vat. 317 fol. 271ᵃ — In fine: (sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) DE CURIA, N. DE GOLDAW.

1859. *Johanni de Moravia collectori Pragensi mandatur, ut Volframum archiepiscopum Pragensem et alios ad solvendum camerae apostolicae certas pecunias ei debitas compellat.*

Romae, 1401 Novembris 13.

Bonifacius . . . . Johanni de Morauia in provincia Pragensi fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectori . . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod Wenceslaus Portulanus olim fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in civitate et diocesi Pragensibus succollector pecunias, quas pro dicta camera recepit, tibi diversis confictis coloribus assignare recusavit et recusat. Nos per alias nostras litteras tibi dedimus in mandatis, ut contra eum certis modo et forma procederes, prout in dictis litteris plenius continetur.[1]) Et quia noviter percepimus, quod dictus Wenceslaus de eisdem pecuniis certam quantitatem . . . . Wolframo archiepiscopo Pragensi et nonnullis aliis personis mutuavit, quas eciam iidem archiepiscopus et persone restituere non curant, nos super premissis salubriter providere volentes, discrecioni tue, ut archiepiscopum et personas predictas et alios quoscunque, cuiuscunque fuerint dignitatis aut preeminencie, qui ex premissis et aliis causis dicte camere fuerint debitores, ad solvendum et consignandum tibi huiusmodi pecunias et debita per censuram ecclesiasticam et alia remedia, prout videris expedire, appellacione postposita compellere non postponas . . . , eosque, qui sentencias per te latas super hiis forsan contempserint, citare peremptorie valeas, ut certo eis per te prefigendo termino nostro conspectui personaliter se presentent, mandatis apostolicis humiliter parituri et alias pro demeritis recepturi quod iusticia suadebit, plenam tibi concedimus tenore presencium facultatem. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. tercio decimo.

R. Vat. 317 fol. 271ᵇ — In fine: (sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) DE CURIA, ECKARDUS. — [1]) Cf. nr. 1858.

1860. *Collectori fructuum et proventuum camerae apostolicae in provincia Pragensi debitorum mandatur, ut magistro Petro de Esculo apostolicae camerae clerico, qui pro reparatione hospitii apostolici Anagnini 483 et manualiter 100 florenos auri de camera papae mutuavit, huiusmodi 583 florenos de pecuniis camerae apostolicae assignet. „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris pont. n. a. tercio decimo."*

Romae, 1401 Novembris 13.

R. Vat. 317 fol. 316ᵇ — In fine (ad dext.): DE CURIA, P. DELLAPRESSA

1861. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus causam inter Nicolaum de Janovicz et Venceslaum patriarcham Anthiocenum super prepositura ecclesiae Vyšehradensis exortam decidat.*

Romae, 1401 Novembris 13.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Dudum cum . . . . Nicolao quondam Purcardi dicti Strnad militis nato clerico Pragensis diocesis, ut non obstante defectu etatis, quem paciebatur in septimo etatis sue anno constitutus, parrochialem ecclesiam seu aliud beneficium curatum aut dignitatem, personatum seu officium, eciam si dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesia principalis foret, et ad eam quis per electionem assumeretur, ... recipere et retinere posset, per nostras litteras duximus dispensandum . . . . Postmodum vero, sicut accepimus, prepositura ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte, quam quondam Johannes Benesii . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, verus patronus et existens in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad prepositurarn ipsius ecclesie . . . ., eundem Nicolaum dilectis filiis capitulo dicte ecclesie infra tempus legitimum presentavit, iidemque capitulum, ad quos de antiqua . . . . consuetudine institucio prepositi eiusdem ecclesie pertinet, ipsum Nicolaum in prepositum dicte ecclesie auctoritate ordinaria instituerunt, ac idem Nicolaus eandem prepositurarn . . . . assecutus, eam extunc per nonnulla tempora tenuit et possedit pacifice et quiete, fructus percipiendo ex eadem, ... Wenceslao patriarcha Anthioceno, tunc decano et canonico eiusdem ecclesie hoc sciente et non contradicente, sed pacifice permittente; quodque deinde prefatus patriarcha, postquam ad ecclesiam Anthiocenam tunc vacantem per nos promotus extiterat, pretendens, ut a nonnullis asseritur, sibi dictam prepositurarn aut per nos concessam in commendam vel auctoritate ordinaria deberi, predictum Nicolaum, quem, ut prefertur, in possessione pacifica dicte prepositure fuisse et tunc esse sciverat et permiserat, non vocatum nec convictum, sed de facto contra iusticiam eadem prepositura spoliavit seque in ea intrusit ipsamque occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam; et cum idem Nicolaus pro sui iuris conservacione impedivisset, quominus idem patriarcha [possessionem] nonnullorum censuum, decimarum, reddituum et quorundam aliorum bonorum ad ipsam prepositurarn spectancium adipisci posset, pro parte ipsius patriarche, qui huiusmodi palliando spoliacionem asserebat se vigore cuiusdam commende per nos sibi concesse, necnon presentacionis de eo ad prepositurarn ipsam per prefatum regem dictis capitulo, necnon institucionis de eo per eosdem capitulum factarum ad possessionem ipsius prepositure receptum et admissum, nobis exposito, quod dictus Nicolaus et nonnulle alie persone ecclesiastice et laicales ipsum patriarcham actu contra iusticiam et de facto impedirent, quominus ipse possessionem nonnullorum censuum, decimarum, reddituum et proventuum necnon certorum aliorum bonorum ad dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas ac alia beneficia ecclesiastica, que obtinebat, necnon ad prepositurarn predictam communiter et divisim pertinencia adipisci posset, dictusque Nicolaus per se et alios certa possessiones et bona ad eandem

preposituram pertinencia occuparet et detineret ac ex eis et dicta prepositura quamplures fructus perciperet et percipere non vereretur . . . ., nos ad importunam ipsius patriarche instanciam . . . episcopo Monopolitano, eius proprio nomine non expresso, et duobus aliis [suis] in hac parte collegis per nostras litteras mandavimus, ut, quociens ad hoc pro parte ipsius patriarche requireretur, prefatum Nicolaum ac omnes et singulas alias personas impedientes huiusmodi, seu que impedirent in futurum, sub excommunicacionis et privacionis beneficiorum ecclesiasticorum, que obtinebant, et inhabilitacionis ad eadem et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda penis, quas huiusmodi monicioni non parentes incurrerent et quelibet ipsarum incurreret ipso facto, et a quibus ab alio quam a Romano pontifice preterquam in mortis articulo dumtaxat absolvi nequirent seu nequiret, moneret et mandaret eisdem, ut infra competentem terminum ipsis per eosdem episcopum et collegas ad hoc prefigendum ab huiusmodi impedimentis penitus et omnino desisterent ac huiusmodi census, decimas, redditus, proventus et alia bona ac eorum possessionem predicto patriarche libere et omnino dimitterent, ipsique Nicolao, ut eciam omnes et singulos fructus per eum seu alios eius nomine ex dicta prepositura a tempore, quo sibi, ut prefertur, commendata fuerit, perceptos integre restituere curaret seu curarent cum effectu; alioquin eundem Nicolaum et quamlibet personarum huiusmodi monicioni et mandato huiusmodi non parentes extunc sublato quocunque appellacionis obstaculo excommunicacionis sentenciam incurrisse ac huiusmodi obtentis beneficiis privatos et ad illa et quecunque alia beneficia ecclesiastica de cetero obtinenda inhabilitatos extitisse eadem auctoritate publice nunciarent et per alios nunciari et ab omnibus Christi fidelibus arcius evitari facerent, quando et quociens expediret aut foret oportunum, donec predictis monicioni et mandatis parerent ac dicto patriarche satisfacerent cum effectu, et a sede apostolica absolucionis beneficium mererentur obtinere, et nichilominus legitimis super hiis habitis et habendis servatis processibus eos, quociens expediret, aggravare curarent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Et cum deinde . . . . Jacobus archiepiscopus Tarentinus, tunc episcopus Monopolitanus, solus in huiusmodi execucionis negocio, prout ex ipsarum forma litterarum se posse dicebat, procedens, nonnullos processus fecisset pretensos, monens inter cetera dictum Nicolaum et nonnullas alias personas tunc expressas ipsi Nicolao, ut asserebatur, adherentes et ei faventes et presertim Boczconem de Podiebrad baronem, Henricum Hormisteri de Pokraticz, Symonem dictum Swinda et Martinum dictum Cladywo armigeros Pragensis diocesis, ut infra certum terminum tunc expressum possessionem prefate prepositure ipsi patriarche liberam et expeditam dimitterent et ab huiusmodi molestacionibus et impedimentis desisterent, alioquin in eos diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti necnon privacionis beneficiorum, que obtinebant, et inhabilitacionis ad eadem et quecunque alia beneficia in futurum obtinenda sentencias et penas promulgabat, et successive asserens ipsos Nicolaum et personas dictis monicionibus infra huiusmodi terminum sive eciam post minime paruisse, eos declarasset huiusmodi sentencias et penas incurrisse ac processus ipsos eciam quamplures aggravaret, et ipse Nicolaus et persone ab huiusmodi processibus ac sentenciis et penis ac aggravacionibus ad sedem apostolicam appellassent, nos causas appellacionum huiusmodi et negocii

principalis successive certis causarum palacii apostolici auditoribus ad instanciam dictorum Nicolai et personarum primo, et deinde causam ipsam ad nos advocantes eam . . . . Cosmato tituli s. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali . . ., ut dicitur, commisimus . . . ., et postquam idem cardinalis suspenso petitorio in solo possessorio ad quosdam actus in causa ipsa processerat, nos, cum a nonnullis verteretur in dubium, an per dictas dispensacionis litteras, prefato Nicolao, ut prefertur, concessas, predicto patriarche aut iuri suo voluissemus aut intendissemus derogare, in favorem eiusdem patriarche dicimur declarasse nostre intencionis ac voluntatis non fuisse neque tunc esse, quod per huiusmodi dispensacionis aut quascunque alias litteras eidem Nicolao sub quacunque forma vel expressione verborum concessas vel concedendas iuri eidem patriarche in dicta prepositura seu ad eam quomodolibet competenti aut commende per nos sibi facte in aliquo derogaretur, ac super huiusmodi commenda et quascunque litteras super dicta prepositura eidem patriarche [concessas] perinde voluisse et velle valere et in sui roboris firmitate perdurare debuisse et debere decrevisse, ac si predicte littere eidem Nicolao concesse a nobis minime emanassent; et successive nobis relato, quod predicta dispensacio contra mentem nostram obtenta fuerit ex eo, quod dictus Nicolaus, qui in ipsis dispensacionis litteris se in septimo sue etatis anno constitutum asseruerat, licet ipsum septimum sue etatis annum nondum attingebat, quodque eciam prefatus rex expresse declaraverat sue intencionis numquam fuisse nec esse, quod dictus Nicolaus, ad hoc legitimam etatem non habens, tali preesset dignitati, que utique honorabile membrum regni sui Boemie existebat, nos, qui super nullitate prefate dispensacionis ac premissis omnibus tam per patentes dicti regis litteras quam eciam ex fideli relacione dicti cardinalis, cui examinacionem premissorum commisimus, effecti fuimus, ut duximus, cerciores, huiusmodi licium anfractum amputare volentes, motu proprio . . . . dicimur causam huiusmodi ad nos auctoritate apostolica . . . . per nostras litteras advocasse ac . . . . litem et causam huiusmodi eadem auctoritate penitus extinxisse, prefatoque Nicolao super lite et causa ac prepositura predictis eadem auctoritate perpetuum silencium imposuisse, districciusque inhibuisse prefato cardinali et quibuscunque aliis forsan imposterum deputandis auditoribus ne de ipsius cause ulteriori cognicione aliquatenus se intromitterent, necnon tam officium cancellarie nostre regenti quam aliis officialibus quibuscunque, ne in causis motis vel movendis contra dictum patriarcham super prefata prepositura seu eius occasione iudices seu auditores deputarent, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ac stilo cancellarie predicte necnon appellacionibus interpositis et interponendis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, decernentes extunc irritum et inane, si secus . . . . contingeret attemptari, prout in diversis nostris litteris in favorem dicti patriarche concessis dicitur plenius contineri, certis eciam aliis super hiis executoribus seu conservatoribus deputatis et eciam processibus fulminatis, quorum omnium et singulorum qualitates et circumstancias ac tenores haberi volumus presentibus pro expressis et eciam pro insertis. Cum autem, sicut fidedignorum persuadet assercio, re vera prefatus Nicolaus tempore date dicte dispensacionis in septimo sue etatis anno constitutus et deinde per prefatum regem debite et legitime ad prefatam preposituram presentatus et per dictos capitulum in ea institutus et eandem preposituram, dicto patriarcha,

tunc, ut prefertur, decano eiusdem ecclesie, sciente vel tollerante et non contradicente, assecutus extiterit, eamque per nonnulla tempora pacifice tenuerit et possederit, fructus ex ea percipiendo et de huiusmodi possessione pacifica in dictis litteris per nos in favorem ipsius patriarche concessis nulla mencio facta fuerit, nos propterea, si ita est, in animo revolventes per prefatas litteras, in favorem ipsius, patriarche per nos, ut premittitur, concessas, per quas inter cetera eidem Nicolao, ut prefertur, super dicta prepositura perpetuum silencium imponitur, defensio tollitur et idem Nicolaus in iure sibi in eadem prepositura competenti multipliciter impeditur, ipsum Nicolaum nimium enormiter fuisse et esse lesum, ac advertentes hoc sine magna causa non debere, fraternitati tue . . . . mandamus et committimus, quatenus partibus convocatis de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris dictum Nicolaum tempore date dicte dispensacionis in septimo sue etatis anno fuisse constitutum et prefatam preposituram racione presentacionis et institucionis de eo, ut prefertur, factarum assecutum et eandem extunc per nonnulla tempora, dicto patriarcha sciente et tollerante et non contradicente, pacifice possedisse, et deinde eundem patriarcham ipsum Nicolaum, eo non vocato aut alias convicto, eadem prepositura spoliasse, eundem Nicolaum ad dictam preposituram et eius possessionem in eo statu, in quo tempore spoliacionis huiusmodi existebat, auctoritate nostra restituas et reintegres eumque restitutum et reintegratum iuxta iuris exigenciam defendas, donec causa proprietatis, si idem patriarcha ipsi Nicolao coram te aliquam super eadem prepositura movere voluerit, fuerit debite et legitime terminata; et nichilominus causam seu causas, quam vel quas patriarcha Nicolao aut Nicolaus predicti patriarche prefatis premissorum occasione movere voluerit, cum omnibus et singulis emergentibus, incidentibus et connexis audias et debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari . . . .: non obstantibus prefatis et aliis quibusvis litteris ipsi patriarche per nos concessis, per quas prefato Nicolao in iure, sibi in prefata prepositura ante datam et concessionem earundem litterarum acquisito, ... declaramus et decernimus nullatenus debuisse et debere quomodolibet derogari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 244a — In fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO. — Cf. nros. 1069, 1370, 1556, 1783.

1862. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Johanni episcopo Olomucensi terminum faciendae solutionis eius communis et quatuor minutorum servitiorum camerae apostolicae debitorum usque ad festum penthecosten proxime futurum prorogat. „Rome [ap. S. Petrum] die quinta decima mensis Novembris, VIII indictione, pont. . . . . a. duodecimo."*

Romae, 1401 Novembris 15.

Oblig. et sol. 55 fol. 119a — In fine: FL. III GR. III.

***1863**. Cum Nicolao Henslini dispensatur, ut parrochialem ecclesiam in Brozan aut aliud beneficium ecclesiasticum usque ad alios tres annos una cum parrochialibus ecclesiis in Budeč et in Krakov retinere possit.*

Romae, 1401 Novembris 19.

Bonifacius . . . . Nicolao Henslini rectori parrochialis ecclesie in Budecz Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tecum per quasdam, ut parrochialem ecclesiam in Krzekow Pragensis diocesis, de qua tunc . . . . tibi provideri mandavimus, recipere et usque ad unum annum cum parrochiali ecclesia in Budecz dicte diocesis, quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, retinere valeres, primo,[1]) et subsequenter dicta ecclesia in Krzekow, quam assecutus eam extunc cum dicta ecclesia in Budecz possedisti, prout possides *(sic)*, tecum per alias nostras litteras, per quas tibi de beneficio curato, eciam si dignitas, personatus vel officium curatum in metropolitana, cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis foret, et ad eam vel illum seu illud consuevisset quis per eleccionem assumi, ad . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie s. Petri Wissegradensis, que, ut asseritur, nullius diocesis existit, necnon cuiuscumque seu quorumcumque . . . . collacionem . . . ., eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in quibusvis ecclesiis obtinebant, ... pertinente, vacante vel vacaturo, eciam cum clausula, ut omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, anteferreris, motu proprio . . . . graciose mandavimus eciam provideri, ut huiusmodi dignitatem vel personatum aut officium seu beneficium curatum . . . . recipere et una cum dictis parrochialibus ecclesiis seu earum altera, quam te post huiusmodi annum obtinere contingeret, usque ad triennium, ita quod elapso huiusmodi anno duo dumtaxat incompatibilia insimul retinere valeres, quorum alterum infra huiusmodi triennium pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare tenereris, duximus dispensandum. Cum autem finis huiusmodi anni instare videatur, tuque huiusmodi dignitatem vel personatum aut officium seu beneficium curatum nondum assecutus existas, licet parrochialem ecclesiam in Brosano dicte diocesis, tunc certo modo vacantem, cum protestacione debita, ut asseris, acceptaveris et de illa tibi provideri feceris, nos . . . . huiusmodi annum usque ad triennium a fine ipsius anni inantea computandum auctoritate apostolica . . . . motu simili extendimus et eciam prorogamus, ita quod huiusmodi ecclesiam in Brosano aut dignitatem vel personatum seu officium vel beneficium huiusmodi, quam vel quem seu quod te interim assequi forsan contigerit, recipere et una cum dictis ecclesiis parrochialibus usque ad huiusmodi triennium insimul retinere libere et licite valeas, proviso, quod . . . . duo ex illis, vel si illam aut illum seu illud non assequeris, alteram ex in Budecz et in Krzekow parrochialibus ecclesiis predictis pro alio vel aliis . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis cum eorum reliquo . . . . compatibilibus permutare, alioquin in Budecz et in Krzekow, vel si illam aut illum seu illud non assequeris, ut prefertur, in Budecz dumtaxat ecclesias predictas . . . . omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Decembris a. tercio decimo.

R. Lat. 100 fol. 130ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1668.

1864. *Cum Francisco Flosser [de Brega] rectore parrochialis ecclesiae in Tyncz Vratislaviensis dioc., clericali dumtaxat caractere insignito, dispensatur, ut ratione dictae ecclesiae usque ad triennium a data praesentium litterarum ad superiores ordines se facere promoveri minime teneatur, non obstantibus aliis beneficiis ecclesiasticis, quae obtinet, ac gratiis exspectativis quibuscunque.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. tercio decimo.*"

Romae, 1401 Novembris 22.

R. Lat. 100 fol. 58ᵇ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1865. *Ad reparationem parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Nissa*[a]) *Vratislaviensis dioc., quae adeo est ignis incendio concremata et destructa, ut sine fidelium suffragiis non possit commode reformari, manus adiutrices porr gentibus septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur; praesentibus litteris post decennium minime valituris.* „*Ecclesiarum fabricis*" „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Decembris a. tercio decimo.*"

Romae, 1401 Novembris 23.

R. Lat. 100 fol. 58ª — [a]) ‚Nissia' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1866. *Johanni rectori ecclesiae in Bohrau dispensatio a sacris ordinibus auctoritate ordinaria ad septennium ei concessa ad alios tres annos extenditur.*

Romae, 1401 Novembris 26.

Bonifacius . . . . Johanni rectori parrochialis ecclesiae in Boraw Wratislauiensis diocesis . . . Vite ac morum honestas . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim . . . . Wenceslaus episcopus Wratislauiensis tecum, ut litterarum studio in loco, ubi illud vigeret generale, insistendo, fructus . . . . parrochialis ecclesie in Boraw Wratislauiensis diocesis, quam tunc obtinebas, prout obtines, usque ad septennium percipere posses, quodque eciam racione eiusdem ecclesie huiusmodi studio insistendo ad aliquos sacros ordines te facere promoveri minime tenereris, auctoritate ordinaria dispensavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, finis huiusmodi septennii in brevi instare noscatur, nos dispensacionem huiusmodi et inde secuta rata habentes et grata eaque auctoritate apostolica confirmantes, ac volentes te, qui, ut asseris, subdiaconus es, ... favoribus prosequi graciosis, ... huiusmodi septennium quoad omnia premissa, eciam si in obsequiis alicuius prelati interim stare volueris,

usque ad triennium a fine dicti septennii computandum auctoritate apostolica .... prorogamus .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Decembris a. tercio decimo.

R. Lat. 100 fol. 10b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1867. *Parrochialem ecclesiam s. Martini in Třebíč*[a]) *Olomucensis dioc. in festivitatibus s. Martini et dedicationis eiusdem ecclesiae et capellam s. Marci sitam infra limites dictae ecclesiae in festivitate s. Marci visitantibus trium annorum et totidem quadragenarum, illis autem, qui praefatam ecclesiam duobus diebus dictam festivitatem s. Martini immediate sequentibus visitaverint, centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Decembris pont. n. a. tercio decimo.“*

Romae, 1401 Novembris 28.

R. Lat. 100 fol. 13b — a) Trebecz. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1868. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Třemosnicz canonicatus et praebendas maioris Pragensis et Vratislaviensis ecclesiarum et praeposituram ecclesiae s. Apollinaris Pragensis conferant.*

Romae, 1401 Novembris 30.

Bonifacius .... episcopo Anconitano et .... s. Ambrosii Pragensis ac .. in Aula Regia Pragensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Johannes Petri de Tremosnicz canonicus ecclesie s. Petri Wisegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim maioris Pragensis et Wratislauiensis canonicatibus et prebendis necnon s. Apolinaris Pragensis ecclesiarum prepositura, quos quondam Wenceslaus dictus Wolek de Jencensteyn .... obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Johannes vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas nos dudum sibi de uno vel duobus seu tribus aut quatuor vel quinque seu sex .... beneficiis ecclesiasticis, eciam si canonicatus et prebende et duo ipsorum curata aut dignitates vel personatus seu officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus aut collegiatis, et dignitates ipse in metropolitanis vel cathedralibus post pontificales maiores aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales forent, et ad eas qui per eleccionem assumerentur, cuius seu quorum fructus ...., si ipsorum unum vel duo cum cura, centum et quinquaginta, si vero sine cura foret seu forent, centum et triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excederent, ad cuiuscunque .... collacionem .... pertinentibus, in Pragensibus, Olomucensibus, Wra-

tislauiensibus et Luthomislensibus ecclesiis, civitatibus vel diocesibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, ipsumque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus ac . . . . cubiculariis nostris . . . . voluimus anteterri, ac nichilominus secum, ut duo curata beneficia seu officia aut duas dignitates vel duos personatus huiusmodi . . . . recipere, et quoad viveret, insimul retinere libere et licite valeret, dispensavimus, canonicatus et prebendas ac prepositurain predictos sic vacantes infra tempus legittimum acceptavit et de illis sibi obtinuit provideri. Cum autem . . . . prefatus Johannes dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Johanni, qui litterarum apostolicarum abbreviator existit et ipsas litteras de mandato nostro scribit, graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatus et prebendas ac prepositurain predict·s, quorum omnium fructus . . . . centum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .;[1]) non obstantibus . . . ., quod idem Johannes plebaniam s. Egidii Pragensem obtinet [2]), et nos dudum sibi de archidiaconatu Lithomericensi in dicta maiori ecclesia, per cuius possessionem pacificam dictam plebaniam dimittere tenetur, necnon de maioris et s. Petri dictarum ecclesiarum canonicatibus et prebendis, super quibus quidem canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri in palacio apostolico litigat,[3]) tunc certis modis vacantibus, graciose mandavimus provideri, et quod nuper sibi de quodam perpetuo beneficio sine cura ‚prebenda' nuncupato, per clericos seculares regi consueto, in ecclesia monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord s. Benedicti tunc vacante, apostolica fuit auctoritate provisum, necnon capellam sine cura s. Mauricii sitam in eodem castro et partem bonorum ipsius, quorum omnium fructus . . . . centum et viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, dictarum litterarum vigore extitit assecutus, et quod nos secum, ut duos vel plures canonicatus et duas vel plures prebendas in maiori Pragensi et aliis collegiatis ecclesiis civitatis et suburbiorum eiusdem, fel. rec Urbani pp. V. . . . . constitucione super hoc edita non obstante, insimul obtinere possit, graciose duximus dispensandum.[4]) Volumus autem, quod, quamprimum idem Johannes predictos canonicatus et prebendas maioris et Wratislauiensis ecclesiarum ac prepositurain . . . . fuerit pacifice assecutus, predicte littere et quecunque inde secuta, quoad tria beneficia dumtaxat et illam marcharum argenti summam, ad quam ipsi canonicatus et prebende maioris et Wratislauiensis ecclesiarum huiusmodi ac prepositura et capella . . . . ascendunt annuatim, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Decembris a. tercio decimo.

R. Lat 99 fol. 55a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1869 [2]) Cf. nr. 438. [3]) Cf. nr. 1853. [4]) Nr. 1856.

1869. *Petro de Esculo providetur motu proprio de canonicatibus et praebendis maioris Pragensis et Vratislaviensis ecclesiarum necnon de praepositura ecclesiae s. Apollinaris Pragensis.*

Romae, 1401 Novembris 30.

Bonifacius . . . . magistro Petro Vannis de Esculo canonico Pragensi, apostolice camere clerico et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas . . . . ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . quorumcunque familiarium nostrorum, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum, si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum maioris Pragensis et Wratislauiensis canonicatus et prebende ac prepositura s. Appolinaris Pragensis ecclesiarum, quos quondam Wenceslaus dictus Wolek . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui familiaris noster existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator et scriptor existis . . . ., graciam facere specialem, motu proprio . . . . predictarum ecclesiarum Wratislauiensis, quorum sexaginta, necnon Pragensis canonicatus et prebendas ac preposituram predictos, quorum fructus . . . . octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .[1]) Nos enim tecum, ut preposituram predictam una cum aliis dignitatibus, personatibus . . . . ac aliis beneficiis ecclesiasticis . . . ., que obtines et expectas, et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint . . . ., recipere et . . . . retinere valeas . . . ., dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Decembris pont. n. a. tercio decimo.

Simili modo . . . . Florentino et Tudensi episcopis ac . . . . officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 101 fol. 173c – Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. – [1]) Cf. nr. 1868.

1870. *Cum Georgio nobilis viri Herbordi de Zátor*[a]) *nato, subdiacono Olomucensis dioc., in decimo nono aetatis suae anno constituto, dispensatur, ut huiusmodi aetatis defectu non obstante, beneficium ecclesiasticum curatum aut parrochialem ecclesiam recipere seque ad diaconatus et presbyteratus ordines promoveri facere possit. „Nobilitas generis“ „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. tercio decimo“.*

Romae, 1401 Decembris 1.

R. Lat 100 fol. 19b – [a]) ‚Zathora‘ – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1871. *Johanni de Moravia in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectori mandatur, ut nomine dictae camerae exigat bona mobilia ac credita et debita quorumcunque praelatorum decedentium illarum partium, tempore mortis eorum quomodolibet ad eos pertinentia, necnon omnes fructus et reditus quorumcunque beneficiorum ecclesiasti-*

corum dispositioni apostolicae reservatorum, tempore eorum vacationis obvenientes. „Cum nos dudum" „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. tercio decimo."

Romae, 1401 Decembris 1.

Armar. XXXIII tom 12 fol. 192b — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; ad dext.) DE CURIA. N. DE GOLDAW. In copia huius bullae in registro clausulae penitus sunt omissae et solummodo sriptum est: „etc. ut supra in Coloniensi". Haec autem bulla „super spoliis collectorie provincie Coloniensis" ddto. 1390 Jan. 24 (ibidem fol. 106a) mutatis mutandis fere ad verbum cum bulla pro collectoribus provinciae Poloniensis ddto. 1382 Maii 21 concordat, quam vide sub nro. 79 huius libri.

1872. *Adae de Moravia monacho expresse professo monasterii in Ojvin[a]) ord. s. Benedicti Pragensis dioc., in quo degentes secundum instituta b. Petri Confessoris alias de Magella vivunt, indulgetur, ut ad aliquod monasterium dicti ordinis s. Benedicti, in quo degentes secundum regulam meram s. Benedicti vivunt et in habitu nigri coloris incedunt, se transferre ibique dignitates, personatus vel officia recipere possit. „Religionis zelus„ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. tercio decimo".*

Romae, 1401 Decembris 11.

R. Lat. 102 fol. 63a — a) ‚Oyuim' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1873. *Decima in provincia Pragensi de novo imponitur.*

Romae, 1401 Decembris 15.

Bonifacius . . . . Johanni de Morauia fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in provincia Pragensi collectori . . . . Dudum, videlicet idibus Septembris pont. n. anno undecimo, decimam omnium reddituum, fructuum et proventuum in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus consistencium per tres annos a festo nativitatis domini nostri Jesu Christi extunc proxime futuro inchoandos et continue subsequentes in certis terminis per alias nostras litteras duximus imponendam, prout in eisdem litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut accepimus, dicte littere ad manus tuas tarde devenerunt et propterea aliisque certis de causis easdem litteras in partibus ante festum predictum publicari non fecisti, et secundum premissa dicti termini sunt elapsi, nos volentes super premissis salubriter providere, decimam predictam per tres annos a dicto festo proxime venturo inchoandos et continuo subsequentes, prout in dictis litteris continetur, imponimus eciam per presentes in terminis infrascriptis persolvendam. Primum enim terminum solucionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti triennii statuimus et esse volumus festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime secuturum, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni predictum festum nativitatis extunc immediate secuturum, in aliis duobus annis dicti triennii similibus terminis et tenore ac forma pre-

dictarum aliarum litterarum in omnibus aliis per omnia observandis. Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Januarii pont. n. a. tercio decimo.

Reg. Vat. 317 fol. 288ᵃ, et iterum Armar. XXXIII tom. 12 fol. 192ᵃ. — In fine: (ad dext.) DE CURIA, N. DE GOLDAW — [1]) Cf. nr. 1648.

1874. *Abbati monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses mandatur, quatenus Nicolaum Rodzinka monachum monasterii Tynciensis ord. s. Benedicti Cracoviensis dioc. ad prosecutionem iuris dicti monasterii contra nobilem virum ‚Iwanum de Rucia', qui nonnullas villas et bona eiusdem monasterii occuparerat et ad eorum restitutionem per quosdam iudices ecclesiasticos condemnatus, eisdem iudicibus „ipsam causam totaliter dimitti per regiam et secularem potestatem regni Polonie mandari fecit", admittat et in causa ipsa quod iustum fuerit decernat. „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Januarii a. tercio decimo."*

Romae, 1401 Decembris 20.

R. Lat. 102 fol. 30ᵃ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1875. *Lucae Linczlini reservatur parrochialis ecclesia in Miroslav (Mislicz) in brevi vacatura.*

Romae, 1401 Decembris 22.

Bonifacius . . . . Luce Linczlini perpetuo vicario in ecclesia Olomucensi . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem . . . . Nicolao rectori parrochialis ecclesie in Mislabs Olomucensis diocesis de parrochiali ecclesia in Durenholcz dicte diocesis tunc certo modo vacante per nostras litteras graciose mandavimus provideri.[1]) Cum itaque propterea, quamprimum ipse Nicolaus . . . . dictam ecclesiam in Durenholcz fuerit pacifice assecutus, ecclesia in Mislabs prefata, quam tunc temporis obtinebat, prout obtinet, vacare speretur, nos . . . . ecclesiam in Mislabs predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, perpetuam vicariam sine cura in dicta ecclesia Olomucensi, que residenciam personalem requirit, cuiusque fructus . . . . decem marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere. Nos enim tibi, ut dictam ecclesiam in Mislabs . . . . recipere et una cum dicta vicaria, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas . . . . , auctoritate apostolica concedimus per presentes . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. tercio decimo . . . .

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac archidiacono ecclesie Olomucensis . . . .

R. Lat. 103 fol. 50ᵃ — Supra in marg. sin: BERTOLDUS; in fine: JAC. XIIII. XVI DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1482.

1876. *Filialem ecclesiam s. Materni in Králova Lhota*[a]) *Pragensis dioc. certis diebus anni (qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitate s. Materni) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris perpetuo duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Januarii a. tercio decimo.“*

Romae, 1401 Decembris 23.

R. Lat. 100 fol. 28[a] — [a]) Kralowalhota. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1877. *Andreae rectori parrochialis ecclesie b. Marie virginis in Weiz*[a]) *Salzburgensis dioc. confirmatur provisio de eadem ecclesia ei facta per magistrum Bartholomaeum Francisci notarium apostolicum, officium cancellariae apostolicae regentem, in cuius manibus dictam ecclesiam Nicolaus ultimus rector eiusdem per Venceslaum Thiem*[b]) *procuratorem suum apud sedem apostolicam ex causa permutationis pro ecclesia in Anger resignaverat. „Rome ap S. Petrum sexto kal. Januarii a. tercio decimo.“*

Romae, 1401 Decembris 27.

R. Lat. 100 fol. 29[b] — [a]) ‚Weytz‘ [b]) ‚Thyem‘. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

1878. *Ecclesiam b. Mariae virginis in Budissin visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1401 Decembris 29.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia b. Marie virginis domus fratrum minorum in Budissin Misnensis dioc. per ignis voraginem miserabiliter, ut veridica relacione percepimus, destructa, que reparacione indigere videtur non modicum sumptuosa, per subsidia Christi fidelium decenter reparetur, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reparacionem, fabricam et conservacionem ecclesie et domus predictarum manus adiutrices porrexerint et a primis vesperis dominice passionis, qua cantatur in ecclesia dei ‚Judica me deus‘, et per ipsam diem dominicam necnon per septem dies dictam diem dominicam immediate sequentes eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica . . . . concedimus, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi et alias annuatim quomodolibet consequuntur . . . . Et insuper . . . . custodi et guardiano dicte domus . . . ., ut sex vel plures, si opus fuerit, presbyteros ad hoc ydoneos, seculares vel religiosos, in confessores eligere possint, qui confessiones quarumcunque personarum ad ecclesiam predictam . . . . confluencium in dominica et diebus

predictis auctoritate apostolica audire et . . . pro commissis debitam eis absolucionem impendere valeant . . . ., quodque custos et guardianus predicti eisdem personis . . . . in dicta ecclesia per se vel alios fratres dicte domus eucaristie sacramentum in . . . . diebus predictis dumtaxat ministrare valeant . . . ., iure tamen quarumlibet parrochialium ecclesiarum in omnibus semper salvo . . . ., licenciam elargimur . . . . Volumus autem, quod . . . . presentes littere . . . . perpetuis futuris temporibus in sua maneant roboris firmitate. Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Januarii a. tercio decimo.

R. Lat. 100 fol. 154b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC. CL DE TERAMO.

1879. *Eadem indulgentia omnibus ecclesiam b. Mariae virginis domus fratrum minorum in Gorlicz Misnensis dioc. a primis vesperis festivitatis ss. Philippi et Jacobi et per ipsam festivitatem necnon per septem dies sequentes visitantibus conceditur. „Dum precelsa" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Januarii a. tercio decimo."*

Romae, 1401 Decembris 29.

R. Lat. 100 fol. 115b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: JAC. CL DE TERAMO.

1880. *Domum seu ecclesiam s. Dominici in Usk[a]) super Lužnicz[b]) ord. fratrum praedicatorum Pragensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis s. Thomae de Aquino et per septem dies sequentes annuatim visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini quomodolibet consequuntur; priori vero dictae domus et decem aliis presbyteris per eum deputandis indulgetur, ut confessiones Christi fidelium ad dictam domum diebus praedictis confluentium audire possint; decernitur denique praesentes litteras perpetuo valere debere et sub quacunque futura revocatione indulgentiarum nullatenus comprehendi. „Licet is" „Romae ap. S. Petrum tercio kal. Januarii a. tercio decimo."*

Romae, 1401 Decembris 30.

R. Lat. 100 fol. 44a — a) ‚Vssk' b) ‚Lussnycz' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. CXX DE BENEVENTO.

1881. *Andreae de Magna Rudna conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei alias de nonnullis beneficiis ecclesiasticis provisum est, valeant quibuscunque earum defectibus non obstantibus.*

Romae, 1401 Decembris 30.

Bonifacius . . . . Andree Nawogii de Magna Rudna presbytero Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod parrochialis ecclesia in Luboricza per resignacionem quondam Johannis Stephani, per eum de illa, de qua sibi tunc apostolica auctoritate prouisum fuerat, eius possessione per eum non habita, ex causa permutacionis tecum pro certis aliis beneficiis tunc expressis apud sedem apostolicam factam, necnon altare s. Thome situm in ecclesia Cracouiensi et Curzolouiensis, tunc per quondam Bartholomei Chottow, ac s. Egidii Cracouiensis et s. Marie Kilciensis Gneznensis et Cracouiensis diocesium ecclesiarum canonicatus et prebende, tunc per dicti Johannis obitus, qui extra Romanam curiam decesserant, vacaverant et vacabant tunc, nos tibi de parrochiali ecclesia et altari ac canonicatibus et prebendis predictis sic vacantibus per diversas nostras litteras graciose prouideri mandavimus, certis tibi super hiis executoribus deputatis[1] . . . ., tuque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, canonicatum et prebendam s. Egidii ac parrochialem ecclesiam predictos . . . . fuisti pacifice assecutus, et in una, in qua super altari, duas conformes, et in alia appellacionum causis, in qua super Kilciensis, unam diffinitivas sentencias contra te reportasti, in palacio causarum apostolico coram diversis eiusdem palacii auditoribus litigas et super Curzelouiensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis predictis litigare proponis. Cum autem . . . . tu ex certis causis dubites litteras prefatas et omnia inde secuta viribus non subsistere ipsasque litteras seu ex eis aliquas tamquam surrepticias et obrepticias sive defectuosas posse impugnari, ac canonicatus et prebendas necnon parrochialem ecclesiam et altare predicta generaliter vel specialiter fore reservata aut illa aliter, quam in dictis litteris est expressum, vacavisse seu vacare . . . ., volumus et tibi, cui dudum de Wratislauiensis et Cracouiensis predicte sub expectacionibus prebendarum concessimus, necnon de eiusdem Cracouiensis ecclesiarum canonicatibus cum prebenda . . . . per quasdam alias nostras litteras mandavimus prouideri . . . ., eadem apostolica auctoritate concedimus, quod predicte littere et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta perinde, ac si in litteris ipsis aliqui defectus aut surrepciones vel obrepciones minime intervenissent et nulla per sedem apostolicam generalis vel alias specialis de parrochiali ecclesia et altari ac canonicatibus et prebendis predictis reservacio facta foret . . . ., a data presencium valeant plenamque obtineant roboris firmitatem . . . , eciam si parrochialis ecclesia et altare ac canonicatus et prebende predicta ac altare b. Marie situm in ecclesia s. Thome in Ratibor Wratislauiensis diocesis, ad quod dudum, tunc per dicti Johannis obitum vacans, per verum patronum laicum infra tempus legitimum presentatus et in eo auctoritate ordinaria in rectorem institutus fuisti, quorum omnium fructus . . . . centum et quadraginta trium marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, premissis in dictis litteris expressis vel aliis quibusvis modis . . . vacent . . . . Nos insuper tibi, ut canonicatum et prebendam ecclesie Cracouiensis et altare s. Thome predicta, super quibus litigas, ut prefertur, si ea evincas, recipere, et quoad vixeris, insimul retinere libere et licite valeas, auctoritate predicta . . . concedimus per presentes . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Januarii anno tercio decimo.

R. Lat 100 fol. 89[a] — Supra in marg. sin : A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1043.

1882. *Arbitrium in causa inter decanum et capitulum ecclesiae Pragensis et inter capitulum Olomucensis ecclesiae per Andream decanum Olomucensem latum confirmatur, processusque in eadem causa in curia Romana habiti revocantur.*

Romae, 1402 Januarii 3.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Specialis benivolencie plenitudo, quam ad Pragensem ecclesiam ex paterne caritatis visceribus gerimus veluti ad filiam predilectam necnon ad dilectos filios . . decanum et capitulum ac personas eiusdem ecclesie, qui tam [a]) nobis quam predecessori nostro huiusmodi scismatis et turbacionis tempore tamquam murum pro domo Israel fidei et devocionis constancia se opponentes, in huiusmodi fide ac devocione inconcusse perstiterunt et persistunt, merito nos inducit, ut ad ea, que tam eiusdem ecclesie quam ipsorum decani et capituli ac personarum statum pacificum et tranquillum commodumque concernere [b]) dinoscuntur, paterna sollicitudine intendamus eosque favoribus apostolicis graciose prosequamur. Sane per nos alias intellecto, quod, cum dudum . . . . Henricus abbas monasterii Scotorum in Wyenna [c]) ord. s. Benedicti Patauiensis diocesis, conservator dilectis filiis capitulo ecclesie Olomucensis contra inferentes eis in rebus et bonis eorum iniurias vel iacturas a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputatus, ad [d]) dictorum capituli asserencium, quod . . . . nobilis vir Procopius marchio Morauie eis et ecclesie Olomucensi predicte nonnulla gravia damna et iniurias intulerat tunc expressa, instanciam [e]) et requisicionem contra eundem marchionem et quosdam alios eius in hac parte complices tunc eciam expressos nonnullos graves processus, diversas excommunicacionum et alias sentencias atque penas in se continentes emisisset, et dilecti filii decanus et capitulum ecclesie Pragensis, ut processus huiusmodi exequerentur et publicarent, pro parte dictorum capituli Olomucensis requisiti fuissent, iidem decanus et capitulum ecclesie Pragensis considerantes pericula, que eis et dicte ecclesie Pragensi exinde provenire possent, ac propterea ul facere non audentes, a requisicione huiusmodi ad sedem apostolicam appellassent, nos causam appellacionis huiusmodi . . . Jacobo electo Aquilano, capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici, ad dictorum decani et capituli ecclesie Pragensis instanciam . . . . commiseramus . . . . Qui in huiusmodi causa procedens, sentenciam, per quam inter cetera per prefatos decanum et capitulum ecclesie Pragensis a requisicione huiusmodi periculi male fuisse et esse appellatum, ipsosque in penas et sentencias in processibus huiusmodi contentas incidisse ac ipsis ligatos fuisse et esse pronunciaverat et declaraverat, promulgavit; a qua pro parte decani et capituli ecclesie Pragensis predictorum ad sedem appellatum extiterat antedictam. Nos igitur causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia et nonnullis gravaminibus interiecte . . . . Nicolao Wordis capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commiseramus . . . ., idemque Nicolaus auditor in huiusmodi causa ad nonnullos actus inter partes ipsas dicebatur processisse, nosque postmodum . . . . causam ipsam ad nos per nostras litteras . . . . motu proprio . . . . advocavimus eamque in eo statu, in quo tunc erat, necnon suspensionis, interdicti ac alias sentencias atque penas, si quas iidem decanus et capitulum ecclesie Pragensis premissorum occasione forsan incurrerunt, et processus propterea contra eos habitos usque ad nostrum beneplacitum suspendimus.

eosque ab excommunicacionum et aliis sentenciis et penis huiusmodi per easdem nostras litteras duximus absolvendum . . . .[1] Cum autem prefati decanus Pragensis ac eiusdem et Olomucensis ecclesiarum capitula interim in . . . . Andream decanum ecclesie Olomucensis predicte tamquam in arbitrum et arbitratorem super huiusmodi lite et controversia et aliis premissis extra Romanam curiam sub certa pena compromiserunt, idemque Andreas decanus equum inter partes ipsas tulerit arbitrium, quod partes ipse mox emologaverunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, nos, qui pacem et concordiam querimus singulorum et precipue personarum ecclesiasticarum nobis et ecclesie Romane devotarum, volentes circa hoc prefatis decano et capitulo ecclesie Pragensis paterna sollicitudine providere, et ut inter ipsos capitula semotis licium anfractibus pacis amenitas illibata conservetur, et habentes omnia et singula per ipsum Andream decanum lata et arbitrata pro sufficienter expressis, arbitrium, arbitramentum, laudum, concordiam, transaccionem aliaque omnia et singula per ipsum Andream lata et arbitrata auctoritate apostolica tenore presencium ex certa sciencia ratificamus, approbamus et eciam confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerunt in premissis, ipsaque perinde valere volumus, ac si cum plenaria cause cognicione et vocatis quorum interest facta fuissent, excommunicacionis vero, suspensionis et interdicti et alias sentencias atque penas, si quas iidem decanus et capitulum ecclesie Pragensis singularesque persone et si quarum forsan interest premissorum occasione forsan incurrerunt, et processus predictorum auditorum in curia Romana habitos ac sentenciam per prefatum Jacobum electum, tunc auditorem, ut prefertur, latam et quecunque inde secuta exnunc tollimus, irritamus, cassamus, annullamus, revocamus ac cassa, nulla et irrita nulliusque penitus esse roboris volumus vel momenti, ipsosque nichilominus decanum et capitulum ecclesie Pragensis singularesque personas eiusdem et alias, si quarum interest, ab huiusmodi excommunicacionum, suspensionum et interdicti necnon irregularitatis, si quas forsitan occasione premissorum celebrando divina vel alias se illis immiscendo incurrerunt, aliisque penis et sentenciis huiusmodi saltem ex superhabundanti et ad cautelam auctoritate predicta absolvimus et super huiusmodi irregularitate dispensamus, districcius inhibentes Nicolao auditori et conservatori prefatis ac quibusvis aliis, ne videlicet Nicolaus auditor de cetero in causa ipsa ad cuiusvis instanciam ad ulteriora procedere vel ipse conservator et alii huiusmodi contra eosdem decanum et capitulum ecclesie Pragensis premissorum pretextu quicquam innovare seu attemptare quoquo modo presumant . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii pont. n. a. tercio decimo.

Orig. in arch. capituli eccl. Prag. sub. XXI, 4 exstat, cui hae notae inscriptae sunt: (supra plicam ad dext. PRO N. DE VINEA, JE. DE FERENTINO VII; (sub plica ad sin.) DEC., LXX, M. DE SANCTA AGATHA; (sub plica ad dext.) A. DE PORTUGRUARIO; a tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO]; et inferius: SOLUTA EST, N. B[ENEVENTO]. Registratum in R. Lat. 100 fol. 30a, ubi supra in marg. sin. adscriptum est: A. DE PORTUGRUARIO; in fine autem: N. LXX DE BENEVENTO. — a) ‚tum' reg. b) ‚concedere' reg. c) ‚Wienna' reg. d) ‚a' orig., reg. e) ‚ad instanciam' or., reg. — [1]) Cf. nr. 1777.

1883. *Cum Venceslao de Dubecz clerico Pragensis dioc. in decimo octavo vel circa aetatis suae anno constituto dispensatur, ut huiusmodi aetatis defectu non obstante beneficium ecclesiasticum curatum aut parrochialem ecclesiam recipere et ad omnes sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines se promoveri facere possit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Januarii 3.

R. Lat. 100 fol. 122b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1884. *Petrus Johannis Kossik ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii pont. a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Januarii 3.

R. Vat. 317 fol. 287b — In fine: (sin.) XX, M DE NOUARIA, JO. DE BONONIA; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) PRO A. PETRA A. CREYENBERGH.

1885. *Ludovicus de Alta Muta ord. fratrum minorum professor Litomyślensis* a) *dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Januarii pont. a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Januarii 5.

R. Vat. 317 fol. 287b — a) ‚Luthomuslen'. — In fine: (sin.) XX, M. DE SANCTA AGATHA, JO. DE BONONIA; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) JO. DE TREMOSNICZ.

1886. *Ad reparationem ecclesiae domus fratrum minorum in Budissin Misnensis dioc., quae per ignis voraginem miserabiliter destructa indigere videtur reparatione non modicum sumptuosa, manus adiutrices porrigentibus ipsamque ecclesiam certis diebus anni (qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitatibus bb. Nicolai, Martini ac Catherinae virginis) visitantibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, statuiturque tam praesentes litteras quam aliam quamcunque indulgentiam dictam ecclesiam visitantibus seu ad eius fabricam contribuentibus a sede apostolica forsan prius concessam perpetuo durare debere.*[1]) „*Licet is*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a tercio decimo.*“

Romae, 1402 Januarii 13.

R Lat. 100 fol. 159b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1878.

***1887**. Ecclesiam domus ordinis fratrum praedicatorum oppidi in Usk super Lužnicz[a]) Pragensis dioc. quae in honorem et sub vocabulo b. Dominici fundata existit, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, et in festivitatibus decollationis b. Johannis Baptistae et omnium apostolorum et evangelistarum ac b. Dominici, necnon ss. Michaelis archangeli, Viti, Venceslai, Adalberti, Thomae de Aquino, Petri martiris ac Martini, Nicolai, Gregorii, Jeronymi, Ambrosii, Augustini, necnon ss. Annae, Mariae Magdalenae, Catherinae, Margarethae, Dorotheae et Barbarae) visitantibus vel sermonem divinum ibidem audientibus septem annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Januarii 13.

R Lat. 100 fol. 88a — a) ‚Vsk super Luznycz'. — In fine: N. XXXX DE BENEVENTO

***1888**. Electio Annae Bartovnae in abbatissam monasterii s. Georgii Pragensis confirmatur.*

Romae, 1402 Januarii 16.

Bonifacius . . . . Anne Bartowne abbatisse monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti . . . . Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, que ecclesiarum et monasteriorum omnium et personarum illis presidencium favores et commoda respicere dinoscuntur. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim monasterio s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti per obitum quondam Gunegundis ipsius monasterii abbatisse, que extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecte in Chr. filie conventus dicti monasterii vocatis omnibus, que voluerunt, potuerunt et debuerunt eleccioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te, monialem dicti monasterii ordinem ipsum expresse professam et in etate legitima constitutam ac alias ad regimen ipsius monasterii sufficientem et ydoneam, in earum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt, tuque eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consenciens, eam a . . . . Wolframo archiepiscopo Pragensi obtinuisti auctoritate ordinaria confirmari,[1]) in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis, canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, quodque tu vigore eleccionis et confirmacionis huiusmodi possessionem administracionis bonorum dicti monasterii assecuta, administracionem eandem extunc exercuisti, prout exerces, pacifice et quiete. Cum autem a nonnullis asseratur provisionem dicti monasterii s. Georgii tempore eleccionis et confirmacionis huiusmodi fore disposicioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservatam aut eleccionem et confirmacionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, teque posse super provisione predicta imposterum molestari, nos intendentes personam tuam religionis zelo conspicuam, litterarum sciencia preditam, in spiritualibus providam et in temporalibus circumspectam aliisque multiplicum virtutum donis, prout fidedignorum testimoniis percepimus, insignitam favore prosequi gracioso . . . ., tuis in hac parte

supplicacionibus inclinati volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eleccio et confirmacio predicte et quecumque inde secuta perinde valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si de provisione dicti monasterii nulla per sedem apostolicam specialis aut alias generalis reservacio facta foret.[2]) Et insuper ea, que per te circa administracionem predictam alias rite gesta sunt, necnon eleccionem et confirmacionem predictas et quecumque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate predicta ex certa sciencia confirmamus .... Ac nichilominus pro maiori certitudine premissorum dicto monasterio s. Georgi de persona tua .... auctoritate predicta providemus teque illi preficimus in abbatissam .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Februarii a. tercio decimo.

R. Lat. 101 fol. 10[a] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: JAC. L DE TERAMO — [1]) Confirmationem Volframi archiepiscopi ddto. 1402 Dec. 29 (recte: 1401 Dec. 29.) vide ap. Emler, Lib. conf. VI. p. 60. [2]) Cf. nr. 1894.

1889. *Ecclesiam parrochialem b. Mariae virginis in Netin*[a]. *Olomucensis dioc. a primis vesperis usque ad secundos vesperos festivitatis assumptionis b. Mariae virginis et in ipsius festivitatis octava visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini consequuntur, et rectori dictae parrochialis ecclesiae ac octo presbyteris per eum deputandis indulgetur, ut confessiones Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa ad dictam ecclesiam confluentium auctoritate apostolica audire possint; praesentes autem litterae perpetuo valere debent et sub revocatione similium concessionum, si eam fieri contigerit, non comprehendi, nisi in eadem revocatione de ipsis specialis et nominatim expressa mentio habeatur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Februarii a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Januari 17.

R. Lat. 100 fol. 88[a] — [a]) ‚Nyetyn‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. C-DE BENEVENTO.

1890. *Ecclesiam monasterii Novae Cellae cisterciensis ord. Misnensis dioc. in festo annuntiationis b. Mariae virginis et in eius octava a primis vesperis usque ad secundos vesperos visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis dioc. in festo ascensionis domini consequuntur, et nihilominus abbati praedicti monasterii et octo aliis presbyteris per eum eligendis indulgetur, ut confessiones Christi fidelium huiusmodi indulgentiae causa confluentium auctoritate apostolica audire possint; praesentibus litteris perpetuo etiam post futuram similium concessionum revocationem duraturis. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Februarii a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Januarii 17.

R. Lat. 100 fol. 260[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. CXX DE BENEVENTO.

1891. *Monasterio Novae Cellae cisterciensis ord. Misnensis dioc., cuius fructus 60 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae oppidi in ‚Fortinberg-Besecow'* [1]) *et villae in ‚Funfechin-Welmenicz'* [2]) *praedictae dioc., quarum ius patronatus ad dictum monasterium pertinet, et quarum fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt. „Sacre religionis" „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Januarii 18.

R. Lat. 104 fol. 88[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. CXX DE BENEVENTO. — [1]) Beeskow oppidum in provincia Brandeburgensi. [2]) Funfeichen, Wellmitz villae in eadem provincia.

1892. *Nicolao Schoncromer reservantur aliquot beneficia ecclesiastica in Vratislaviensi et Vladislaviensi diocesibus vacantia vel vacatura.*

Romae, 1402 Januarii 27.

Bonifacius . . . . Nicolao Schoncromer canonico ecclesie Glogouie Superioris Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum vel duo seu tria aut plura ac tot . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, quod . . . . eorum fructus . . . . sexaginta marcarum argenti puri . . . . valorem annuum non excedant, eciam si ipsum unum vel ipsorum . . . . plurium aliquod curatum seu dignitas personatus vel officium cum cura vel sine cura in cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad . . . . quorumcunque . . . . collacionem . . . pertinencia, eciam si duo beneficiorum huiusmodi canonicatus et prebende ecclesiarum cathedralium fuerint, et una prebendarum huiusmodi in altera earundem ecclesiarum cathedralium maior fuerit . . . ., si quod vel si qua in Wratislauiensibus et Wladislauiensibus ecclesiis, civitatibus et diocesibus . . . . vacant ad presens, vel cum . . . . simul vel successive vacaverint . . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum . . . . quavis antelacionis prerogativa sub quibuscunque facultatibus . . . . concessis vel concedendis . . . . huiusmodi beneficia expectantibus, eciam illis, quibus per nos est concessum vel concedi contigerit in futurum, quod gracie expectative cum antelacionis prerogativa huiusmodi quibuscunque concesse vel imposterum concedende eis preiudicare non possint . . . ., preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus nobis actu domestice famulantibus te . . . . volumus anteferri . . . .; seu quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie s. Bartholomei Glogouie Superioris ac altare Corporis Christi sine cura situm in ecclesia s. Crucis Opuliensi obtines, et quod canonicatu et prebenda in capella s. Viti in castro Cruswicensi dicte [Vladislaviensis] diocesis, quorum possessionem adeptus fueras, spoliatus existis, quodque nos nuper tibi de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie s. Crucis, quorum omnium

fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, qui tunc certo modo vacare sperabantur, per nostras litteras graciose mandavimus provideri. Ceterum . . . . auctoritate apostolica . . . . declaramus per aliquas facultates, gracias et concessiones prefatis Wratislauiensi et Wladislauiensi episcopis aut quibuscunque aliis . . . ., dictis cardinalibus et familiaribus duntaxat exceptis, factas vel faciendas, quoad assecucionem . . . . beneficiorum huiusmodi . . . . tibi non intendisse nec intendere in aliquo derogare. Nos insuper tecum, ut duo beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si alterum ipsorum dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in cathedrali seu collegiata, et dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ... recipere et, quoad vixeris, insimul retinere illaque simul vel successive . . . . tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et . . . . alia . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, ... recipere et eciam, quoad vixeris, insimul retinere . . . . valeas, ... auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Februarii a. tercio decimo.

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Thelesino et . . . . officiali Wratislauiensi ac decano ecclesie Culmensis . . . .

R. Lat. 98 fol. 198b. Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N LX. LXII DE BENEVENTO.

1893. *Cum Elizabeth Bočkonis de Kunstadt dispensatur, ut defectu aetatis non obstante abbatissatum monasterii s. Georgii Pragensis recipere possit.*

Romae, 1402 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Elyzabeth . . . . nobilis viri Boczkonis de Podyebrad baronis baronie de Cunstat Olomucensis diocesis nate, moniali monasterii s. Anne Pragensis ordinis s. Augustini sub cura et secundum instituta fratrum ordinis predicatorum viventi . . . . Divina superveniens largitas nonnunquam sic in multis gracie sue dona diffundit, quod eciam in minoribus annis constituti, per suarum virtutum merita defectum supplentes etatis, ad dignitatum merentur culmina promoveri. Cum itaque nos monasterio s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti abbatisse ad presens solacio destituto[1] de persona tua, que, ut asseritur, es de nobili genere procreata, propter multiplicia dona virtutum, quibus personam eandem, prout fidedignorum testimoniis accepimus, altissimus insignivit, intendamus hodie providere, tuque paciaris in etate defectum, cum in vicesimo tercio tue etatis anno vel circiter constituta existas, nos sperantes, quod tu per huiusmodi tua merita et eciam tibi alia affutura suffragia, quibus circumfulta existis, eris eidem monasterio auctore domino multipliciter fructuosa, tecum, ut defectu huiusmodi necnon Lateranensis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus s. Anne Pragensis ord. s. Augustini, cuius monialis eciam expresse professa existis, et dicti s. Georgii monasteriorum dictique ordinis s. Benedicti contrariis . . . . nequaquam obstantibus, curam regi-

minis et administracionis dicti monasterii s. Georgii recipere illamque in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presencium dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 87[1] – Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XX DE BENEVENTO. – [1]) Cf. nr. 1888.

1894. *Elizabeth Bočkonis de Kunstadt monasterio s. Georgii Pragensi in abbatissam praeficitur.*

Romae, 1402 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Elizabeth Boczkonis abbatisse monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti . . . . Inter sollicitudines varias . . . . Dudum siquidem quondam Gundegundi abbatissa monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti regimini eiusdem monasterii presidente, nos . . . . provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam . . . . Postmodum vero prefato monasterio per ipsius Gundegundis abbatisse obitum, que in partibus illis debitum nature persolvit, abbatisse regimine destituto, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta . . . . posi deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam intra nos habuimus diligentem, demum ad te monialem monasterii s. Anne Pragensis ord. s. Augustini sub cura et secundum instituta fratrum ord. predicatorum viventem, ordinem ipsum expresse professam, de nobili genere et legitimo matrimonio procreatam, in vicesimo tercio tue etatis anno vel circiter constitutam,[1]) sufficientisque litterature . . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem monasterio s. Georgii, non obstante, quod tam s. Anne quam s. Georgii monasteria prefata diversorum ordinum existunt, et quod in s. Georgii alterius coloris et forme regularis habitus quam in s. Anne monasteriis huiusmodi geritur et habetur, auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatissam . . . .[2]) Volumus autem, quod exnunc illum gestes habitum, qui in dicto monasterio s. Georgii geritur et habetur, ipsiusque institutis regularibus te conformes, quodque in eodem monasterio s. Georgii solitus monialium et ministrorum numerus nullatenus minuatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. decimo tercio.

S i m i l i m o d o . . . priorisse et conventui monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti . . . .

S i m i l i m o d o . . . . archiepiscopo Pragensi . . . .

S i m i l i m o d o . . . . Wenceslao Romanorum regi illustri . . . . „Gracie divine“ . . .

R. Lat. 102 fol. 155[a] – Supra in marg sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XVI. VIII. VIII. VIII DE BENEVENTO. – [1]) Cf. nr. 1893. [2]) Cf. nr. 1888.

1895. *Elizabeth pridem auctoritate apostolica monasterio s. Georgii in castro Pragensi ord. Benedicti in abbatissam praefectae*[1]) *conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus benedictionis recipere possit, ita tamen, ut archiepiscopo Pragensi, cui dictum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum praeiudicium generetur.* „*Cum nos pridem*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Februarii 1.

R. Lat. 104 fol. 86. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1894.

1896. *Cum Catherina Bočkonis*[a]*, quae de nobili genere procreata existit et in monasterio monialium s. Francisci Pragensi ord. s. Clarae professionem regularem emisit, dispensatur, ut ad aliquod monasterium monialium cisterciensis vel s. Benedicti aut alterius cuiusvis regularis ordinis transire ibique regularem professionem emittere et officia, administrationes et dignitates etiam abbatissales recipere valeat.* „*Religionis zelus*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Februarii 1.

R. Lat. 104 fol. 86b. — a) ‚Boczkonis‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1897. *Pataviensi et Tudensi episcopis ac abbati monasterii Admontensis Salzburgensis dioc. mandatur, quatenus scabinos, officiales et oppidanos oppidi Weyer*[a]*) Pataviensis dioc. sub excommunicationis et interdicti sententiis moneant, ut infra duos menses magistro Simeoni de Perusio legum doctori, consistorii apostolici advocato, summam mille florenorum auri de camera in Romana curia tradant; dictus enim Simeon dudum pro quibusdam magnis et arduis negotiis ad regni Bohemiae et nonnullas alias partes apostolicae sedis nuntius destinatus, cum ad curiam rediret, a nonnullis armigeris prope praefatum oppidum Weyer in strata publica invasus, cum familiaribus suis captivatus, equis, bonis et pecunia spoliatus et ad summam mille florenorum auri damnificatus est; qui armigeri eadem die per oppidanos dicti oppidi Weyer capti et detenti, sed demum mandato officialium dicti oppidi cum equis et bonis huiusmodi relaxati et dimissi sunt.* „*Nuper non sine*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Februarii a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Februarii 7.

R. Lat. 103 fol. 196a. — a) ‚Wayer‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE CURIA. N. DE BENEVENTO.

1898. *Abbati monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses et decano ecclesiae Merseburgensis ac officiali Pragensi mandatur, quatenus a magistro Jeronymo Seidenberg*[a]) *decretorum doctore, capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditore, resignationes quorumcunque beneficiorum eius, quae ipse simpliciter vel ex causa permutationis resignare voluerit, recipiant, dictaque beneficia personis, quas ipse Jeronymus elegerit aut cum quibus ea permutare voluerit, illa autem beneficia, quae eaedem personae huiusmodi permutationis causa resignaverint, ipsi Jeronymo conferant; statuitur etiam praesentes litteras per concedentis obitum vel quemvis alium modum exspirare non debere. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Februarii a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Februarii 12.

R. Lat. 100 fol. 46[a] — a) ‚Seydenbergh' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N XXX DE BENEVENTO.

1899. *Cum Martino Carpressek dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1402 Februarii 13.

Bonifacius .... Martino Carpressek presbytero Pragensis diocesis .... Vite ac morum honestas .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tecum, qui dudum, dum adhuc in minoribus dumtaxat ordinibus esses constitutus et scolas puerorum in oppido Budina Pragensis diocesis frequentares, et quidam scolaris, socius tuus, a nonnullis laicis percuteretur, tu hoc audito, ut eundem socium a manibus laicorum huiusmodi eriperes, quodam gladio tecum assumpto ad locum percussionis huiusmodi festinans, eidem socio obviasti, ex cuius queremoniis, qualiter ab eisdem laicis graviter erat percussus, animo accenso, uno ex dictis laicis reperto, interrogasti, cur socium tuum taliter percussisset, qui de malo peracto non contentus, animo indignato tibi respondit, quod, si tu eum impedieris, prout socius tuus eum impediverat, similiter te percuteret, et continuo evagato gladio te offendere incepit, tuque pro defensione persone tue laborans, eidem laico ex quodam ictu casualiter duos digitos, reliquis, ut creditur, aliqualiter mutilatis, amputasti, ut premissis non obstantibus ad omnes eciam sacros ordines promoveri, citra tamen altaris ministerium, et beneficia ecclesiastica, eciam si curam haberent animarum, recipere et retinere posses, fuit auctoritate apostolica dispensatum, tuque post dispensacionem huiusmodi ad omnes sacros ordines huiusmodi te fecisti statutis a iure temporibus successive promoveri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu de premissis plurimum dolueris et doleas de presenti, cupiasque ex magno devocionis fervore in altaris ministerio virtutum domino perpetuo famulari, quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc tibi de oportune dispensacionis gracia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque .... tecum, ut in huiusmodi susceptis ordinibus eciam in altaris ministerio missas et alia divina officia celebrare libere et licite valeas ...., [dispensamus] .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Februarii a. tercio decimo.

R. Lat. 100 fol. 263[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N XXX DE BENEVENTO.

1900. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Johanni episcopo Litomyšlensi*[a]) *terminum faciendae solutionis eius communis et quatuor minutorum servitiorum camerae apostolicae usque ad festum nativitatis domini proxime futurum prorogat.* „*Rome [ap. S. Petrum] a. d. millesimo quadringentesimo secundo, indictione decima, die sexta decima mensis Februarii, pont. . . . . a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Februarii 16.

Oblig. et sol. 55 fol. 172[b] — [a]) ‚Luthomusleu'. — In fine: NICOLAUS.

1901. *Nicolaus Zarbrecht de Lemberg frater domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Lichtenau*[a]) *Vratislaviensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum kal. Marcii pont. n. a tercio decimo*“.

Romae, 1402 Martii 1.

R. Vat. 317 fol. 298[a] — [a]) ‚Lichtenow' — In fine: (sin.) XX. M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE BONONIA; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (dext.) JO. DE PEMPELUOIRDE.

1902. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in Nicolaum Zarbrecht de Lemberg fratrem domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Lichtenau*[a]) *Vratislaviensis dioc. ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse sedis apostolicae capellanus sit.* „*Rome etc., indictione decima, die quarta mensis Marcii, pont. a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Martii 4.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 89[b] — [a]) Lichtenaw' — Cf. nr. 1901 et 297.

1903. *Proconsulibus, consulibus et universitati oppidi Guben*[a]) *Misnensis dioc. indulgetur, ut statim post expulsionem vel recessum personarum quacunque auctoritate excommunicatarum vel ecclesiastico interdicto afflictarum de dicta urbe divina officia ibidem celebrari possint.* „*Humilibus et honestis*“ „*Rome ap S. Petrum septimo idus Marcii pont. n. a. tercio decimo*“.

Romae, 1402 Martii 9.

R. Lat. 100 fol. 127[a] — [a]) ‚Gobyn' — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO in fine: N L DE BENEVENTO.

1904. *Proconsulibus, consulibus et universitati oppidi Lukow Misnensis dioc. idem indulgetur. „Rome ap. S. Petrum septimo idus Marcii a. tercio.“*

Romae, 1402 Martii 9.

R. Lat. 100 fol. 127[b] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1905. *Proconsulibus, consulibus et universitati oppidi Beeskow[a]) Misnensis dioc. idem indulgetur. „Rome ap. S. Petrum septimo idus Marcii a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Martii 9.

R. Lat. 100 fol. 128[a] — [a]) ‚Besecow‘ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1906. *Johanni Conradi de Conradivilla[a]) providetur de parrochiali ecclesia in Auras[b]) Vratislaviensis dioc., cuius fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per liberam resignationem, quam de dicta ecclesia, eiusdem possessione non habita, magister Petrus Vannis de Esculo scriptor et familiaris apostolicus, camerae apostolicae clericus et litterarum apostolicarum abbreviator, apud sedem apostolicam sponte fecit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Marcii a. tercio decimo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et decano ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1402 Martii 9.

R. Lat. 103 fol. 59[a - a]) ‚Conradiuilla‘ [b]) ‚Awros‘ — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO.

1907. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Johannem Fabri surroget ad omne ius, quod Petro de [Nemoticz] in parrochiali ecclesia in Dürnholz et in canonicatu et praebenda ecclesiae s. Petri in Brunna tempore eius obitus competebat.*

Romae, 1402 Martii 11.

Bonifacius . . . magistro Leonardo de Sulmona capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Fabri clericus Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem, videlicet VIIII. kal. Novembris pont. n. anno duodecimo [1]), pro parte eiusdem Johannis nobis exposito, quod quondam Petrus dictus Durnholcz rector parrochialis in Durnholcz ac canonicus s. Petri in Brunna dicte diocesis ecclesiarum sue fame prodigus, sacrosanctis scripturis per eum coram te corporaliter tactis, cuiusdam manifesti periurii reatum nequiter perpetraverat, ac eciam quibusdam falsitatibus per eum commissis notorie irretitus et super hiis apud bonos et graves publice diffamatus extiterat, nos attendentes, quod veris existentibus supradictis

prefatus Petrus parrochiali ecclesia ac canonicatu et prebenda dicte ecclesie s. Petri, quos tunc temporis obtinebat, reddiderat se indignum, tibi nostris litteris dedimus in mandatis, ut, si dictus Johannes in forma iuris se inscribere ac eundem Petrum de premissis accusare vellet ac de facto se inscriberet et ipsum Petrum coram te accusaret de premissis, vocatis dicto Petro et aliis, qui forent evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum foret, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii appellacione remota decerneres, faciens quod decerneres per censuram ecclesiasticam firmiter observari, cum potestate citandi eundem Petrum extra Romanam curiam et ad partes, quociens opus esset, et nichilominus si per te eundem Petrum dictis parrochiali ecclesia ac canonicatu et prebenda sentencialiter privari et ab eis amoveri contingeret, parrochialem ecclesiam ac canonicatum et prebendam predictos . . . . prefato Johanni auctoritate prefata conferres et eciam assignares, ... eosdem parrochialem ecclesiam ac canonicatum et prebendam dispositioni apostolice ea vice specialiter reservando . . . .:[2] tuque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, postquam Johannes in forma iuris se inscripserat et prefatum Petrum super premissis coram te accusaverat, eundem Petrum per tuas certi tenoris litteras citari fecisti ad partes, ut coram te certo peremptorio competenti termino tunc expresso in palacio apostolico compareret ac se de premissis legitime expurgaret, processurus in causa huiusmodi ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sentenciam, prout existeret racionis. Cum autem . . . . prefatus Petrus in possessione eorumdem parrochialis ecclesie ac canonicatus et prebende existens, antequam execucio citacionis huiusmodi de dictis partibus reportaretur, extra eandem curiam extiterit vita functus dictique parrochialis ecclesia ac canonicatus et prebenda propterea vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Johannem . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Petro tempore huiusmodi obitus in eisdem parrochiali ecclesia ac canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat, ... auctoritate nostra surroges . . . ., ac nichilominus parrochialem ecclesiam ac canonicatum et prebendam predictos, quorum omnium fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate predicta conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. tercio decimo.

R. Lat. 99 fol. 144[a] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) 1401 Oct. 24. [2]) Cf. nr. 1911.

***1908**. Judicibus mandatur, quatenus Blasio [de Tescovicz] parrochialem ecclesiam in Bavorov conferant.*

Romae, 1402 Martii 11.

Bonifacius . . . . episcopo Adriensi et . . . . preposito ecclesie Olomucensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Blasius Jastrombeck rector parrochialis ecclesie in Rzewnicz

Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Blasii peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Baworow Olomucensis diocesis, quam quondam Andreas dictus Baworowsky . . . . obtinebat, per ipsius Andree obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ipse Blasius vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas nos dudum sibi de uno, duobus, tribus, quatuor vel pluribus ac tot . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis . . . ., consuetis clericis secularibus assignari, quod . . . . eorum fructus . . . . ad summam centum marcharum argenti annuatim ascenderent . . . ., ad quorumcunque . . . . collacionem . . . . pertinentibus, in civitatibus et diocesibus Wratislauiensibus, Poznaniensibus et Olomucensibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, graciose, provideri mandavimus, et per quas eciam eundem Blasium inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris continuis commensalibus nobis actu domestice famulantibus . . . beneficia huiusmodi expectantibus, anteferri voluimus, secumque dispensavimus, ut dignitatem vel personatum seu officium aut beneficium curatum . . . . recipere et una cum dicta ecclesia in Rzewnicz, quam tunc obtinebat, prout obtinet, usque ad triennium insimul retinere [posset], ita tamen, quod infra huiusmodi triennium alterum eorum pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo [compatibili] permutare teneretur, predictam ecclesiam in Baworow sic vacantem infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi fecit provideri. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam ecclesiam in Baworow, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Blasio . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Blasius, ut asserit, predictam ecclesiam in Rzewnicz et perpetuam vicariam sine cura in ecclesia Poznaniensi obtinet, et nuper sibi dictarum litterarum vigore de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie Poznaniensis necnon de altari s. Adalberti et Stephani ac Catherine virginis sito in eadem ecclesia Poznaniensi, tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus . . . . triginta quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, dicitur provisum extitisse . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. tercio decimo.

R. Lat. 99 fol. 118a - Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

1909. *Venceslao Thiem [de Nikolsburg] reservatur motu proprio parrochialis ecclesia in Bruck super Mura*[a] *Salzburgensis dioc., per promotionem Conradi electi Curcensis, qui eam obtinebat, vacatura, et dispensatur cum eo, ut dictam ecclesiam una cum parrochiali ecclesia in Linz*[b] *Pataviensis dioc. et aliis beneficiis ecclesiasticis, quoad vixerit, retinere valeat.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Marcii a. tercio decimo.*“ — *Simili modo episcopo Tudensi et decanis Pataviensis ac Omnium Sanctorum in Vienna Pataviensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1402 Martii 13.

R. Lat. 98 fol. 56[a] — [1] ‚Prueck super Muer' [b] ‚Lintz' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXXX. XXXXII DE BENEVENTO.

1910. *Omnibus, qui ostensioni partis pepli b. Mariae in ecclesia Litomyslensi interfuerint, indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1402 Martii 23.

Bonifacius . . . . universis . . . Licet cunctorum reliquie sanctorum sint a Christi fidelibus devocione pia et humili venerande, ille tamen, in quibus domini nostri Jesu Christi passionis et nostre redempcionis celebris recolitur memoria, precipue convenit devota et humili reminiscencia venerari. Sane pro parte . . . . Johannis episcopi et . . . . capituli Luthomuslensium peticio nobis nuper exhibita continebat, quod in ecclesia Luthomuslensi est quedam particula pepli sanguinati b. Marie virginis, ad quam quidem particulam Christi fidelis populus devocionem non modicam gerit, sed ingentem et eciam singularem. Nos igitur cupientes, quod huiusmodi particula, cum illam ostendi contigerit, a Christi fidelibus congruis honoribus veneretur, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi et penthecostes, necnon in nativitatis, annunciacionis, purificacionis, concepcionis, visitacionis et assumpcionis b. Marie virginis, ac nativitatis b. Johannis Baptiste et . . . . Petri et Pauli et aliorum apostolorum ac s. Victorini pontificis et martiris et ipsius ecclesie dedicacionis festivitatibus ac celebritate omnium sanctorum, necnon singulis diebus dominicis, quando predicta particula ostendetur, quociens huiusmodi ostensioni causa devocionis interfuerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis in domino misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus in suo robore duraturis. Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Aprilis anno tercio decimo.

R. Lat. 194 fol. 291[b] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

1911. *Judicibus mandatur, quatenus Laurentio Michaelis Mautter parrochialem ecclesiam in Dürnholz, iam antea ei reservatam, conferant.*

Romae, 1402 Martii 27.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . Patauiensis et . . Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis ecclesiarum decanis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Laurencius Michaelis Mautter clericus Olomucensis diocesis . . . . commendatur. . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem, videlicet tercio kal. Januarii proxime preteriti [1], ad audienciam nostram deducto, quod quondam Petrus Blasii rector parrochialis ecclesie in Durnholcz dicte diocesis sue fame prodigus nonnulla litteras apostolicas et instrumenta publica falsificaverat, et quod propterea . . .

Johannes episcopus Olomucensis dictum Petrum capi et carceribus fecerat mancipari, nos attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Petrus dicta ecclesia, quam tunc temporis obtinebat, reddiderat se indignum, ... preposito ecclesie in Brunna dicte diocesis, eius proprio nomine non expresso, per quasdam, [ut] vocatis dicto Petro et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis summarie inquireret auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi ita esse reperiret eundem Petrum prefata ecclesia dicta auctoritate sentencialiter privaret et amoveret realiter ab eadem, sicut de iure foret faciendum, ac nichilominus per quasdam alias nostras litteras eidem preposito mandavimus, ut, si dictum Petrum per ipsum dicta ecclesia privari et ab ea amoveri contingeret, ut prefertur, ecclesiam predictam, quam disposicioni apostolice ea vice specialiter reservando, decrevimus extunc irritum et inane, si secus . . . . contingeret attemptari, cum illam per huiusmodi privacionem et amocionem vacare contingeret, prefato Laurencio eadem auctoritate conferret et eciam assignaret . . . .[2]) Cum autem, sicut accepimus, prefatus Petrus postmodum, antequam prefatus prepositus ad execucionem dictarum litterarum processisset, extra Romanam curiam decesserit, et propterea ecclesia predicta vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Laurencio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Laurencius, ut asserit, super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis ac parrochiali ecclesia in Mawttarn Patauiensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, et quorum possessionem nondum adeptus est, in palacio apostolico noscitur litigare [1]) Volumus autem, quod dictus Laurencius, quamprimum vigore presencium predicte ecclesie in Durnholcz possessionem fuerit pacificam assecutus, eandem ecclesiam in Mawttarn, si eam interim evincat, ... omnino dimittere . . . teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 98 fol. 133b — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) 1401 Dec. 30. [2]) Cf. nr. 1907. [3]) Cf. nros. 1228 et 1565.

***1912**. Judicibus mandatur, quatenus Georgio Johannis parrochialem ecclesiam in Blížkov, quam ipse minus legitime est assecutus, postquam eam dimiserit, de novo conferant.*

Romae, 1402 Martii 30.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Scotorum in Wyenna Patauiensis diocesis et decano Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Geor[g]ius Johannis presbyter Pragensis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Hodie siquidem pro parte dicti Georgii nobis exposito, quod olim parrochiali ecclesia in Blizkow dicte dio-

cesis per resignacionem . . . Jacobi dicti Luczko tunc ipsius ecclesie, que de iure patronatus laicorum existit, rectoris, per eum de illa . . . . in manibus . . . nobilis viri Stossconis de Slawhosticz domicelli dicte diocesis, veri patroni ipsius ecclesie . . . extra Romanam curiam ex eo, quod idem Jacobus debitis multiplicibus cum parrochianis et vicinis ipsius ecclesie involutus nimiaque paupertate et egestate oppressus, quod nondum huiusmodi debita persolvisset, sed ad sue persone et familie sue sustentacionem eius non suppetebant facultates, apud eandem ecclesiam commode residere nequiverat, unde consequenter in ipsa ecclesia debitis defraudata obsequiis animarum cura negligebatur, ipsiusque parrochiani paciebantur in spiritualibus et temporalibus non modicum detrimentum, alias sponte et libere factam et per eundem patronum extra dictum curiam admissam, vacante, prefatus patronus dictum Georgium qui ad eiusdem Jacobi requisicionem cum eo, ne in obprobrium status clericalis mendicare cogeretur, taliter convenerat, quod, quamprimum idem Georgius eandem ecclesiam foret pacifice assecutus, singulis annis eidem Jacobo, quoad viveret, assignare seu assignari facere deberet quatuor sexagenas grossorum monete Pragensis, quodque, si ipsum Georgium Jacobum prefatum premori contingeret, extunc ipse Jacobus quandam aream agrorum in dicta diocesi consistentem et ad ipsum Georgium pertinentem post sui obitum usque ad finem vite sue possidere deberet, ad eandem ecclesiam sic vacantem alias infra tempus legitimum . . . . Nicolao dicto Puchnik vicario in spiritualibus . . . . Wolframi archiepiscopi Pragensis generali presentaverat, ipseque vicarius, habens ad hoc a prefato archiepiscopo, ut dicebat specialem potestatem, ipsum Georgium in rectorem dicte ecclesie, recepto ab ipso Georgio, quod inter eum et Jacobum prefatum in huiusmodi resignacione nulla interveniebat symoniaca pravitas, illicita paccio vel alias corruptela, per ipsum Georgium prestito iuramento, auctoritate ordinaria instituerat licet de facto, ipseque Georgius predictam ecclesiam pretextu presentacionis et institucionis predictarum pacifice assecutus, illam extunc detinuerat, prout detinebat, fructus percipiens ex eadem similiter de facto; ac subsequenter ipse Jacobus, postquam huiusmodi assignacionem ab ipso Georgio per nonnulla tempora perceperat, receptis ab eodem Georgio decem sexagenis grossorum dicte monete, ab huiusmodi assignacione per dictum Georgium ipsi Jacobo inantea facienda perpetuo et omnimode dictum Georgium quitaverat et liberaverat et huiusmodi aree per eum, ut premittitur, post ipsius Georgii obitum possidende cesserat possessioni, nos ipsum Georgium ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis, tam a iure quam ab homine eciam apostolica et ordinaria auctoritatibus promulgatis, necnon a reatu periurii huiusmodi, que premissorum occasione qualitercunque et quomodocunque incurrerat, auctoritate apostolica tenore aliarum litteratum nostrarum absolvimus, ipsumque Georgium in statum pristinum in omnibus et per omnia, in quo ante premissa existebat, restituimus, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam premissorum occasione per ipsum Georgium contractam penitus abolevimus, et voluimus, quod extunc dictam ecclesiam realiter et omnino dimitteret . . . . Cum autem secundum premissa dicta ecclesia adhuc ut prefertur vacet et vacare noscatur ad presens, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Georgio, postquam illam, ut prefertur,

dimiserit, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 98 fol. 99a — Supra in marg. sin. F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1913. *Declaratur solutionem decimarum de bonis monasterii Strahoviensis per personas, quibus illa ad tempus aliquod fuerunt concessa, factam vel imposterum faciendam dicto monasterio praeiudicare non debere, ipsumque monasterium ad solutionem decimarum de bonis, quae propriis sumptibus excolit, non teneri.*

Romae, 1402 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii Strahouiensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis . . . . Exigit honestas sacre religionis, sub qua devotum et sedulum exhibetis deo famulatum, ut peticionibus vestris, illis presertim, per quas vestre quieti et tranquillitati necnon monasterii vestri commoditatibus consulatur, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod, licet de agris, terris, alodiis, vineis aliisque possessionibus vestris, quas manibus aut sumptibus propriis excolitis, decimas hucusque minime persolveritis, tamen, quia interdum contigit pro necessitatibus vobis occurrentibus,[a]) quod aliqua ex alodiis, terris et possessionibus huiusmodi ecclesiasticis vel laicalibus personis sub annuis censibus vel pensionibus arrendare vel alias concedere vos oportuit, et huiusmodi persone ad solvendum decimas de eisdem alodiis, agris, bonis et possessionibus, per vos eis pro annuis censibus vel pensionibus huiusmodi, ut prefertur, arrendatis aut concessis, per rectores ecclesiarum, infra quorum limites alodia, bona, agri et possessiones huiusmodi existunt, compulsi, nonnulli eciam ex personis eisdem super solucione decimarum huiusmodi cum prefatis rectoribus litigando coram ordinariis locorum, in quibus dicta alodia, agri et possessiones ac bona fore noscuntur, per diffinitivas sentencias ad solucionem decimarum huiusmodi condemnati extiterunt, et deinde nonnulla ex alodiis, agris, possessionibus et bonis predictis ad ius et proprietatem dicti monasterii reducta fuerunt, dubitatis super solucione decimarum huiusmodi posse molestari. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis de oportune declaracionis gracia et alias super premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati auctoritate apostolica tenore presencium declaramus solucionem decimarum huiusmodi per easdem personas, ut prefertur, factam et in futurum forsan faciendam, necnon sentencias predictas contra eos latas et ferendas non debuisse aut debere vobis aut monasterio vestro in aliquo preiudicare. Et nihilominus vobis, ut nullo unquam tempore de agris, vineis, alodiis, bonis immobilibus et possessionibus vestris, que actu possidetis et in futurum dante domino iustis poteritis titulis adipisci, que propriis manibus vel sumptibus excolitis et excoletis imposterum, decimas cuiquam solvere minime teneamini, harum serie auctoritate apostolica indulgemus, districcius inhibentes rectoribus prefatis, ne vos aut monasterium vestrum contra presentis indulti tenorem perturbare aut vexare seu quo

quo modo molestare aut a vobis decimas huiusmodi petere vel exigere presumant, decernentes exnunc omnes processus et sentencias, quos vel quas contra presencium tenorem quavis auctoritate haberi contigerit seu eciam promulgari, irritos et inanes, constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 53b a) ‚incurrentibus' cod. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1914. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni Hoebit canonicatum et prebendam in ecclesia Budissinensi vacantes conferant.*

Romae, 1402 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . preposito Budissinensis ac . . decano s. Marie Erfordensis Misnensis et Maguntinensis diocesium ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Hoebit rector parrochialis ecclesie in Lamprechczwalde Misnensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim canonicatu et maiori prebenda ecclesie Budissinensis dicte diocesis, in qua maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, et quos quondam Johannes Punczels . . . obtinebat, per ipsius Johannis Punczels obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, ... Henricus Meckow et Johannes Richenbach canonici dicte ecclesie et alias prebendas in dicta ecclesia obtinentes, videlicet Henricus illam ut prefertur vacantem et Johannes Richenbach prefati illam, quam idem Henricus tunc temporis obtinebat, prebendas huiusmodi, dimissis eorum prebendis, prout iuxta consuetudinem dicte ecclesie poterant, infra tempus debitum occupaverunt et . . . . illas fuerunt pacifice assecuti, quodque subsequenter huiusmodi prebenda per dictum Johannem Richembach dimissa secundum premissa adhuc vacante, quondam Leo Henrici [de] Thachouia clericus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura . . . . ad collacionem . . . . episcopi Misnensis et . . . . prepositorum, decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum [Misnensis et Budissinensis] ecclesiarum . . . . pertinente, ... vacante vel vacaturo . . . , provideri mandavimus,[1]) canonicatum ut prefertur vacantem et prebendam per dictum Johannem Richembach dimissam huiusmodi infra tempus legitimum acceptavit et sibi provideri fecit de eisdem. Cum autem . . . . idem Leo, canonicatus et prebende per eum sic acceptorum possessione per eum non habita, extra dictam curiam extiterit vita functus . . . ., nos volentes dicto Johanni Hoebt . . . . graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatus et prebendam sic acceptatos predictos, quorum fructus . . . . decem marcharum argenti valorem . . . . annuum, ut ipse Johannes Hobit asserit, non excedunt, . . . eidem Johanni Hobt auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, dictam parrochialem eccle-

siam obtinet, et quod nos dudum sibi de altari Undecim milium virginum sito in parrochiali ecclesia in Pernis dicte diocesis, tunc certo modo vacante, cuiusque possessionem nondum habet, et quorum fructus . . . . octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 101 fol. 105ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Vide nr. 1135.

1915. *‚Proconsulibus, consulibus et universitati oppidi Glacouiensis*[1]*) Pragensis dioc. licentiam elargitur construendi unam cappellam sub vocabulo Omnium Sanctorum etc. et dotandi in loco, ubi furcae tenebantur etc., iure patronatus praedictis eorumque successoribus in perpetuum reservato etc. Datum Romae ap. S. Petrum 2. nonas Aprilis a. XIII.‘*

Romae, 1402 Aprilis 4.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro secundo de diversis formis a. XIII fol. 202ᵉ habetur in cod. Vaticano 6952 fol. 333ª — [1]) Klatovy (Klattau).

1916. *Praeposito Olomucensi mandatur, quatenus Vikerium abbatem monasterii Gradicensis ad remittendum monachis dicti monasterii certos reditus ‚pitantia‘ nuncupatos compellat.*

Romae, 1402 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie Olomucensis . . . . Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum conventus monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses premonstratensis ord. peticio continebat, quod, licet abbas dicti monasterii pro tempore existens teneatur et debeat singulis canonicis ipsius monasterii secundum regulam et consuetudinem ordinis et monasterii eorundem de vite necessariis competenter et decenter providere, et ex antiqua et hactenus pacifice observata consuetudine sit obtentum, quod ipse abbas sic pro tempore existens de certis redditibus ‚pitancia‘ communiter nuncupatis, ex fidelium largicione canonicis ipsius monasterii pro melioracione status et vite ipsorum ultra huiusmodi vite necessaria, que sic eis per abbatem pro tempore ministrantur, successive pie relictis et donatis se non habeat nec debeat intromittere, tamen dilectus filius Wykerus ipsius monasterii abbas modernus, qui sufficienter dives et habundans ad providendum predictis canonicis de huiusmodi vite necessariis, prout sui predecessores facere consueverant, existit, de huiusmodi redditibus ‚pitancia‘ nuncupatis contra dictam consuetudinem se intromisit et intromittit et sibi usurpavit et usurpat et eisdem spoliavit et spoliat canonicos antedictos, propter que fideles prefatis canonicis aliquid ex devocione pro pitancia dimittere vel legare proponentes, ut pluries ab eorum pio proposito retrahuntur et eciam retardantur in ipsorum canonicorum non modicum preiudicium et gravamen.

Quare pro parte dictorum conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc de oportuno remedio providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si vocatis dicto Wikero abbate et aliis qui fuerint evocandi, per summariam informacionem reppereris [premissa] fore vera, eundem Wikerum abbatem ad dimittendum predictis canonicis huiusmodi redditus ,pitanciar nuncupatos, tam presentes quam futuros, secundum quod consuetum fuerat, ac eciam ad satisfaciendum eis de perceptis per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellas, non permittens ipsos canonicos huiusmodi redditibus contra prefatam consuetudinem per dictum Wikerum vel quemcunque successorem suum, abbatem eiusdem monasterii, vel quemcunque alium spoliari aut super ipsis molestari seu quomodolibet impediri: et nichilominus legitimis per te super hiis habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 94b — Supra in marg. sin : F DE MONTEPOLICIANO: in fine: N. XII DE BENEVENTO.

1917. *Cum Henrico ‚Vncze de Dobyessen'* [1]) *clerico Pragensis dioc., in sexto decimo aetatis suae anno constituto, dispensatur, ut huiusmodi aetatis defectu non obstante unum beneficium ecclesiasticum curatum recipere valeat. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Aprilis 7.

R. Lat. 104 fol. 256b — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Dobšín in districtu Jičínensi?

1918. *Judicibus mandatur, quatenus Laurentio de Vyzovicz parrochialem ecclesiam in Želichovicz, ad quam episcopi Olomucensis vicario fuit praesentatus, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1402 Aprilis 8.

Bonifacius . . . episcopo Thelesino et . . . . in Welegrad ac . . Scotorum in Wyenna Olomucensis et Patauiensis diocesium monasteriorum abbatibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Laurencius Rankonis de Wyzouicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Laurencii peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Zelychowicz eiusdem diocesis per liberam resignacionem . . . . Johannis ultimi ipsius ecclesie rectoris, per eum de illa . . . . coram certis notario et testibus extra Romanam curiam sponte factam, vacante, ... Nicolaus abbas et conventus monasterii in Smylnhaym alias Wysouicz cisterciensis ord. dicte diocesis, veri patroni dicte ecclesie, ... prefatum Laurencium ad dictam ecclesiam sic vacantem . . . . Sulikoni . . . . Johannis episcopi Olomucensis vicario in spi-

ritualibus generali in rectorem dicte ecclesie presentarunt. Cum autem, sicut accepimus, prefata ecclesia adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Laurencio auctoritate nostra conferre et assignare curetis .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 98 fol. 27ᵃ. Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1919. *Magistro Bartholomaeo Francisci praeposito ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notario apostolico, officium cancellariae apostolicae regenti, mandatur, quatenus resignationem parrochialis ecclesiae in Pravlor*[a] *Olomucensis dioc., quam eius rector Theodericus apud sedem apostolicam sponte facere proponit, recipiat, ipsamque ecclesiam, cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, Johanni de Radonín*[b] *presbytero dictae dioc. conferat. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Aprilis 8.

R. Lat. 98 fol. 137ᵃ. — a) ‚Prawlow' b) ‚Radonyn'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1920. *Judicibus mandatur, quatenus Mathaeo de Sternberg parrochialem ecclesiam in Holešov, quam adhuc illegitime detinebat, postquam eam dimiserit, de novo conferant.*

Romae, 1402 Aprilis 12.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... decano ecclesie Olomucensis ac officiali Olomucensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Mathussius de Sternberg alias de Lokow (*sic*) dyaconus Olomucensis diocesis .... commendatur .... nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Hodie siquidem pro parte dicti Mathussii nobis exposito, quod olim parrochiali ecclesia in Holessow dicte diocesis tunc per obitum quondam Nicolai ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, idem Mathussius ecclesiam ipsam auctoritate ordinaria sibi collatam assecutus, illam extunc per annum et amplius pacifice possidens, impedimento cessante legitimo, nullaque super hoc canonica dispensacione obtenta, ad sacerdocium non promotus, detinuerat, prout detinebat fructus percipiendo ex eadem licet de facto, nos omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam auctoritate apostolica per alias nostras litteras penitus abolevimus ac voluimus, quod predictam ecclesiam extunc realiter et omnino dimitteret .... Cum itaque secundum premissa dicta ecclesia vacaverit et, sicut accepimus, vacet ad presens, nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... viginti quinque marcharum argenti puri

. . . . valorem annuum . . . . non excedunt. . . . . prefato Mathussio, postquam illam dimiserit, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Mathussius, ut asserit, canonicatum et prebendam ac custodiam ecclesie Olomucensis, que quidem custodia simplex officium sine cura existit, et quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim cum eodem Mathussio, ut racione ecclesie huiusmodi infra quinquennium a data presencium computandum ad sacerdocium se facere promoveri minime teneatur, ... auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. tercio decimo.

R. Lat. 98 fol. 100a. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine N. XXX DE BENEVENTO.

1921 *Priorissae monasterii s. Catherinae Olomucensis monialium ord. s. Augustini sub cura et secundum instituta ordinis fratrum praedicatorum viventium indulgetur, ut ipsa dictum monasterium pro eius negotiis prosequendis cum duabus aut tribus vel pluribus monialibus sine diocesani loci aut magistri generalis dicti ordinis licentia exire aut duas vel plures moniales emittere possit. „Ordinis vestri sacra religio" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Aprilis a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Aprilis 12.

R. Lat. 104 fol. 57a — Supra in marg sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XX DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XIII p 190. nr. 180.

1922 *Praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus Johannem de Dubá absolvat ab excommunicationis et aliis sententiis, quas occasione mortis Nicolai dicti Muška presbyteri per eum incarcerati incurrit.*

Romae, 1402 Aprilis 19.

Bonifacius . . . preposito [ecclesie] s. Egidii Pragensis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte nobilis viri Johannis de Duba domicelli Pragensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim parrochiali ecclesia ville Wytheyna[1]) dicte diocesis certo modo tunc vacante, quondam Nicolaus dictus Muska presbyter eandem ecclesiam et eius possessionem manu violenta et armata, ipsius Johannis, veri patroni ipsius ecclesie . . . . licencia non petita, intrasset illamque occupavit et detineret, prefatus Johannes eundem Nicolaum accessit dicens, quare dictam ecclesiam eo irrequisito occupasset: qui respondit, quod ad ipsam ecclesiam per alium pinguius ius presentandi habentem presentatus existeret, subiungens, quod non curaret ipsum Johannem nec eius vellet habere consensum, sed, si eum impediret, alia ipsum cum eo pati oporteret; et subsequenter de hiis non contentus, sed mala malis accumulans, ipsum exponentem suosque vasallos et censuales quampluries citari et excommunicari faciendo molestavit. Quare secundario idem Johannes dicto Nicolao supplicando

dixit, quod contentaretur suo iure et ostenderet illud coram iudice ordinario et eum taliter non gravaret; qui quidem Nicolaus, ut eundem Johannem eo gravius ad iram provocaret, in hec verba vel similia respondit in effectu: quod sive ipse Johannes vellet sive nollet, in eius despectum ipsam ecclesiam possideret faceretque sibi illa mala et dampna, que predecessoribus suis nunquam facta fuissent. Cui demum dictus Johannes eum monendo dixit, quod contentaretur iure suo et ab huiusmodi iniuriis desisteret, alioquin eum in suum castrum, quod ibidem prope situatum habebat, transmitteret incarcerandum, nec dimitteret eum, nisi huiusmodi rei causa sopita; ipsoque Nicolao a suis nefandis et iniuriosis verbis et operibus non desistente, postquam eundem Nicolaum apprehendi et ad dictum castrum transmitti et in eo recludi fecisset, dictus Johannes eum post triduum vel circa personaliter accedens dixit, quod adhuc contentaretur iure suo ipsumque castrum exiret et ius suum coram ordinario prosequeretur ab ipsisque iniuriis desisteret. Cui dictus Nicolaus respondens ait, quod non, sed pocius mori optaret. Quare sic in huiusmodi castro reclusus remanens, post aliquos dies, nescitur, an ex infirmitate sibi accidente vel ex dicta capcione aut alio quocunque modo, diem suum clausit extremum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Johannes alias in morte dicti Nicolai culpabilis non extiterit ac de premissis doleat ab intimis cupiatque ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis, quas premissorum occasione forsitan incurrit, absolvi et ad ecclesie redire unitatem, quare pro parte dicti Johannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi et statui suo in premissis de oportune dispensacionis gracia ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis huiusmodi et alias de oportuno remedio .... dignaremur. Nos itaque .... de premissis certam noticiam non habentes ...., discrecioni tue .... committimus et mandamus, quatenus, si per summariam informacionem per te super hiis habendam premissa inveneris veritate fulciri, dictusque Johannes aliter in morte dicti Nicolai culpabilis non extiterit, eundem Johannem, si hoc humiliter pecierit, ab excommunicacionis et aliis sentenciis et penis tam a iure quam ab homine prolatis, quas premissorum occasione incurrisse dinoscitur, absolvas auctoritate nostra in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ipsumque Johannem suosque posteros, heredes et successores ab eo descendentes ad honores, famam atque bona presencia et futura, habita et habenda, cuiuslibet infamie nota sive macula per te penitus abolita, in omnibus et per omnia restituas, prout et quemadmodum existerent, ac si huiusmodi casus sive mors dicti Nicolai in aliquo minime intervenisset, premissis necnon constitucionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Maii pont. n. a. tercio decimo.

R. Vat. 320 fol. 27a — In fine: (sin.) XXX, M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE BONONIA; (med.) F. DE MONTEPOLICIANO; (dext.) PRO MARTINO W. BONINC — [1]) Vidim in districtu Dubá? In Vidim parrochialis ecclesia de iure patronatus dominorum de Dubá corumque castrum fuit.

1923. *Johanni episcopo Vladislaviensi providetur de canonicatu et prebenda ecclesiae s. Crucis Opoliensis.*

Romae, 1402 Aprilis 20.

Bonifacius . . . . Johanni episcopo Wladislauiensi . . . . Personam tuam . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque per assecucionem pacificam dignitatum, personatuum vel officiorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum ac inantea conferendorum eisdem, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . contingeret attemptari. Et deinde canonicatu et prebenda ecclesie s. Crucis Opuliensis Wratislauiensis diocesis ex eo vacantibus, quod tu eosdem canonicatum et prebendam ex concessione et dispensacione dicte sedis tunc obtinens, archidiaconatum eiusdem ecclesie tunc certo modo vacantem, auctoritate apostolica tibi collatum, fuisti pacifice assecutus, nos de ipsis canonicatu et prebenda sic vacantibus et inantea disposicioni apostolice reservatis . . . . Nicolao Schoncromer presbytero dicte diocesis graciose concessimus provideri.[1]) Cum itaque ipse Nicolaus dicte concessionis gracie, litteris apostolicis super ea non confectis, ac omni iuri sibi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competenti coram certis notario publico et testibus apud sedem predictam sponte cesserit . . . ., nos resignacionem[a]) huiusmodi ratam habentes et gratam ac volentes tibi pro statu tuo decencius tenendo de alicuius subvencionis auxilio providere, ... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . . Nos enim tibi, ut dictos canonicatum et prebendam recipere et una cum Wladislauiensi, cui prees, et Culmensi ecclesiis, quam obtines in commendam, ac aliis dignitatibus, personatibus, administracionibus, officiis, commendis necnon beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus, cum cura et sine cura, que ex concessione et dispensacione sedis predicte obtines, quoad vixeris, retinere . . . . valeas . . . ., auctoritate predicta . . . . concedimus per presentes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Maii a. tercio decimo.

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Thelesino et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 101 fol. 61[a] — [a]) ‚reservacionem' cod. — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine N. XX. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1892.

1924. *Conradus archiepiscopus Nicosiensis, camerarius apostolicus, Johanni episcopo Olomucensi terminum faciendae solutionis eius communis et quatuor minutorum servitiorum camerae apostolicae usque ad festum resurrectionis dominicae proxime futurum prorogat. „Rome die vicesima tercia mensis Aprilis, X indiccione, pont. a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Aprilis 23.

Oblig. et sol. 55 fol. 182ᵃ — In fine: JO. MANCUS; FL. III GR. III, N. DE DAMMIANO.

1925. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Laurentio de Vyzovicz neque Jaroslao de Zahnačovicz in parrochiali ecclesia in Želichovicz ius competere, ecclesiam ipsam dicto Laurentio conferat.*

Romae, 1402 Aprilis 23.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenberg capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Laurencius Rankonis de Wyzowicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Laurencii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Jaroslaum de Zahnassowicz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Zelichowicz dicte diocesis, quam, tunc ex eo vacantem, quod . . . . Johannes rector parrochialis ecclesie in Tyczin eiusdem diocesis, tunc dictam ecclesiam in Zelichowicz obtinens, eandem ecclesiam in Tyczyn tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterat pacifice assecutus, Laurencius se per veros patronos ipsius ecclesie in Zelichowicz . . . . presentatum fuisse, ipsamque ecclesiam in Zelichowicz huiusmodi presentacionis vigore sibi deberi, et se in eandem instituendum fore,[1]) dictumque Jaroslaum se presentacioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus presentacio huiusmodi debitum sortiretur effectum, et quominus ipse Laurencius in rectorem ipsius ecclesie in Zelichowicz institueretur, ac ipsam ecclesiam in Zelichowicz occupasse et detinuisse ac detinere occupatam indebite, Jaroslaus vero predicti eandem ecclesiam in Zelichowicz ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis: nos causam huiusmodi ad instanciam dicti Laurencii tibi . . . . commisimus . . . .. non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad curiam predictam legitime devoluta . . . . non esset, tuque in eadem causa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . idem Laurencius dubitet huiusmodi presentacionem infra tempus legitimum factam non fuisse, ac a nonnullis asseratur neutrum dictorum Laurencii et Jaroslai in ipsa ecclesia in Zelichowicz seu ad eam ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Laurencii et Jaroslai in dicta ecclesia in Zelichowicz seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam in Zelichowicz, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, prefato Laurencio auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Maii a. tercio decimo.

R. Lat. 28 fol. 196ᵃ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1918.

1926. *Francisco s. Susannae cardinali providetur de praepositura ecclesiae Northusensis, quam ipse pro archidiaconatu s. Mariae in Maiore Glogovia permutavit.*

Romae, 1402 Aprilis 25.

Bonifacius .... Francisco tituli s. Susanne presbytero cardinali .... Apostolice sedis circumspecta .... Cum itaque hodie tu archidiaconatum s. Marie virginis in Maiori Glogouia, quem ex concessione et dispensacione sedis apostolice tunc temporis obtinebas, et .... Johannes Wyngas de Wratislauia preposituram s. Crucis Northusensis Wratislauiensis et Maguntinensis diocesium ecclesiarum, quam eciam tunc temporis obtinebat,[1]) desiderantes illos .... invicem permutare, in manibus nostris ex causa permutacionis huiusmodi libere resignaveritis, nosque resignaciones huiusmodi duxerimus admittendas, nos .... prepositurum predictam, cuius fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus .... Nos enim tecum, ut dictam prepositurum recipere et una cum ecclesia s. Susanne, que titulus tui cardinalatus existit, ac .... aliis beneficiis ecclesiasticis .... retinere libere et licite valeas .... auctoritate predicta .... dispensamus. Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Maii a. tercio decimo.

Simili modo.... episcopo Lucerino et .... abbati monasterii in Ilueld ac decano ecclesie s. Petri Jecheburgensis Maguntinensis diocesis ....

R. Lat. 103 fol. 250a — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1238.

1927. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii b. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Petro Crast canonico ecclesiae s. Pauli Bacsiensis*[a]) *Colocensis dioc., magistro in artibus, parrochialem ecclesiam in Schlaup*[b]) *Vratislaviensis dioc., cuius fructus 14 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Thomae Geyton [de Legnicz] extra Romanam curiam defuncti, conferant; non obstante, quod dudum eidem Petro de canonicatu et praebenda ecclesiae s. Pauli praedictae, quorum fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, et quorum possessione spoliatus existit, auctoritate ordinaria fuit provisum „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum sexto nonas Maii a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Maii 2.

R. Lat. 98 fol. 136a — a) ‚Bacien'. b) ‚Slawp' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1928. *‚Ad perpetuam rei memoriam. Indultum celebrandi divina officia tempore interdicti in ecclesia s. Petri oppidi in Budissin Misnensis diocesis. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. XIII.'*

Romae, 1402 Maii 7.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro secundo de diversis formis a. XIII fol. 38" in cod. Vaticano fol. 331b habetur.

1929. *Franciscus Gregorii de Trebnicz ord. cisterciensis professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum septimo idus Maii pont. n. a. tercio decimo".*

Romae, 1402 Maii 9.

R. Vat. 317 fol. 322b. — In fine: XX, M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE BONONIA; (med.) JO. DE BONONIA; (dext.) P. DELAPRESSA.

1930. *Judicibus mandatur, quatenus capellam s. Martae extra muros Budissinenses, si eam vacare reppererint, Johanni Gotfridi conferant.*

Romae, 1402 Maii 11.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Veteris Celle et maioris Misnensis ac b. Marie Wurczinensis Misnensis diocesis decanis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Gotfridi perpetuus vicarius in ecclesia oppidi Budissinensis Misnensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur.... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod, cum olim ipse per .... proconsules, magistrum oppidanorum, consules et scabinos dicti oppidi, asserentes se veros patronos capelle s. Marthe site extra muros eiusdem oppidi et existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi rectorem ad dictam capellam per eosdem proconsules, consules, magistrum oppidanorum et scabinos de novo fundatam et sufficienter dotatam, ... Thymoni episcopo Misnensi infra tempus legitimum presentatus et per eundem episcopum auctoritate ordinaria institutus fuisset canonice, et antequam ipse Johannes possessionem eiusdem capelle assequeretur, ... Johannes Drenczk, qui se gerit pro clerico Lubucensis diocesis, auxilio et favore dicti episcopi suffultus, huiusmodi presentacioni et institucioni [se] opponens, in eadem capella se intrusisset illamque occupasset et detinuisset ac detineret, prout detinet, indebite occupatam, et propterea inter dictos Johannem Gotfridi et Johannem Drenczk super eadem capella orta fuisset materia dissensionis, tandem Johannes Gotfridi et Johannes Drenczk prefati, volentes parcere laboribus et expensis, pro bono pacis et concordia super premissis in certos arbitros, arbitratores et amicabiles compositores tunc expressos, a quibus seu eorum laudo appellare non deberent, sub certa forma et penis eciam tunc expressis compromittere curarunt licet de facto, iidemque arbitri, huiusmodi arbitrio in se sponte suscepto, et eius forma non servata, iniquum contra dictum Johannem Gotfridi tulerunt arbitrium eciam de facto, cui per eundem Johannem Gotfridi pro evitanda pena in dicto compromisso adiecta non fuit contradictum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Johannes Drenczk ad dictam capellam per dictos patronos nec presentatus nec eciam per quemquam institutus sit, ipseque Johannes Gotfridi dubitet presentacionem et institucionem predictas . . . . viribus non sub-

sistere . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . ., si vocatis dicto Johanne Drenczk et aliis, qui fuerint evocandi, capellam predictam adhuc vacare reppereritis, eandem capellam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni Gotfridi . . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Johannes Gotfridi, ut asserit, perpetuam vicariam in dicta ecclesia Budissinensi, cuius fructus . . . sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Mai a. tercio decimo.

R. Lat. 28 fol. 295 — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine. N. XXII DE BENEVENTO.

1931. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in fratrem Franciscum Gregorii de Trebnicz*[a]) *ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus sedis apostolicae existat. „Rome ap. S. Petrum a. dom. millesimo quadringentesimo secundo, indictione X. die undecima mensis Maii a. tercio decimo.*

Romae, 1402 Maii 11.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 90 — a) ‚Trewnicz' — [1]) Cf. nr 1929 et 297.

1932. *Erectio domus eleemosinariae apud monasterium Montis s. Mariae in Glatz confirmatur et pauperibus scholaribus in eadem domo degentibus conceditur, ut magistrum instructorem habere possint.*

Romae, 1402 Maii 27.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Hiis, que divini cultus augmentum et religiosarum personarum aliorumque scolarium et clericorum commoditates respiciunt, libenter annuimus, et eciam cum ab aliis ordinata sunt et a nobis petitur, ut illibata consistant, apostolici muniminis adicimus firmitatem. Sane peticio pro parte . . . . prepositi et conventus monasterii Montis s. Marie in Glaz per prepositum soliti gubernari [ord.] s. Augustini Pragensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod extra septa dicti monasterii fuit ab olim quedam domus, que ‚domus elimosinaria' nuncupatur, eidem monasterio contigua, erecta et edificata ac ab oppidanis oppidi in Glaz dicte diocesis et nonnullis aliis Christi fidelibus de bonis eis a deo collatis pro vestitu pauperum scolarium, in eadem domo pro tempore degencium et in ecclesia dicti monasterii, cum ibi misse et alia divina officia celebrantur, huiusmodi celebrantibus deserviencium, competenter dotata extitit. Quare pro parte dictorum prepositi et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ereccioni, edificacioni et dotacioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adiicere, et quod dicti scolares in eadem domo pro tempore morantes, sive religiosi sive seculares fuerint, magistrum instruc-

torem, qui eos tam in sciencia quam eciam in disciplinis scolasticis et bonis moribus instruat et informet, iuxta provisionem ipsorum prepositi et conventus habere possint, concedere . . . . dignaremur. Nos itaque . . . . ereccionem et edificacionem ac dotacionem huiusmodi, eciam si in eis consensus minime intervenerit superioris, ratas habentes et gratas, eas et omnia inde secuta auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; et nichilominus, ut huiusmodi scolares in eadem domo vel monasterio prefato pro tempore degentes magistrum sive instructorem huiusmodi, qui eos in sciencia ac scolastica disciplina et bonis moribus instruat et informet, iuxta provisionem dictorum prepositi et conventus de cetero habere possint, eadem auctoritate . . . . indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Junii a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 183a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1933. *Cum Mauritio de Budynė dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1402 Maii 30.

Bonifacius . . . . Mauricio Vitconis de Budina ordinis fratrum heremitarum s. Augustini professori . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod, cum olim tu in stallo chori ecclesie domus b. Marie in Gewiczka ordinis fratrum heremitarum s. Augustini Olomucensis diocesis quosdam cultellum ‚temperatorium penne' communiter nuncupatum et pennam in tuis tenens manibus, scripturam cuiusdam quaterni tunc in dicto stallo existentis correxisses, ac quondam Cristianus subdiaconus, professor eiusdem ordinis, a tergo tuo stans iocando dictum quaternum de manibus tuis extraxisset, tu nulla malicia ad hoc apposita, sed ex inadvertencia manu sinistra, in qua huiusmodi temperatorium tenebas, credens huiusmodi iocantem cum manubrio ipsius temperatorii tangere, preter tuam intencionem casualiter cum ferro dicti temperatorii venam dextri brachii ipsius subdiaconi vulnerasti, de quo idem subdiaconus mala cura per eum habita de huiusmodi vulnere, quod alias, ut asseris, iudicio medicorum non letale, sed curabile erat, in gravem incidit infirmitatem, et tandem assumptis ecclesie sacramentis confessus fuit, quod, si eum ex ipsa infirmitate decedere contingeret, te in hoc aliquatenus culpabilem minime fuisse; ac demum idem subdiaconus diem clausit extremum, de quo tu, sicut asseris, ab intimis multum doluisti et doles. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu in morte dicti subdiaconi alias culpabilis non extiteris, neque verisimiliter credatur ipsum subdiaconum ex dicto vulnere, sed ex huiusmodi sua mala cura expirasse, tuque ex magno devocionis fervore cupias, sicut asseris, in susceptis ordinibus ministrare et ad presbyteratus ordinem promoveri ac domino perpetue famulari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut te ab excommunicacionis sentencia, si quam propter premissa incurristi, absolvere et tecum, ut in huiusmodi susceptis ordinibus ministrare ac ad huiusmodi presbyteratus ordinem promoveri licite valeas, dispensare . . . . dignaremur. Nos igitur

. . . . te ab huiusmodi excommunicacionis sentencia, si quam premissorum occasione quomodolibet incurristi, auctoritate apostolica . . . . absolvimus, et nichilominus tecum, quod in huiusmodi susceptis ordinibus ministrare et ad dictum presbyteratus ordinem promoveri libere ac licite possis, si aliud tibi canonicum non obsistat, predicta auctoritate dispensamus, teque in statum pristinum restituimus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Junii a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 134ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

1934. *Balthasari*[a] *Nymant de Sprottavia*[b] *reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis aut quorumcunque seu quarumcunque aliorum collationem pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod in ecclesia seu civitate aut diocesi Vratislaviensibus vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod altare ss. Mariae et Johannis Baptistae ac Johannis Evangelistae necnon Barbarae et Dorotheae situm in capella b. Mariae prope collegiatam ecclesiam Maioris Glogoviae, quod sine cura est, noscitur obtinere. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Junii a. tercio decimo“. — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito ecclesiae b. Mariae Maioris Glogoviae Vratislaviensis dioc. ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1402 Junii 12.

R. Lat. 98 fol. 177ª — [a]. Baltizaro [b]) Sprotania — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine. N. XI. XIII DE BENEVENTO.

1935 *Nicolao de Volaria familiari apostolico providetur motu proprio de decanatu ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis, cuius fructus 70 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per liberam resignationem Vilhelmi Hase in manibus magistri Bartholomaei Francisci officium cancellariae apostolicae regentis apud sedem apostolicam factam; dispensatur etiam cum dicto Nicolao, ut eundem decanatum una cum quibuscunque aliis beneficiis ecclesiasticis, quae obtinet aut exspectat, retinere possit. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Julii a. tercio decimo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et Pragensi et Vratislaviensi officialibus.*

Romae, 1402 Junii 15.

R. Lat. 101 fol. 154ª — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO. JAC. DE TERAMO.

1936. *Episcopo Patauiensi mandatur, quatenus Dĕpoldum de Bernarticz auctoritate apostolica monasterio Plagensi in abbatem praefectum, si eum dictum monasterium violenter invasisse inuenerit, regimine eiusdem monasterii sententialiter privet.*

Romae, 1402 Junii 18.

Bonifacius . . . . episcopo Patauiensi . . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod, cum dudum monasterio Plagensi per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis tunc prepositi regimine destituto de persona Dyepoldi de Bernhorticz canonici monasterii de Mileps dicti ordinis Pragensis diocesis apostolica auctoritate provisum fuisset,[1]) idem Dyepoldus, antequam huiusmodi provisionis vigore possessionem regiminis et administracionem bonorum eiusdem monasterii Plagensis adipisceretur, nescitur, quo spiritu ductus, quadam die associatis sibi quibusdam suis in hac parte complicibus, videlicet certa gencium armigerarum multitudine, monasterium Plagense prefatum cum bombardis, securibus et balistis ac aliis armis offensibilibus manu armata hostiliter invasit, et demum portis eiusdem monasterii Plagensis violenter effractis, monasterium ipsum intravit ac vasa reliquiarum et alia preciosa bona mobilia ibidem reperta in predam secum asportavit, et quod detestabilius est, ipse Dyepoldus cum complicibus huiusmodi in dilectos filios Fridricum de Kapolicz et Johannem de Brachaticz ac Jacobum de Puldwenis[2]) et quondam Nicolaum de Chrumbnaw canonicos dicti monasterii Plagensis, in sacerdocio constitutos, manus iniecit ausu sacrilego dei timore postposito temere violentas, illosque crudeliter captivavit et captivos secum abduxit, nedum crimen sacrilegii committendo, verum eciam maioris excommunicacionis et alias sentencias et penas tam a iure quam ab homine in talia perpetrantes promulgatas damnabiliter incurrendo; et nichilominus prefatus Dyepoldus in reprobum sensum datus, nulla super premissis dispensacione seu habilitacione canonica obtenta, sed huiusmodi sentenciis sic ligatus, divinis se immiscuit officiis illaque publice celebravit seu verius profanavit in grave anime sue dispendium, regularis discipline contemptum et scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis idem Dyepoldus regimine et administracione predictis, quorum possessionem nondum est adeptus, ac omni iure, quod sibi in illis seu ad ea quomodolibet competebat aut competere poterat, reddidit se indignum, ac super hiis, ne talia crimina et excessus transeant impunita, providere volentes, fraternitati tue . . . . mandamus, quatinus vocatis dicto Dyepoldo et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii inquiras auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi inveneris premissa fore vera, eundem Dyepoldum predictis regimine et administracione huiusmodi auctoritate nostra sentencialiter prives et amoveas realiter ab eisdem, prout de iure fuerit faciendum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Julii a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 220ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 954, 972 et 987. [2]) Budweis?

1937. *Mauritio Johannis facultas visitandi et corrigendi prioratus et loca ord. s. Augustini de poenitentia beatorum martirum ubilibet constituta ad quinquennium conceditur.*

Romae, 1402 Junii 28.

Bonifacius . . . . Mauricio Johannis fratri prioratus s. Crucis Pragensis ord. s. Augustini de penitencia beatorum martirum, magistro in sacra theologia . . . Dum incumbencia nobis onera, quibus assidue premimur, intenta consideracione pensamus et inbecillitatis nostre prospicimus imperfectum, quo nequimus exolvere circa singula per nos ipsos debitum apostolice servitutis, illos in partem nostre sollicitudinis iuxta qualitatem urgencium agendorum libenter assumimus, qui preeminent litterarum scienciis et virtutum industria, morum quoque probitate clarescunt, ut sperati fructus de communicatis per nos sibi laboribus eorum solerti ministerio in dei ecclesia colligantur. Cum igitur in eo potissimum nostra versatur intencio, quod persone cuiuslibet professionis regularis sub alarum sedis apostolice velamento quiescant, de illis tamen, quas in capitibus et in membris esse cognoscimus deformatas, et propterea visitacionis et reformacionis auxilio indigere, tanto nimirum specialius cogitamus, quanto idem auxilium ipsis esse pocius conspicimus oportunum. Cum autem, sicuti nuper nostro extitit apostolatui reseratum, inter dilectos filios . . s. Crucis Pragensis et aliorum prioratuum de penitencia beatorum martirum ord. s. Augustini priores ac fratres in eisdem prioratibus ac ipsorum locis et membris domino famulantes et presidentes eisdem locis et membris, satore zyzanie, humani generis hoste, procurante, quedam dissensiones et scismata sint exorta, que in animarum dispendium et eorundem prioratuum, locorum et membrorum grande dicuntur preiudicium redundare, et propterea eciam alias potissime ex certis racionabilibus causis nobis expositis prioratus et loca ac membra necnon fratres huiusmodi visitacionis et reformacionis auxilio dinoscantur non mediocriter indigere, nos ad priores ac presidentes et fratres necnon prioratus, loca et membra huiusmodi propterea propensiori studio apostolice consideracionis intuitum extendentes, et cupientes, quantum nobis ex alto permittitur ac nostro incumbit officio, super hoc eis salubriter providere, ac de tue providencie industria plenam et firmam in domino fiduciam obtinentes, per te vel alios, quos ad hoc pro tempore duxeris eligendos, fratres sive professores alicuius sive aliquorum ex eisdem prioratibus sive locis aut membris, ad hoc ydoneos et discretos, deum pre oculis habentes, quando et quociens videris expedire, hinc ad quinquennium a data presencium computandum visitandi prioratus et loca ac membra huiusmodi omnia et singula, ubilibet consistencia ut prefertur, ac contra personas degentes in illis omnes et singulas inquirendi ipsasque iuxta qualitatem excessuum corrigendi et puniendi, instituendi et destituendi, prioratus quoque ac loca et membra huiusmodi reformandi, ac ut in illis evellas, destruas, dissipes, disperdas, edifices atque plantes, statuendi quoque ac ordinandi et disponendi ac faciendi omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus, prout secundum deum statui eorundem prioratuum ac locorum et membrorum necnon personarum generaliter et specialiter videris expedire, contradictores quoque . . . . compescendi, invocato eciam ad hoc [si opus fuerit, auxilio brachii secularis] . . . ., tibi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem.

Quocirca discrecionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus omnes huiusmodi visitaciones prompta devocione suscipiens et commissam tibi curam eandem vigilanter exercens, circa prioratus, loca et membra eorumque personas huiusmodi in illis, que videris correccionis et reformacionis remedio indigere, sic te sollicitum exhibeas ac eciam fructuosum dicto durante quinquennio, ut in eisdem prioratibus, locis et membris ac inter eosdem fratres presentes et posteros perhenniter vigeat auctore domino gracia solide caritatis, et prioratus ac loca atque membra huiusmodi grata suscipiant incrementa, sicque ipsis producentibus fructus salutiferos, que sperantur ad honorem divini nominis et commodum animarum, condigna tuis laboribus proinde premia largiente superna providencia merearis, statuens quod in premissis decreveris auctoritate apostolica inviolabiliter observari. Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Julii a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 26[a] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1938. *Nicolao Tylusch de Brega clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem commendatoris et fratrum domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Olsna,*[a]) *necnon abbatissae et conventus monasterii in Trebnicz ord. cisterciensis Vratislaviensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a. tercio decimo.“ — Simili modo episcopo Lucerino et decano ecclesiae s. Hedvigis in Brega Vratislaviensis dioc. ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1402 Junii 29.

R. Lat. 98 fol. 200[b] — [a]) ‚Olsen‘ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1939. *Stanislao Bartholomaei Przibicha de Prussnicz presbytero Vratislaviensis dioc. reservantur unum vel duo seu tria beneficia ecclesiastica, consueta clericis saecularibus assignari, etiam si aliquod eorum cum cura vel canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis fuerit, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad quorumcunque collationem pertinentia, si qua in ecclesia, civitate vel diocesi Vratislaviensibus vacant, vel cum vacaverint. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Julii a. tercio decimo.“ — Simili modo episcopo Anconitano et cantori ecclesiae s. Johannis Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1402 Julii 5.

R. Lat. 98 fol. 178[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: JAC. DE TERAMO.

1940. *Johanni Nicolai Scherwrf de Němčicz*[a]) *indulgetur, ut in aliquo beneficiorum suorum residens, fructus parrochialis ecclesiae in Újezd*[b]) *ac perpetuae vicariae in ecclesia s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. ac omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinet aut obtinebit, quoad vixerit, integre percipere possit.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Julii a. tercio decimo.*" — *Simili modo episcopo Tudensi et abbati Zabrdovicensis*[b]) *prope Brunnam ac praeposito Cunicensis Olomucensis dioc. monasteriorum.*

Romae, 1402 Julii 13.

R. Lat. 98 fol. 234[a] — [a]) ‚Nemczicz' [b]) ‚Vgesd' [c]) ‚Zabrdowicen' – Supra in marg sin.: JO. DE BONONIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

1941. *Jacobo Leonardi conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei unum, duo aut tria beneficia ecclesiastica reservata fuerunt, perinde valeant, ac si ipse certis canonicatui et praebendae, quos dictarum litterarum vigore acceptaverat, post acceptationem huismodi minime renuntiavisset.*

Romae, 1402 Julii 17.

Bonifacius . . . . Jacobo Leonardi canonico Esculano, familiari nostro . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem tibi de uno vel duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis . . . in civitate et diocesi Wratislauiensibus vacantibus vel vacaturis per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . .[1]) Et deinde ad nostram deducto noticiam, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis per obitum quondam Vlrici de Swanberg . . . . vacantibus, tu eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes vigore litterarum predictarum infra tempus legitimum acceptaveras et de eis tibi provideri feceras, et quod tunc a nonnullis asserebatur acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos tibi de eisdem canonicatu et prebenda . . . . per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac voluimus inter cetera, quod postquam . . . . dictos canonicatum et prebendam fores pacifice assecutus, predicte prime littere, per quas illos acceptasti . . . ., et quecunque inde secuta, quoad unum beneficium et eam florenorum summam, ad quam ipsi canonicatus et prebenda secundum taxacionem decime annuatim ascendebant, essent cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . .[2]) Postmodum vero, [cum], sicut nobis innotuit, inter te et . . Fredericum Rathardi canonicum dicte ecclesie super eisdem canonicatu et prebenda, quos quilibet vestrum ad se de iure spectare asserebat, orta fuisset materia questionis, et causa huiusmodi ad sedem predictam legitime introducta ac in palacio apostolico diucius ventilata, tandem ipse Fredericus unam pro se et contra te, per quam inter cetera iden Fredericus ab impeticione tua absolutus et tibi super eisdem canonicatu et prebenda perpetuum silencium impositum extiterat, diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa eciam de tuo consensu, amicabili composicione inter te et dictum Fredericum ad hoc interveniente, in rem transivit iudicatam, reportasset, demum tu omni iuri, si quod tibi in eisdem canonicatu et prebenda seu ad eos

quomodolibet compeciisset, apud sedem predictam coram certis notario publico et testibus sponte renunciasti. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis asseratur huiusmodi primam graciam, si dicti canonicatus et prebenda sub ea cadebant et tibi eius vigore debebantur, quoad unum ex huiusmodi tribus beneficiis fuisse et esse extinctam, teque posse propterea eius effectu frustrari et super hoc imposterum molestari, nos . . . . motu proprio . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod huiusmodi prima gracia et littere, eciam si quavis de causa obrepticie vel surrepticie aut defectuose forent, quas obrepciones et surrepciones tollimus et defectus huiusmodi supplemus motu et auctoritate eisdem, ac processus habiti per easdem a data earundem primarum litterarum perinde valeant plenamque obtineant roboris firmitatem . . . . ac si acceptacio, provisio, sentencia et renunciacio predicte et alia inde secuta habita sive facta minime fuissent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Augusti a. tercio decimo.

R. Lat. 9 fol. 282a — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1402. [2]) Cf. nr. 1593.

1942. *Episcopo Litomyślensi mandatur, quatenus Johanni de Usk cancellario Sigismundi regis Ungariae praeposituram ecclesiae s. Martini Posoniensis Strigoniensis dioc., ad quam per dictum regem Johanni archiepiscopo Strigoniensi praesentatus fuit, auctoritate apostolica conferat, non obstante, quod ipse Johannes de Usk praeposituram ecclesiae Quinqueecclesiensis et parrochialem ecclesiam s. Mariae in Buda Vesprimiensis dioc. noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum nono kal. Augusti a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Julii 24.

R. Lat. 99 fol. 141b — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO. — Ed. Fraknói, Mon. Hung. Vatic. ser. I. tom. IV nr. 513; et iterum idem in Monum. episcopatus Vesprimiensis tom. II nr. 431.

1943. *Nicolaus Puchník ecclesiae Pragensi in archiepiscopum praeficitur.*

Romae, 1402 Julii 26.

Bonifacius . . . Nicolao Puchnik electo Pragensi . . . Suscepti cura regiminis . . . . Dudum siquidem bone memorie Wolframo archiepiscopo Pragensi regimini ecclesie Pragensis presidente, nos . . . . provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Wolframi archiepiscopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum,[1]) vacante, dilecti filii capitulum dicte ecclesie, huiusmodi reservacionis et decreti forsan ignari, te, canonicum eiusdem ecclesie in presbyteratus ordine constitutum, in archiepiscopum ipsius ecclesie

licet de facto concorditer elegerunt, tuque, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti eciam de facto. Et deinde reservacione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur eleccionem ipsam et quecunque inde secuta . . . . irrita et inania reputantes . . . ., post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te . . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis de persona tua . . . . eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio providemus, teque illi preficimus in archiepiscopum et pastorem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. tercio decimo.

Simili modo . . . . capitulo ecclesie Pragensis . . . .

Simili modo . . . . clero civitatis et diocesis Pragensium . . . .

Simili modo . . . . populo civitatis et diocesis Pragensium . . . .

Simili modo . . . universis vasallis ecclesie Pragensis . . . .

Simili modo . . . . universis suffraganeis ecclesie Pragensis . . . .

Simili modo . . . . Wenceslao Romanorum et Boemie regi illustri . . . Gracie divine . . . .

R. Lat 103 fol. 154ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI XIII . XIII . XIII . XIII . XIII DE BENEVENTO. — [1]) Archiepiscopus Volframus 1402 Maii 1 obiit.

1944. *Antonio s. Caeciliae cardinali reservantur nonnulla beneficia ecclesiastica per consecrationem Nicolai electi Pragensis vacatura.*

Romae, 1402 Julii 26.

Bonifacius . . . . Antonio tituli s. Cecilie presbytero cardinali . . . . Dum exquisitam . . . . Cum itaque Pragensis et s. Georgii in castro Pragensi et s. Petri Wissegradensis prope Pragam ac Olomucensis ecclesiarum canonicatus et prebende necnon ecclesia parrochialis in Jemnicz Olomucensis diocesis, quos . . . . Nicolaus electus Pragensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Pragensem tunc vacantem [1]) obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem electo impendendum vacare sperentur, nos tibi . . . . motu proprio . . . . canonicatum et prebendas ac ecclesiam parrochialem predictos, quorum omnium fructus . . . centum et viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illos ut prefertur . . . . aut alias quovis modo preterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit, conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . Nos enim tecum, ut dictam parrochialem ecclesiam recipere et una cum ecclesia s. Cecilie de Urbe, que titulus tui cardinalatus existit, necnon . . . . aliis beneficiis ecclesiasticis . . . ., que obtines et expectas . . . ., retinere libere et licite valeas, ... dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. tercio decimo.

Simili modo . . . . s. Adalberti in Brewnouia et in Strahouia alias in Monte Syna prope Pragam monasteriorum abbatibus ac preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis . . . . .

R. Lat. 103 fol. 258[a] — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA], (prius erat „Bertoldus", sed cancellatum); in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1943.

1945. *Nicolao electo Pragensi conceditur, ut a quocunque catholico antistite, assistentibus ei duobus vel tribus aliis catholicis episcopis, munus consecrationis recipere possit „Cum nos pridem" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Augusti a tercio decimo."*

Romae, 1402 Julii 28.

R. Lat. 104 fol. 219[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

1946. *Ecclesiam monasterii s. Mariae Magdalenae in Luban visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1402 Julii 31.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet [is] . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii monialium s. Marie Magdalene de penitencia in oppido Luban ord. s. Augustini Misnensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac eciam ecclesia et monasterium huiusmodi conserventur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festivitate nativitatis b. Marie virginis gloriose a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatis eiusdem et per tres dies dictam festivitatem immediate sequentes predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, illam indulgenciam et remissionem peccatorum auctoritate apostolica concedimus, quam ecclesiam s. Marci de Veneciis Castellanensis diocesis in festo ascensionis domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim quomodolibet consequuntur, quibuscunque aliis indulgenciis, visitantibus ecclesiam dicti monasterii vel ad eius reparacionem aut conservacionem manus porrigentibus adiutrices seu alias inibi pias elemosinas erogantibus perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duraturis per nos seu alios quoscunque Romanos pontifices, predecessores nostros, concessis, in sui roboris firmitate nichilominus duraturis; et insuper . . . . priori ecclesie dicti monasterii . . . ., ut sex presbyteros ydoneos seculares aut religiosos, de quibus sibi videbitur, in confessores eligere possit et eciam deputare, qui confessiones quarumcunque personarum predictam ecclesiam huiusmodi monasterii in dicta festivitate et diebus causa huiusmodi indulgencie assequende ut prefertur annuatim visitancium in ipsis festivitate et tribus diebus sequentibus ut prefertur audire . . . . valeant . . . ., auctoritate apostolica . . . . indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Augusti a. tercio decimo.

R. Lat. 104 fol. 219[b] — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. CL DE BENEVENTO.

1947. *Episcopo Melfiensi et praeposito ac cantori ecclesiae Vratislaviensis mandatur, quatenus Nicolaum Henrici de Moskorzow clericum Cracoviensis dioc. auctoritate apostolica moneant, ut canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis, in quibus se indebite intrusit, Raynaldo s. Viti in Macello diacono cardinali, cui de ipsis canonicatu et praebenda, per obitum Swenceslai Gregorii vacantibus, per Urbanum pp. VI provisum fuit, dimittat. „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Augusti a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Augusti 2.

R. Lat. 103 fol. 222[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

1948. *Obligatio Nicolai electi Pragensis.*

Romae, 1402 Augusti 4.

Anno [nativ. 1402, pont. XIII] die IIII. mensis Augusti reverendus in Chr. pater dom. Nicolaus dei gracia electus in archiepiscopum Pragensem per venerabilem virum dom. Johannem Kbel decretorum doctorem, canonicum Pragensem et Olomucensem, et Johannem de Malesicz prepositum et canonicum ecclesie Olomucensis, procuratores suos ad hoc legitime constitutos, promisit camere et collegio pro suo communi servicio duo milia octingentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere tantum pro quatuor minutis serviciis dom. Wolframi predecessoris sui trecentos decem et novem similes florenos, solidos triginta quatuor; item recognovit collegio tantum pro communi servicio dicti dom. Wolframi mille centum quinquaginta tres similes florenos, solidos viginti octo, denarios septem, et unum minutum servicium pro rata; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Johannis antepredecessoris sui octo similes florenos, solidos decem et septem et denarios quatuor, et quinque servicia pro rata; solvendo totum promissum usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime futurum et omnia recognita in simili termino anno revoluto . . . .

Oblig. et sol. 57 fol. 38[b].

1949. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao Nicolai Seidenberg parrochialem ecclesiam in Berthelsdorf conferant.*

Romae, 1402 Augusti 8.

Bonifacius . . . . episcopo Thelesino et . . . . abbati monasterii b. Marie in Arena Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus quondam Nicolai Sydenberg clericus Poznaniensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem per nos accepto, quod parrochialis

ecclesia in Bertoldesdorff prope oppidum Othmuchaw Wratislauiensis diocesis, quam quondam Johannes de Troppaw . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverat et vacabat tunc, nos videlicet VI. kal. Augusti proxime preteriti [1]) de ipsa ecclesia . . . . quondam Andree Mulich presbytero per nostras litteras graciose mandavimus provideri, ecclesiam ipsam collacioni et disposicioni nostre ea vice specialiter reservando . . . . Cum itaque postmodum prefatus Andreas, antequam sibi de dicta ecclesia . . . . provideretur, possessione ipsius ecclesie per eum non habita, apud sedem apostolicam decesserit, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . .: non obstantibus . . ., quod nuper eundem Nicolaum, ut asserit, in omni iure et ad omne ius, quod quondam Nicolao Ottonis de Frigenstat presbytero in parrochiali ecclesia in Ilauia dicte diocesis seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, graciose concessimus surrogari. Volumus autem, prout eciam dictus Nicolaus Nicolai id sponte voluit, quod huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta exnunc sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Augusti a. tercio decimo.

R. Lat. 103 fol. 96b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) 1402 Juli 27.

***1950**. Johannes de Malesicz ab omni iurisdictione ordinariorum et dominorum saecularium eximitur, eique indulgetur, ut ab officio scriptoris litterarum apostolicarum numquam amoveri possit.*

Romae, 1402 Augusti 10.

Bonifacius . . . . magistro Johanni de Malesicz canonico Pragensi, scriptori et familiari nostro . . . . Exigunt tue devocionis probata sinceritas, qua nos et Romanam ecclesiam revereris, grataque et accepta fidelitatis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus laudabiliter impendisti et adhuc sedulis intentis[que] desideriis ac studiis impendere comprobaris, ut personam tuam liberalitatis apostolice prerogativa ac condignis honoribus attollamus. Volentes igitur te, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, premissorum intuitu, ut eo sit quiecior status tuus, quo ampliori sedis predicte dotatus fueris libertate, favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, te cum beneficiis ecclesiasticis, canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus et officiis, parrochialibus ecclesiis necnon curiis, domibus et aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, que impresenciarum legitime possides et in futurum prestante domino iustis titulis poteris adipisci, ab omni iurisdiccione, superioritate, dominio et potestate cuiuslibet diocesani et aliorum iudicum ordinariorum, necnon regum, marchionum, baronum et aliorum quorumcunque auctoritate apostolica tenore presencium prorsus eximimus et perpetuo liberamus, ac te et illa in ius et proprietatem b. Petri et dicte sedis ac sub

eorum proteccione suscipimus atque nostra, tibique eciam eadem auctoritate indulgemus, ut nullo unquam tempore, quamdiu vitam duxeris in humanis, a loco tuo officii scriptorie litterarum apostolicarum, quem obtines, quandocunque te a Romana curia absentem esse et huiusmodi officii exercicio desistere contingat, quacunque occasione vel causa aut quovis quesito colore deponi seu amoveri possis invitus, quodque eciam nullus iudex delegatus vel eciam subdelegatus, executor vel conservator, collector vel succollector fructuum et proventuum camere apostolice debitorum a sede prefata deputatus seu deputandus vel eciam ordinarius aut alia quevis persona, eciam si pontificali, regali vel reginali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeat dignitate, in personam tuam aut beneficia ecclesiastica seu domos aut alia bona tua huiusmodi te in Romana curia vel extra illam existente possit excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentencias promulgare, aut potestatem seu iurisdiccionem aliquam exercere, vel se de dictis domibus aut bonis intromittere quoquo modo, nisi de sedis prefate licencia speciali, faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de hoc indulto necnon de tuis nomine et cognomine propriis et dignitatibus mencionem, districcius inhibentes universis et singulis iudicibus delegatis et eorum subdelegatis necnon executoribus, conservatoribus, collectoribus, succollectoribus fructuum et proventuum huiusmodi a sede prefata deputatis et deputandis, quacunque auctoritate fungentibus, necnon diocesanis et ordinariis ac aliis personis quibuscunque, eciam pontificali, regali, reginali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate preditis, ne in te aut beneficia tua seu bona predicta huiusmodi potestatem seu iurisdiccionem aliquam exercere aut se de dictis bonis intromittere seu contra huiusmodi exempcionis et indulti tenorem aliquid attemptare presumant, ac decernentes omnes et singulos processus et sentencias, quos et quas contra presencium litterarum tenorem haberi vel promulgari et quicquid aliud in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit, irritas, irritos et inanes ac irritum et inane, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Augusti a tercio decimo.

Simili modo . . . . episcopo Florentino et . . . . Gradicensis prope Olomucz ac Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . . Exigunt dilecti filii magistri Johannis de Malesicz canonici Pragensis etc. Quocirca discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prefato Johanni oportune defensionis presidio assistentes, non permittatis eum contra exempcionis, liberacionis, suscepcionis, concessionis, inhibicionis et decreti huiusmodi tenorem per quoscunque impeti vel eciam molestari . . . .

R. Lat. 113 fol. 244a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

1951. *Laurentio Nicolai providetur de quadam perpetua vicaria in ecclesia Pragensi.*

Romae, 1402 Augusti 23.

Bonifacius . . . Laurencio Nicolai perpetuo vicario in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque, per assecucionem pacificam . . . aliorum beneficiorum quorumlibet per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et conferendorum eisdem tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus . . . . irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Et deinde declaravimus nostre intencionis fuisse et esse, quod eadem beneficia per reservacionem et decretum predicta adeo essent affecta, quod, eciam si ea ante assecucionem prefatam per resignacionem simplicem factam vel alio quovis modo vacare contingeret, de ipsis per alium quam per nos non potuisset neque posset imposterum alicui provideri seu alio quovis modo disponi . . . . Et subsequenter quondam Nicolao Swatoslai de Wserob de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis ac dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura, eciam si dignitas ipsa in predicta maior post pontificalem vel in collegiata ecclesiis principalis foret, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis pertinencium, vacancium vel vacaturorum, mandavimus per nostras litteras graciose provideri, volentes inter cetera, quod, quamprimum ipse Nicolaus . . . . canonicatum et prebendam aut dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi foret pacifice assecutus, perpetuam vicariam ‚vicariam prepositi dicte Pragensis ecclesie' nuncupatam, quam in dicta Pragensi ecclesia tunc temporis obtinebat . . . ., omnino dimittere teneretur . . . . Cum itaque postmodum vicaria predicta per obitum eiusdem Nicolai, qui, antequam huiusmodi canonicatum et prebendam aut dignitatem vel personatum seu officium pacifice assequeretur, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens . . . ., nos . . . . vicariam predictam . . . ., cuius fructus . . . . viginti sex marcarum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod nos dudum tibi, ut asseris, de canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis tunc certo modo vacantibus, quorum fructus . . . . viginti marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, concessimus graciose provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Septembris a. tercio decimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam ac officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 103 fol. 109[a] — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: N. XII . XIIII DE BENEVENTO.

1952. *Episcopo Thelesino in Romana curia commoranti mandatur, quatenus a Stanislao de Načeradec[a]) resignationem altaris s. Barbarae virginis siti in ecclesia Pragensi, quam ipse sponte facere proponit, recipiat, dictumque altare, quod sine cura est, et cuius fructus 4 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, Johanni Petri de Křižanov[b]) clerico Olomucensis dioc. conferat.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. tercio decimo.*“

Romae, 1402 Augusti 27.

R Lat. 103 fol. 73[a] — [a]) ‚Naczeracz' [b]) ‚Crisanow'. — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1953. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Nowiczka de Drustowá*[a] *presbytero Pragensis dioc. capellam s. Mariae Magdalenae prope Velharticz.*[b] *quae sine cura est, cuiusque fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Mathiae Burda ipsius capellae rectoris, apud sedem apostolicam defuncti, conferat, non obstante, quod nuper eidem Johanni de parrochiali ecclesia in Bystricz*[c] *Olomucensis dioc., cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, a papa provideri concessum est. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Septembris a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Septembris 4.

R. Lat. 103 fol. 38a — a) ‚Drustowa' b) ‚Wilharticz' c) ‚Bistricz'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO NEPOTE SCRIPTORIS (sic).

1954. *Johanni de Křižanov conceditur, ut provisio de altari s. Barbarae in ecclesia Pragensi ei alias facta valeat, certa ordinatione apostolica contraria non obstante.*

Romae, 1402 Septembris 5.

Bonifacius . . . . Johanni Petri de Crisanow rectori altaris s. Barbare siti in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum . . . . Nuper siquidem per nos accepto, quod quondam Stanislaus de Naczeratz rector altaris s. Barbare virginis siti in ecclesia Pragensi, quod tunc temporis obtinebat, altare ipsum libere et sponte resignare proponebat, nos . . . . Clementi episcopo Thelesino in Romana curia commoranti nostris dedimus litteris in mandatis, ut ab eodem Stanislao vel procuratore suo . . . resignacionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra ea vice dumtaxat reciperet et admitteret, eaque per ipsum recepta et admissa altare predictum, cum ipsum per huiusmodi resignacionem vacare contingeret . . . ., tibi auctoritate nostra conferret et eciam assignaret . . . .[1]) Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, eodem altari per liberam resignacionem dicti Stanislai, de illo per . . . . magistrum Johannem de Tremosnitz scriptorem nostrum, procuratorem eiusdem Stanislai . . . ., in manibus prefati Clementis episcopi apud sedem apostolicam sponte factam et per eundem Clementem episcopum apud eandem sedem auctoritate predicta admissam, vacante, prefatus Clemens episcopus altare predictum sic vacans tibi iuxta dictarum litterarum tenorem et formam contulit et de illo eciam providit. Cum autem nos dudum ordinaverimus et voluerimus, quod de cetero, si quis in infirmitate constitutus resignaret aliquod beneficium, sive ex causa permutacionis, sive simpliciter, et postea infra viginti dies de illa infirmitate decederet, talis resignacio non valeret et esset omnino irrita, et tale beneficium censeretur vacare per obitum dicti resignantis, et sicut eadem peticio subiungebat, dictus Stanislaus tempore resignacionis huiusmodi quadam gravi infirmitate, de qua post resignacionem eandem infra paucos dies apud dictam sedem decessit, detentus fuerit, tuque propterea dubites resignacionem necnon collacionem et provisionem ac litteras predicta viribus non subsistere, teque propterea super ipso altari posse imposterum molestari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi super hoc

providere . . . . dignaremur. Nos igitur resignacionem, collacionem et provisionem huiusmodi et quecunque inde secuta rata habentes et grata . . ., volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod resignacio necnon collacio et provisio ac littere predicte ab earum data et quecunque inde secuta valeant . . . ., eciam si dictum altare, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, per dicti Stanislai obitum vel alio quovis modo . . . . vacet . . . ., huiusmodi ordinacione et voluntate . . . . non obstantibus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. tercio decimo.

R. Lat. 102 fol. 84b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: PRO MEDIETATE, JAC. VIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1952.

1955. *Johanni Petri de Reddin providetur de altari s. Barbarae sito in ecclesia Pragensi, quod sine cura est, cuiusque fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Stanislai dicti Staniko Kawawce (?) [de Načeradec], qui apud sedem apostolicam decessit.*[1]) *„Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. tercio decimo.“ — Simili modo episcopo Florentino et abbati monasterii Aulae Regiae ac decano ecclesiae s. Petri Vyšehradensis*[a]) *Pragensis diocesis.*

Romae, 1402 Septembris 5.

R. Lat. 103 fol. 112a — [a]) ‚Wissegraden‘ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XII . XIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1952 et 1954.

1956. *Universis praelatis et clero atque omnibus dominis temporalibus mandatur, ut Ludovico de Ballionibus*[a]) *domicello Perusino, familiari apostolico, ad partes Alamanniae necnon Bohemiae, Daniae*[b]), *Sveciae, Norvegiae et Poloniae regna et nonnullas alias mundi partes pro nonnullis Romanae ecclesiae negotiis peragendis destinato, de securo conductu provideant. „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Septembris 20.

R. Vat. 320 fol. 36a — [a]) ‚Baglonibus‘ [b]) ‚Dacie‘. — In fine: (ad sin.) F. DE MONTEPOLICIANO; (ad dext.) DE CURIA, CUCHARUS.

1957. *Johanni de Indagine conceditur, ut in assecutione maioris praebendae ecclesiae Budissinensis omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1402 Septembris 20.

Bonifacius . . . . Johanni Tylonis de Indagine canonico ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem, videlicet XVII kal. Decembris pont. anno primo[1]), tibi de canonicatu sub expectacione

prebende maioris ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis [diocesis], in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, teque inter cetera omnibus preterquam auctoritate nostra in canonicos receptis vel prebendas expectantibus in eadem . . . . voluimus anteferri . . . Nos igitur . . . . volentes te, qui, ut asseris, perpetuum beneficium „primissaria" nuncupatum, situm in parrochiali ecclesia in Bischoffswerden et altare s. Sigismundi situm in capella s. Catherine extra muros oppidi Hayn eiusdem diocesis obtines, ... favoribus prosequi graciosis, auctoritate apostolica tenore presencium concedimus et decernimus, quod per aliquas gracias de canonicatibus sub expectacionibus maiorum prebendarum huiusmodi per nos seu auctoritate nostra alicui seu aliquibus cum quacunque antelacionis prerogativa . . . . factas seu faciendas quoad assecucionem maioris prebende huiusmodi . . . . te non posse nec debere in aliquo impediri, quinymmo tu omnibus huiusmodi gracias habentibus possis et debeas in eadem assecucione realiter anteferri, ac nichilominus volumus, quod nullus . . . . vigore cuiuscunque gracie ei eciam cum quacunque antelacionis prerogativa . . . . per nos concesse vel concedende, eciam si de ipsius nomine et cognomine propriis ac de gracia huiusmodi ac eius toto tenore presentibus habenda foret de verbo ad verbum mencio specialis, et eciam si ei indultum existat, quod huiusmodi gracie cum simili vel quavis alia antelacionis prerogativa aliis personis per nos concesse vel concedende sibi preiudicari non possent, nisi in eisdem graciis de huiusmodi sibi gracia concessa ac eius toto tenore de verbo ad verbum ac de eius nomine et cognomine propriis mencio specialis haberetur, et alias ex certis veris et racionalibus causis evidenter ac per expressum de nostra voluntate contraria constaret et expresse appareret, nos sibi ex certa sciencia derogare velle, ... cardinalibus et . . . familiaribus nostris continuis commensalibus nobis actu domestice famulantibus dumtaxat exceptis, tibi . . . . possit aut debeat anteferri seu alias in aliquo tibi quomodolibet preiudicare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris a. tercio decimo.

R. Lat. 9 fol. 359b — Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. LX DE BENEVENTO. — [1]) 1389 Nov. 15.

1958. *Magistro Jeronymo Seidenberg capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur quatenus, si ei constiterit neque Marco Philippi presbytero Nitriensis dioc. neque Nicolao de Zilina neque Johanni dicto Niger, qui se gerunt pro presbyteris dictae Nitriensis et Pragensis diocesium, in palatio apostolico super parrochiali ecclesia de Bicsa Nitriensis dioc. litigantibus, ius in eadem competere, ecclesiam ipsam praedicto Marco conferat. „Rome ap. S. Petrum nono kal. Octobris a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Septembris 23.

R. Lat. 99 fol. 93b — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — Ed. Fraknói, Monum. Vat. Hung. ser. I tom IV p. 461 nr. 523.

1959. *Translatio Conradi de Soltow episcopi Verdensis ad ecclesiam Cameracensem motu proprio revocatur.*

Romae, 1402 Septembris 25.

Bonifacius . . . . Conrado de Soltow episcopo Verdensi . . . . Apostolice sedis providencia circumspecta ad illa, que plerumque peragit, ordinat et disponit, ubi expedit, suam provisionem adicit, prout fore conspicit oportunum. Dudum siquidem per nonnullos minus veraciter nobis suggesto, quod tu possessionem administracionis bonorum ecclesie Verdensis nec in spiritualibus nec temporalibus poteras adipisci, et quod intensis desideriis affectabas ad aliquam aliam ecclesiam cathedralem transferri, nos credentes predicta veritate fulciri, te, licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesie Verdensi, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ad ecclesiam Cameracensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, te illi in episcopum et pastorem preficiendo, ac eidem Verdensi ecclesie, tamquam per huiusmodi translacionem vacanti, de persona . . . . Conradi de Vechta clerici Osnaburgensis de eorundem fratrum consilio eadem auctoritate providimus, preficiendo ipsum eidem ecclesie Verdensi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut fidedignis relatibus nobis innotuit, suggesta huiusmodi omni penitus caruerint, prout careant, veritate, cum tue intencionis et voluntatis non fuerit de dicta Verdensi ecclesia ad aliam cathedralem ecclesiam voluisse sive velle transferri, nos ad omnis ambiguitatis tollendum dubium motu proprio . . . . auctoritate apostolica . . . declaramus nostre voluntatis vel intencionis non fuisse nec esse te voluisse sive velle transferre invitum de ipsa ecclesia Verdensi ad ecclesiam Cameracensem antedictam, tibi nichilominus motu simili . . . . concedentes, quod regimen et administracionem predicte ecclesie Verdensis perinde habere illamque tam in spiritualibus et temporalibus regere et eius administracionem gerere et excercere libere et licite valeas, ac si absolucio, translacio et prefecciones predicte nullatenus facte fuissent. Et insuper absolucionem, translacionem, provisionem et prefeccionem predictas et quecunque inde secuta pro irritis et non factis habentes, illa ad cautelam exnunc . . . . cassamus et revocamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Octobris a. tercio decimo.

R. Lat. 101 fol. 15ª — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: JAC. DE TERAMO.

1960. *Turibio episcopo Tudensi in Romana curia commoranti mandatur, quatenus resignatione parrochialis ecclesiae in Drahobudicz Pragensis dioc., quam Johannes Adalberti de Nova Civitate libere facere proponit, recepta, ecclesiam ipsam, cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, Johanni Vlásek de Hradiště*[a]*) clerico Olomucensis dioc. conferat. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Octobris a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Septembris 28.

R. Lat. 103 fol. 43ª — a) ‚Wlasek de Redyss‘ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1961. *Cum Jacobo de Dubá rectore parrochialis ecclesiae de Verona Pragensis dioc. dispensatur, ut ratione dictae ecclesiae, quam pacifice possidet, et quae de iure patronatus laicorum existit, usque ad triennium a data praesentium ad aliquos sacros ordines se facere promoveri minime teneatur. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Octobris a. tercio decimo."*

Romae, 1402 Septembris 28.

R. Lat. 113 fol. 252b — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1962. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Johanni de Jesenicz parrochialem ecclesiam in Volyně conferant.*

Romae, 1402 Octobris 13.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi et episcopo Tudensi ac . . . . scolastico ecclesie Pragensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Conradi de Jessonicz rector parrochialis ecclesie in Vhrznawes Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Wolyna dicte diocesis, quam quondam Johannes de Muta alias dictus Sophista . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens. . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam in Wolyna predictam, cuius fructus . . . sexdecim marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt . . . . , prefato Johanni Conradi auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . ; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, idem Johannes ecclesiam in Vhrzynawes predictam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere.[1]) Nos enim cum eodem Johanne Conradi, ut ecclesiam in Wolyna prefatam, si eam sibi presencium vigore conferri contingat, recipere necnon ipsam et eandem ecclesiam in Vhrzynawes usque ad biennium insimul retinere libere et licite valeat . . . ., dispensamus, ita tamen, quod infra huiusmodi biennium alteram earundem ecclesiarum pro alio beneficio ecclesiastico compatibili cum reliqua permutare, alioquin eciam ecclesiam in Vhrzynawes prefatam . . . . dimittere teneatur. . . . . Nos eciam, si forte sub presentis diei data de ipsa ecclesia in Wolyna sic vacante tunc ut prefertur concesserimus alicui alteri provideri, eandem concessionem decernimus nullius existere firmitatis et presentes litteras perinde sortiri effectum debere, ac si dicta concessio alteri facta nullatenus extitisset . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Octobris a. tercio decimo.

R. Lat. 98 fol. 42b — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2054

1963. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Venceslao [Rohle de Jičín] neque Johanni de Duba neque Hermanno de Hrádek in quodam*

altari ecclesiae Pragensis ius competere, idem altare illi eorum conferat, quem ad hoc magis sufficientem reppererit.

Romae, 1402 Octobris 13.

Bonifacius . . . . magistro Johanni Gatzcow capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . Romani pontificis providencia circumspecta ad ea libenter intendit, per que diutina beneficiorum ecclesiasticorum vacacio valeat evitari. Sane peticio pro parte . . . . Wenceslai rectoris parrochialis ecclesie s. Martini in muro Maioris ciuitatis Pragensis, magistri in artibus, nobis nuper exhibita continebat, quod orta dudum inter ipsum, qui eciam bacallarius in decretis est, ex parte una et . . . . Johannem de Duba ac Hermannum dictum de Hradek, qui se gerunt pro presbyteris Pragensis diocesis, super altari s. Sapiencie sito in ecclesia Pragensi, ad quod, tunc per obitum quondam Jaclini . . . . extra Romanam curiam defuncti vacans, Wenceslaus se per . . . Elizabeth relictam quondam Francisci Werneri de Egra laici viduam, veram patronam dicti altaris . . . . infra tempus debitum legitime loci ordinario presentatum, ipsumque altare vigore presentacionis huiusmodi sibi de iure deberi, dictosque Johannem et Hermannum presentacioni huiusmodi contra iusticiam se opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus ipse Wenceslaus in rectorem dicti altaris instituteretur, Johannes vero ad altare ipsum se a quibusdam aliis, quos veros patronos falso esse asserebat, prout asserit, predicto ordinario similiter presentatum, ac idem Hermannus se dictum altare pretextu cuiusdam gracie apostolice infra tempus legitimum, prout ex earum forma se posse dicebat, acceptasse illudque sibi deberi asserebat, prout asserit, ortaque propterea occasione presentacionum et acceptacionis huiusmodi coram dicto ordinario inter eosdem Wenceslaum, Johannem et Hermannum materia questionis,[1]) tandem causa huiusmodi per appellacionem predicti Johannis ad sedem apostolicam legitime introducta nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis tibi ad instanciam dicti Johannis . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa inter partes predictas ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur nullum eorundem Wenceslai et Johannis ac Hermanni in eodem altari seu ad illud ius habere, nos volentes illum ex eisdem Wenceslao, Johanne et Hermanno, qui ad obtinendum dictum altare ydoneus et magis sufficiens existit, favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit nulli dictorum Wenceslai, Johannis et Hermanni in dicto altari seu ad illud ius competere, altare ipsum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . undecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, illi ex eisdem Wenceslao, Johanne et Hermanno, quem ad hoc ydoneum et magis sufficientem esse reppereris, ... auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Wenceslaus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Octobris a. tercio decimo.

R. Lat. 99 fol. 35ª — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1795.

1964. *Petro Galli providetur de parrochiali ecclesia s. Laurentii in Sačan*[a] *Olomucensis dioc., cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedant, vacante per liberam resignationem eius rectoris Johannis Nicolai apud sedem apostolicam factam. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Octobris a. tercio decimo". — Simili modo episcopo Perusino et decano in Vyškov*[b] *ac plebano plebis in ‚Satkow' Olomucensis dioc.*

Romae, 1402 Octobris 14.

R. Lat. 103 fol. 91[b] — [a] ‚Saczaco' [b] ‚Wiskow' — Supra in marg. sin.: CAN[CEL-LA]RIA; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1965. *Dispositiones et ordinationes Ruperti ducis Silesiae ecclesiam s. Sepulchri dominici in castro Legnicensi concernentes confirmantur.*

Romae, 1402 Octobris 17.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Is, que pro animarum cura stabilius et diligencius exercenda provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter, cum a nobis requiritur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli collegiate ecclesie s. Sepulcri dominici in castro Legenicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim . . . . nobilis vir Rupertus dux Slesie et Legenicensis inter cetera pietatis opera, que circa dictam ecclesiam, per eius devotos progenitores fundatam et cuius ipse dux defensor esse dinoscitur, sollicitis studiis peregit et peragere non desistit, eciam ad animarum curam per rectorem ‚plebanum' nuncupatum dicte ecclesie, que eciam parrochialis existit, [exerceri] solitam inantea laudabilius firmiusque exercendam aciem sue contemplacionis extendens, de consilio et consensu dictorum capituli taliter disponendum duxit et eciam ordinandum, videlicet: quod quociens huiusmodi curam vacare contigerit, tociens perpetui vicarii ‚mansionarii' nuncupati in eadem ecclesia unum ydoneum presbyterum de ipsorum numero in rectorem seu plebanum eiusdem ecclesie eligere et episcopo Wratislauiensi pro tempore existenti pro huiusmodi cura et administracione eius spirituali et temporali ab eodem episcopo suscipienda et committenda presentare debeant; que quidem cura si eidem presbytero per eundem episcopum committatur, eam fideliter exercere et sacramenta ecclesiastica parrochianis eiusdem ecclesie ministrare ac cetera facere et exequi, que huiusmodi cura requirit, teneatur, quodque ipse presbyter particeps esse debeat omnium emolumentorum, oblacionum, refeccionum, testamentorum, anniversariorum, funeralium, exequiarum et obvencionum quarumcunque vicariis ecclesie pretacte debitarum, presencium et futurarum, ac inter vicarios eiusdem ecclesie distribui consuetarum, necnon omnium proventuum, quorum olim ante disposicionem predictam plebanus in eadem ecclesia particeps esse consuevit, exceptis missis peculiaribus, quas dicti vicarii iuxta morem dicte ecclesie sunt soliti celebrare, et quod quatuor marce annui census, quas dicti capitulum olim prefato plebano annis singulis de balneo in summo Legenicensi situato solvebant et solvere tenebantur, extunc inantea ad

ipsum capitulum venirent, ita quod amplius liberum esset ab ipsarum solucione, quodque domus, que olim ad predictam curam seu plebanum spectabat, extunc succedentibus temporibus dictorum capituli esse deberet et domus canonicalis reputari, et quod omnes redditus, census, obvenciones, oblaciones, fertones decimales, decime campestres, missales annone, que olim ad dictum plebanum pertinuerant, ad mansionarios eiusdem ecclesie spectare deberent; et quod postmodum .... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis, quia diligenti deliberacione prehabita dictas disposiciones et ordinaciones eidem ecclesie accommodas fore repperit, eas, ... vicariorum mansionariorum eiusdem ecclesie expresso interveniente consensu, ad dicti Ruperti ducis supplicacionis instanciam auctoritate ordinaria confirmavit, quatuorque marcas et domum ipsi capitulo necnon redditus, census, obvenciones, fertones decimales, decimas campestres, missales annonas huiusmodi mansionariis prefatis eadem auctoritate incorporavit, univit et appropriavit, prout hec et alia in instrumento publico inde confecto, dicti Wenceslai episcopi sigillo munito, cuius tenorem presentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut disposicionibus et ordinacionibus ac confirmacioni, incorporacioni, unioni et appropriacioni predictis robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, disposiciones et ordinaciones, incorporacionem, unionem et appropriacionem predictas et quecunque inde secuta necnon omnia et singula in dicto instrumento contenta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes eadem auctoritate omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 9 fol. 281b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXV DE BENEVENTO.

1966. *Archidiacono Pilznensi*[a]) *in ecclesia Pragensi mandatur, quatenus Venceslao Jacobi de Popovicz clerico Pragensis dioc., baccalario in artibus, conferat parrochialem ecclesiam in Horšov*[b]) *eiusdem dioc, cuius fructus 24 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum ultimi rectoris Veliconis, qui extra Romanam curiam decessit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Novembris a. tercio decimo".*

Romae, 1462 Octobris 22.

R. Lat. 103 fol. 8a — a) ‚Plznen' b) ‚Horsow' — In marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1967. *Judicibus mandatur, quatenus a clero Pragensis diocesis charitativum subsidium ‚pro pallio', quod Nicolao electo Pragensi, si mortuus non esset, solvere teneretur, et a capitulo ac administratoribus ecclesiae Pragensis census fumales et alios reditus a tempore mortis Volframi archiepiscopi reccollectos et etiam*

ultra tantum exigant, quantum sufficiat ad solutionem debitorum per procuratores dicti electi in curia Romana contractorum.

Romae, 1402 Octobris 23.

Bonifacius .... archiepiscopo Tarentino et .... abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam ac .. archidiacono Olomucensi .... Justis et honestis .... Nuper siquidem de persona quondam Nicolai electi Pragensis ecclesie Pragensi tunc vacanti auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum ecclesie predicte in archiepiscopum et pastorem,[1]) et deinde pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte dicti electi a nobis cum ea, qua decuit, instancia postulatum, de corpore b. Petri sumptum, sibi in illis partibus fecimus assignari. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte .... Mauricii Kusel archidiaconi Sothmariensis in ecclesia Transilucana, Johannis de Malesicz scolastici, Johannis de Kbel et Johannis Sophista eiusdem Pragensis, Zavissii de Zap Olomucensis, Johannis Tremosniez Wissegradensis canonicorum, Wenceslai s. Martini Antique ciuitatis Pragensis, Nicolai Henslini in Budecz, Johannis de Duba in Libiczicz, Nicolai Schisska in Klokot et Conradi Cappler in Snoyma Pragensis et Olomucensis diocesium parrochialium ecclesiarum rectorum ac magistri Symeonis de Perusio advocati consistorii nostri peticio continebat, quod idem electus, quamvis ad prosequendum negocium provisionis et prefeccionis predictarum personaliter ad Romanam curiam non accesserit, tamen per certos procuratores sive nuncios suos ad eandem curiam propterea destinatos multa necessario subivit et subire habuit onera expensarum, et proinde predicti procuratores, ad hoc[2]) ab eodem electo speciale mandatum habentes, nonnulla debita, que ad summam quatuor milium septingentorum ducatorum auri vel circa ascendunt, in eadem curia contraxerunt, pro quibus archidiaconus, scolasticus, canonici, rectores et Symeon prefati certis creditoribus eandem curiam sequentibus, eciam quoad damna, expensas et interesse, que propterea iidem creditores propter dilacionem forsan solucionis eorundem debitorum incurrent quovis modo, tamquam fideiussores et fideiussorum nomine intercesserunt, se et eorum bona presencia et futura bona fide eciam sub gravibus penis tunc expressis ad utilitatem electi [et] Pragensis ecclesie predictorum propterea obligando: et sicut eadem peticio subiungebat, licet idem electus regimen necnon possessionem administracionis bonorum ecclesie Pragensis prefate vigore provisionis et prefeccionis predictarum adeptus, ut asseritur, non extiterit, ipseque electus, antequam huiusmodi debita persolverit, extra eandem curiam fuerit vita functus,[3]) ac iuxta consuetudinem ipsius Pragensis ecclesie et archiepiscopatus Pragensis hactenus fuerit observatum, quod, quocienscumque eidem ecclesie Pragensi fuit per sedem apostolicam de novo pastore provisum, eique huiusmodi pallium pro tempore assignatum, ei in relevamen onerum et expensarum, que ipse pro tempore occasione provisionis de se facte ipsi ecclesie Pragensi, et ut pallium huiusmodi assignaretur eidem, in curia ipsa seu alias eciam pro tempore habuit supportare, dilecti filii clerus civitatis et diocesis Pragensium certum caritativum subsidium communiter ‚pro pallio' nuncupatum, ad hoc sufficiens, illi efficaciter persolverunt, ipseque Nicolaus electus prefatum subsidium, quod ab huiusmodi clero iuxta eandem consuetudinem percipere debuit, non receperit, neque solutum sit eidem, et quia eciam

quidam ‚fumales' nuncupati et alii census, fructus et emolumenta, que post obitum bone memorie Wolframi archiepiscopi Pragensis, immediati predecessoris eiusdem Nicolai electi, usque ad tempus obitus ipsius electi racione archiepiscopalis mense provenerunt, et que eidem electo debebantur, ei assignata non fuerint, sed partim apud . . . . capitulum Pragense sive alios per huiusmodi capitulum ad hoc forte deputatos necnon eciam pro parte apud censuarios seu reddituarios diversos mense prefate, tam clericos quam laicos, utriusque sexus adhuc sive in deposito vel alias conserventur, ipseque electus tantum de bonis ad personam suam spectantibus non reliquerit, ut timetur, quod exinde creditoribus ipsis ex predictis contractis debitis congrue satisfieri posset, et per que valerent predicti fideiussores indemnes quoad eandem fideiussionem verisimiliter conservari, pro parte dictorum fideiussorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis oportune providere de speciali gracia dignaremur. Nos igitur attendentes, quod divisa in partes onera levius referantur, et equum reputantes ac congruum, quod iuxta eandem consuetudinem persone ecclesiastice civitatis et diocesis predictarum inter se ipsa onera parciantur in solucionem earundem expensarum, pro quibus iidem fideiussores, ut premittitur, obligantur, convertenda, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ab omnibus eisdem personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, dignitates ac[b]) ecclesiastica beneficia quecumque in eisdem civitate et diocesi obtinentibus, que persone, prout et iuxta eandem consuetudinem hactenus in talibus, ut premittitur, observatam eidem Nicolao electo, si vite superstes extitisset, solvere dictum subsidium tenerentur, a qualibet videlicet earum pro rata beneficium seu beneficia,[c]) que obtinent, contingente racione consuetudinis antedicte, necnon eciam ab eisdem capitulo et . . . . administratoribus in temporalibus ecclesie Pragensis, qui fuerunt, sunt aut erunt pro tempore sede vacante deputati seu eciam deputandi,[d]) et aliis quibuscunque, penes quos huiusmodi fumales et alii census, redditus et emolumenta in toto vel in parte deposita inveneritis, sive per quos coniunctim vel divisim a tempore huiusmodi obitus Wolframi tunc archiepiscopi usque ad tempus obitus electi predictorum sub quibuscunque modo vel forma ea per quoscunque[e]) recollecta fuerint, ab illis[f]) ac eciam a censuariis et redditu ariis huiusmodi quibuslibet, qui de dicto tempore adhuc tenentur in aliquibus ex huiusmodi fumalibus et aliis censibus, redditibus, qui eciam in festo s. Galli, et emolumentis, que eciam ipsi Nicolao electo racione mense predicte per eos solvi debebant, que omnia una cum bonis, si qua ipse Nicolaus electus ad personam suam tunc spectantibus reliquerit, si ad id sufficiant, alioquin eciam ultra huiusmodi subsidium per easdem personas et quamlibet earum persolvendum iuxta consuetudinem memoratam tantum ab eisdem personis iuxta constitucionem fel. rec. Benedicti pape XII. predecessoris nostri ac iuxta beneficiorum ipsorum exigenciam facultatum auctoritate nostra petatis et exigatis semel dumtaxat, quod ad id plene sufficiat, et quod in huiusmodi solucionem contractorum debitorum per eosdem procuratores et per ipsorum fideiussores totalem liberacionem et indemnitatis conservacionem ab obligacione predicta fideliter et integre decernimus convertendum, facientes hac vice auctoritate nostra huiusmodi subsidium et illud, quod amplius forsan decreveritis racione previa per easdem personas persolvendum, ad id sufficiens, eidem scolastico seu alteri, quem ipse vobis ad hoc duxerit nominandum, iuxta huiusmodi nostre

concessionis tenorem a predictis personis infra competentem terminum, quem .... eis ad hoc duxeritis prefigendum, integraliter exhiberi .... Nos enim vobis aggravandi processus, quos super hiis per vos haberi contigerit, quocienscumque opus erit, auctoritate nostra predicta tenore presencium concedimus facultatem, invocandi eciam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 108 fol. 83a — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. In marg. sin. etiam haec nota adscripta est: „Cassetur alia, cum reperietur, quia per istam corrigitur“ — Litterae eiusdem fere ad verbum tenoris, sed aliis iudicibus (decanis Misnensis et Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac s. Apollinaris Pragensis ecclesiarum) directae et datam „Rome ... duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo“ (1402 Novembris 20) habentes, in R. Lat. 113 fol. 126b cum notis consuetis (supra in marg.: „Jo. de Bononia“; in fine: „De mandato, Jac. de Teramo“) registratae sunt. Quae autem iuxta notam priori illi copiae adiunctam cassatae censendae esse videntur. — a) in Lat. 113 sequitur ‚forsan‘ b) ‚dignitates ac‘ om. Lat. 113 c) ‚beneficii seu beneficiorum‘ Lat. 108, ‚ipsa‘ Lat. 113 d) ‚administratoribus .... deputandi‘ om. Lat. 113 e) ‚per quoscunque‘ om. Lat. 113 f) in Lat. 113 sequitur: ‚apud quos adhuc existunt‘ — 1) Cf. nr. 1943 2) Nicolaus Puchník electus in archiepiscopum Pragensem 1402 Sept. 19 obiit.

1968. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Blasium [de Tescovicz] surroget ad omne ius, quod Petro Lausche in parrochiali ecclesia in Baworow tempore eius cessionis competebat, dictoque Petro parrochialem ecclesiam in Berniez per eundem Blasium resignatam conferat.*

Romae, 1402 Octobris 25.

Bonifacius .... magistro Johanni Caraczolo capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Apostolice sedis circumspecta .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Petri Lausche altaris s. Adalberti siti in parrochiali ecclesia in Nisa et Blasii Jastrambek parrochialis ecclesie in Rzewnicz Wratislauiensis et Pragensis diocesium rectorum peticio continebat, quod orta dudum inter ipsos super parrochiali ecclesia in Baworow Olomucensis diocesis, quam, tunc per obitum quondam Andree Bawarosky ipsius ecclesie in Bawarow rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Blasius se vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse canonice, ipsamque ecclesiam in Baworow sibi huiusmodi acceptacionis vigore deberi,[1]) dictumque Petrum se acceptacioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et fecisse, quominus gracia et acceptacio huiusmodi debitum sortite fuerint et sortirentur effectum, et quominus sibi de eadem ecclesia in Baworow provideretur, eundemque Petrum ipsam ecclesiam in Baworow et eius possessionem occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatam, Petrus vero prefati ipsam ecclesiam in Baworow ad se de iure spectare asserebant, materia questionis: nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta .... non esset, tibi ad instanciam dicti Blasii .... commisimus ...., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse.

Cum autem . . . . ad parcendum laboribus et expensis et pro bono pacis Petrus liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in dicta ecclesia in Baworow seu ad eam quomodolibet competenti et eius possessioni in finem, ut idem Blasius in iure et ad ius necnon possessionem huiusmodi surrogaretur, cedere, ac Blasius prefati prefatam ecclesiam in Rzewnicz, quam obtinet, in finem, ut eidem Petro conferatur, resignare sponte et libere proponant, nos . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eisdem Petro et Blasio vel procuratoribus eorum . . . . cessionem et resignacionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, eisque per te receptis et admissis, dictum Blasium, dummodo ipse in prefata ecclesia in Baworow, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, intrusus non fuerit, in iure et ad ius huiusmodi surroges . . . ., necnon de eadem ecclesia in Baworow, eciam si alio quovis modo . . . . vacet, provideas . . . ., necnon predictam et alias quascunque lites et causas super ipsa ecclesia in Baworow inter eosdem Petrum et Blasium quoquo modo motas et indecisas pendentes extunc eadem auctoritate declares et decernas penitus fore sopitas et eciam terminatas; et nichilominus predictam ecclesiam in Rzewnicz, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eciam si ipsa ecclesia in Rzewnicz actu alias quovis modo . . . . vacet . . . . . auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . ; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, Petrus predictum s. Adalberti et s. Katherine situm in parrochiali ecclesia in Racibor dicte Wratislauiensis diocesis altaria sine cura, quorum fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, necnon Blasius prefati quandam perpetuam vicariam eciam sine cura in ecclesia Poznaniensi obtinent, et nos dudum dicto Blasio de uno, duobus, tribus, quatuor vel pluribus ac tot . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, ... consuetis clericis secularibus assignari, quod eius aut eorum fructus . . . . ad summam centum marcharum argenti annuatim ascenderent, ... in Wratislauiensibus, Poznaniensibus et Olomucensibus civitatibus et diocesibus . . . . vacantibus aut . . . . vacaturis, per alias litteras nostras . . . . mandavimus provideri, quarum eciam litterarum vigore ipse Blasius canonicatum et prebendam dicte ecclesie Poznaniensis ac altare ss. Adalberti, Stephani et Katharine virginis situm in eadem ecclesia Poznaniensi . . . ., quorum omnium necnon dicte vicarie fructus . . . viginti marcharum argenti . . . . similiter valorem annuum non excedunt, acceptavit et sibi fecit eciam provideri de eisdem; aut quod dictus Petrus, ut asseritur, ydeoma, quod parrochiani dicte ecclesie in Rzewnicz communiter loquuntur, perfecte non intelligit nec intelligibiliter loqui scit. Nos enim cum eodem Petro, ut ipsam ecclesiam in Rzewnicz . . . ., recipere et retinere libere et licite possit, quod huiusmodi ydeoma, ut prefertur, non intelligit nec intelligibiliter loqui scit, ac constitucionibus et ordinacionibus apostolicis et aliis quibuscunque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 9 fol. 252a — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1908.

***1969**. Auditori apostolico mandatur, quatenus Venceslaum Zidek surroget ad omne ius, si quod Nicolao Puchnikonis tempore eius obitus in prebenda ecclesiae s. Georgii in castro Pragensi competebat.*

Romae, 1402 Octobris 25.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Sidenberg capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenceslaus Zidek rector parrochialis ecclesie s. Marie in Lacu Maioris ciuitatis Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum [et] quondam Nicolaum Puchikonis (*sic*) electum Pragensem super perpetuo beneficio ‚prebende' nuncupato in ecclesia monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti, in qua preter . . . . abbatissam et conventum eiusdem monasterii nonnulli seculares clerici perpetui beneficiati ‚canonici' nuncupati existunt, de quo, tunc per obitum quondam Caroli de Skalicz in ipsa ecclesia s. Georgii perpetui beneficiati extra Romanam curiam defuncti vacante, Wenceslaus sibi auctoritate [apostolica] graciose et canonice mandatum fuisse provideri, ac ipsum beneficium vigore gracie et mandati huiusmodi sibi deberi, dictumque Nicolaum se gracie et mandato huiusmodi contra iusticiam opposuisse et fecisse, quominus gracia et mandatum predicta debitum sortirentur effectum, et quominus ipsi Wenceslao de dicto beneficio provideretur, seque in eodem beneficio intrusisse illudque occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatum, Nicolaus vero prefati dictum beneficium ad se de iure spectare asserebant, prout idem Wenceslaus adhuc asserit, materia questionis: nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad instanciam dicti Wenceslai . . . . commisimus . . . . Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, postquam tu ad nonnullos actus in causa huiusmodi citra tamen conclusionem inter partes ipsas processeras, nosque de persona prefati Nicolai ecclesie Pragensi, tunc pastore carenti, auctoritate apostolica prouideramus, preficiendo ipsum eidem Pragensi ecclesie in episcopum et pastorem, prefatus Nicolaus in possessione dicti beneficii existens, antequam munus consecracionis sibi impenderetur, ac tempus de consecrandis episcopis a canonibus diffinitum lapsum foret, extra Romanam curiam extiterit vita functus, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Wenceslaum . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod dicto Nicolao in huiusmodi beneficio seu ad illud tempore huiusmodi obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Wenceslao non competere et Nicolao prefatis, dum vixit, non competiisse ius in beneficio antedicto, beneficium predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Wenceslao auctoritate nostra conferas et assignes . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Wenceslaus, ut asserit, dictam ecclesiam b. Marie ac altare s. Grisogoni in maiori ecclesia Pragensi, quorum fructus . . . . viginti unius marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 99 fol. 37b - Supra in marg. sin. F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1970. *Uniones parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Brunna tam monasterio in Oslavia quam ecclesiae s. Petri in Brunna factae motu proprio revocantur, dictaque ecclesia s. Jacobi in pristinum statum restituitur.*

Romae, 1402 Octobris 26.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Apostolice sedis providencia circumspecta nonnumquam gesta et ordinata per eam cassat, revocat et annullat et illa, ut licium dispendia presertim inter personas ecclesiasticas summoveri et scandala inter Christi fideles evitari valeant, in melius commutat, prout varietatibus temporum et commoditatibus subditorum diligenter attentis id conspicit salubriter et utiliter expedire. Dudum siquidem fel. rec. Alexandro pp. IIII. predecessori nostro pro parte abbatisse et conventus monasterii Vallis s. Marie de Osslauia cisterciensis ord. Olomucensis diocesis, que tunc erant, exposito, quod, cum clare memorie Primisslaus rex Bohemie ius patronatus, quod in ecclesia s. Jacobi de burgo Bunonensi (*sic*) dicte diocesis obtinebat, de assensu Olomucensis episcopi, qui tunc erat, regia eisdem abbatisse et conventui liberalitate donasset intuitu pietatis, tandem dictus episcopus circa dictas abbatissam et conventum dirigens benignitatis affectum, diligenti deliberacione prehabita eisdem abbatisse et conventui auctoritate ordinaria concesserat, ut dictam ecclesiam tunc vacantem, cuius collacio ad eum spectaverat, cum iuribus et pertinenciis suis in earundem abbatisse et conventus usus proprios retinere possent, deputata de proventibus ipsius ecclesie vicario ibidem perpetuo servituro pro sustentacione sua et episcopalibus iuribus persolvendis et supportandis eius consuetis oneribus congrua porcione, prefatus predecessor quod ab eisdem rege et episcopo super premissis pie ac provide factum erat ratum et firmum habens, non obstante, quod ad hoc assensus Olomucensis capituli minime intervenerat, auctoritate apostolica confirmavit et suarum litterarum scripti patrocinio communivit. Et deinde per nos accepto, quod abbatissa et conventus predicti postmodum predictam ecclesiam huiusmodi donacionis, concessionis, confirmacionis et communicionis vigore assecute, eam per multos annos tenuerant et possederant pacifice et quiete, quodque, cum postmodum quondam Johannes dictus Hanko prefatam ecclesiam tunc regens assereret se in partibus illis beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura vacans aut vacaturum auctoritate litterarum apostolicarum sibi concessarum exspectare, dictamque ecclesiam tunc vacavisse et sub gracia sua comprehendi posse, et eam huiusmodi litterarum et gracie vigore acceptasse, et de illa sibi provisum extitisse, eedem abbatissa et conventus ex certis causis consenserant, ut ipse Johannes eandem ecclesiam ad suam vitam in titulum reciperet et teneret ac ipsis abbatisse et conventui ex ea certam pensionem singulis annis ministraret, prout eciam idem Johannes eandem ecclesiam assecutus, eam per quamplures annos in titulum tenuerat et possederat ac tenebat et possidebat, dum ageret in humanis, prefatis abbatisse et conventui ex ea singulis annis huiusmodi pensionem annuam ministrando, et super hoc

a sede apostolica quasdam confirmacionis sive nove provisionis litteras dicebatur impetrasse; ac per nos accepto, quod a nonnullis asserebatur tam propter premissa quam eciam pro eo, quod idem Johannes noster et sedis apostolice capellanus extiterat, super dicta ecclesia post cessum vel decessum ipsius Johannis ipsas abbatissam et conventum molestari vel impediri posse, nos motu proprio .... auctoritate apostolica per nostras litteras eisdem abbatisse et conventui indulsimus, ut cedente vel decedente dicto Johanne vel alias quomodolibet dictam ecclesiam dimittente liceret ipsis eandem ecclesiam et eius possessionem auctoritate propria, alicuius super hoc licencia minime requisita, apprehendere et in usus suos perpetuo retinere ac fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesie in supportacionem onerum ipsis et eidem monasterio incumbencium deputare ac curam parrochianorum ipsius per ydoneos sacerdotes, per abbatissam eiusdem monasterii pro tempore existentem dumtaxat ac ad eius nutum ponendos et amovendos, regi facere, super hoc diocesani loci pro tempore existentis seu cuiuslibet alterius licencia vel consensu minime requisitis, ita tamen, quod in dicta ecclesia deserviretur laudabiliter in divinis et huiusmodi pro tempore cura diligenter exerceretur, quodque prefate abbatissa et conventus episcopalia iura solvere et alia eidem ecclesie incumbencia onera consueta tenerentur integre supportare. Voluimus eciam et predicta apostolica auctoritate decrevimus, quod, si per nos vel auctoritate nostra eandem ecclesiam s. Jacobi alicui mense vel alteri ecclesie seu monasterio vel loco regulari imposterum forsan uniri, annecti vel incorporari seu prefatam concessionem revocari contingeret, quod per huiusmodi unionem, annexionem et incorporacionem ac revocacionem indulto seu concessioni huiusmodi nullatenus derogaretur, nisi in litteris super huiusmodi incorporacione seu revocacione faciendis de predictis nostris litteris de verbo ad verbum ac de ipsarum toto tenore specialis et expressa mencio haberetur, et alias in eis clare appareret per nos eisdem litteris nostris velle ex certa sciencia derogare.[1]) Et subsequenter, cum prefatus Johannes adhuc ageret in humanis et dicte ecclesie tamquam rector preesset, nos ecclesiam ipsam ac perpetuum beneficium curatum „plebaniam“ nuncupatum in ecclesia s. Petri in **Brunna dicte diocesis cum omnibus iuribus et pertinenciis suis mense ....** prepositi et capituli eiusdem ecclesie s. Petri in relevamen onerum ipsis preposito et capitulo ac ecclesie s. Petri incumbencium auctoritate apostolica per alias nostras litteras univimus, annexuimus et incorporavimus, ita quod ceden**tibus vel decedentibus .... ipsius ecclesie parrochialis rectore ac perpetuo** beneficiato „plebano“ nuncupato in ecclesia s. Petri predicta vel alias parrochialem ecclesiam et beneficium huiusmodi quomodolibet dimittentibus, liceret eisdem **preposito et capitulo** possessionem corporalem parrochialis ecclesie et beneficii ac iurium et pertinenciarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo licite retinere, illaque per canonicos dicte ecclesie s. Petri vel alios ydoneos presbyteros ad nutum eorundem prepositi et capituli ecclesie s. Petri ponendos et amovendos regi facere omnesque fructus, redditus et proventus parrochialis ecclesie et beneficii predictorum in usus eorum ac in supportacionem onerum predictorum convertere et eciam deputare, ac rectori, si parrochiali ecclesie, et perpetuo beneficiato „plebano“ nuncupato prefatis, si perpetuo beneficio predictis pro congrua porcione sibi per prefatos prepositum et capitulum

assignanda libere cedere vellent, cessiones easdem licite faciendi, ac eisdem preposito et capitulo cessiones huiusmodi recipiendi et admittendi, illisque receptis et admissis possessionem huiusmodi parrochialis ecclesie et beneficii predictorum apprehendendi, ut prefertur, auctoritate apostolica predicta concessimus facultatem. [2]) Et successive per quasdam alias nostras litteras quorundam excogitatis astuciis preter nostram sciencium, ut verisimiliter colligitur, extractas ac a stilo cancellarie nostre, prout ex earum tenore liquide apparet, non mediocriter deviantes dicimur motu et sciencia similibus declarasse nostre intencionis fuisse et esse dictam ecclesiam s. Jacobi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis abbatisse et conventui monasterii predictis dumtaxat voluisse et velle uniri illamque ad dictum monasterium pertinuisse et pertinere de iure, cum non fuisset nec esset voluntatis seu intencionis nostre indulto et litteris apostolicis ipsis abbatisse et conventui, ut premittitur, concessis voluisse seu velle in aliquo derogare, et nichilominus eadem sciencia, motu simili et eadem auctoritate ecclesiam s. Jacobi predicto monasterio perpetuo univisse, annexuisse et incorporasse, ita quod liceret extunc eisdem abbatisse et conventui per se vel alium seu alios corporalem ipsius ecclesie s. Jacobi iuriumque et pertinenciarum predictorum possessionem propria auctoritate apprehendere et perpetuo licite retinere, alicuius licencia super hoc minime requisita, non obstantibus dictis litteris per eosdem prepositum et capitulum impetratis seu quibuscumque aliis indultis sub quacumque forma vel expressione verborum, que eisdem litteris ipsis abbatisse et conventui concessis dicimur voluisse non obstare seu quomodolibet derogare, sed ea pocius ex certa sciencia et plenitudine potestatis dicimur revocasse, et si per nos vel auctoritate nostra eandem ecclesiam s. Jacobi alicui mense vel alteri ecclesie seu monasterio vel loco regulari seu cuicumque persone uniri, annecti vel incorporari seu ipsas concessionem et unionem imposterum revocare contingeret, voluisse, quod per huiusmodi unionem, annexionem, incorporacionem et revocacionem eisdem litteris ipsis abbatisse et conventui concessis nullatenus derogaretur, quominus huiusmodi unio, annexio et incorporacio et omnia supradicta haberent plenariam efficaciam et roboris firmitatem, nisi in litteris super huiusmodi incorporacione seu revocacione faciendis de eisdem ultimis litteris ac de omnibus et singulis in eis contentis de verbo ad verbum ac ipsarum toto tenore specialis et expressa mencio haberetur cum expressione tocius oracionis dominice et ‚ave Maria', ne circumveniri possemus, et in eis clare appareret nos ipsis ultimis litteris voluisse ex certa sciencia derogare per claram ac expressam insercionem earundem, certis super execucione huiusmodi ultimarum litterarum cum potestate monendi dictos prepositum et capitulum, ut sub certis penis et censuris ecclesiasticis tunc expressis possessionem dicte ecclesie s. Jacobi ipsis abbatisse et conventui libere dimitterent, et invocandi ad hoc, si opus foret, auxilium brachii secularis, per alias nostras litteras executoribus deputatis,[3]) prout in omnibus predictis litteris, quarum tenores presentibus haberi volumus pro expressis, dicitur plenius contineri. Verum, sicut ad nostram nuper fuit deductum noticiam, cum prepositus et capitulum prefati dicte ecclesie s. Jacobi, tunc per obitum prefati Johannis ultimi ipsius ecclesie s. Jacobi rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantis, possessionem iuxta predictarum litterarum eis concessarum continenciam et formam apprehendissent illamque assecuti

fuissent, abbatissa et nonnulle moniales dicti monasterii dictarum ultimarum litterarum ac processuum habitorum per easdem pretextu, laicali suffulte potencia, cum quibusdam suis satellitibus armatis quadam die ad ipsam ecclesiam s. Jacobi, dum ibidem missarum peragerentur solempnia, accedentes, sacerdotem tunc ibidem celebrantem, antequam missa peracta fuisset, ac alios presbyteros et ministros per dictos prepositum et capitulum pro divinis officiis et animarum cura in ipsa ecclesia s. Jacobi exercendis deputatos, non absque manuum inieccione in eos, dei timore postposito, ausu sacrilego temere violenta, a dicta ecclesia s. Jacobi more tyrannico expulerunt, et hiis malis non contente, sed adhuc ad peiora aspirantes, aliorumque iactura ditari satagentes, cameras sive cellas ipsorum presbyterorum et ministrorum invaserunt, et eorum ostiis violenter effractis, res et bona mobilia eorundem presbyterorum et ministrorum ibidem repperta secum in predam asportarunt, ac alia eisdem presbyteris [et] ministris intollerabilia dampna intulerunt prefatosque prepositum et capitulum dicta ecclesia s. Jacobi et eius possessione spoliarunt ac nonnullos alios enormes excessus et insolencias, nedum in ecclesiastice discipline vilipendium, verum eciam in gravem divine maiestatis offensam et Christi fidelium illarum parcium perniciosum exemplum notorie vergentes, quos longum esset per singula explicare, nefandis ausibus perpetrarunt, ortaque inter abbatissam et conventum ex parte una ac prepositum et capitulum predictos super ipsa ecclesia s Jacobi, quam quelibet parcium predictarum vigore incorporacionum, unionum et annexionum sibi, ut premittitur, factarum ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, ex altera materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dictorum prepositi et capituli ad sedem predictam legitime introducta, nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis ad instanciam eorundem prepositi et capituli . . . . Jacobo episcopo Aquilano, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, primo et deinde ex certis causis . . . . Anthonio episcopo Concordiensi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum eiusdem palacii de mandato nostro tenebat, ... commisimus . . . . Qui quidem Anthonius episcopus in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam unionem, annexionem et incorporacionem predictas eisdem abbatisse et conventui ac monasterio per nos, ut premittitur, factas et omnia inde secuta canonisando, dictam ecclesiam s. Jacobi abbatisse et conventui adiudicavit et super ea preposito et capitulo perpetuum silencium imposuit, cum condempnacione expensarum et fructuum sentenciam promulgavit; a qua pro parte prepositi et capituli predictorum ad sedem fuit appellatum antedictam, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia ipsius Anthonii episcopi interiecte . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, qui eciam tunc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenebat, prout tenet, commisimus . . . .; qui eciam in huiusmodi causa procedens, prefatam sentenciam per suam, ut dicebat, diffinitivam sentenciam confirmavit. Cumque ab eadem sentencia ipsius Nicolai episcopi pro parte dictorum prepositi et capituli fuisset ad sedem appellatum eandem, nos causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . Anthonio tituli s. Cecilie presbytero cardinali . . . . commisimus . . . ., idemque cardinalis ad nonnullos actus citra tamen conclusionem in causa huiusmodi inter partes predictas dicitur processisse. Cum autem uniones, annexiones, incorporaciones et concessiones supradicte nulla vera aut racionabili

causa subsistente facte fuerint, et sicut assercionibus et testimoniis fidedignorum didicimus, eadem ecclesia s. Jacobi parrochiam habet amplam et latam, pro cuius regimine propter magnam multitudinem parrochianorum eiusdem et divina officia exercenda in eadem octo presbyteri vix sufficiant, absurdum existeret, quod ecclesia ipsa monasterio seu mense huiusmodi appropriata foret, et per presbyteros ad nutum abbatisse monasterii seu prepositi et capituli ecclesie s. Petri predictorum pro tempore existencium ponendos et amovendos regi deberet, ac ob premissa eciam inter volgares nonnulla opprobriosa scandala, dissensiones, rixe, oblocuciones, personarum volneraciones et pericula sint exorta ac graviora, nisi super hoc de celeri per sedem eandem provideatur remedio, exoriri posse verisimiliter formidentur, nos, qui de premissis omnibus et singulis relacione veridica effecti fuimus cerciores, statum cause predicte ac processuum et omnium premissorum tenorem habentes presentibus pro expresso ac super hiis, prout ex debito nobis incumbit ministerii pastoralis, motu proprio . . . . providere volentes, premissis et aliis racionabilibus causis suadentibus et animum nostrum moventibus, uniones, annexiones, incorporaciones et concessiones predictas, tam abbatisse et conventui ac monasterio quam eciam preposito et capitulo ac eorum mense predictis de ipsa ecclesia s. Jacobi, ut premittitur, factas, quoad eandem ecclesiam s. Jacobi dumtaxat ac predictas et quascunque alias litteras super illis confectas ac processus, penas et sentencias huiusmodi et quecunque in illis contenta ac omnia ex eis vel ab eis secuta, eciam si uniones, annexiones, incorporaciones et concessiones huiusmodi seu ipsarum aliqua effectum sortite existant seu existat, auctoritate apostolica tenore presencium ex certa sciencia cassamus, revocamus, irritamus, viribus vacuamus et nullius decernimus esse roboris vel momenti ac haberi volumus penitus pro infectis, ipsamque ecclesiam s. Jacobi in pristinum et eum statum, in quo erat ante uniones, annexiones, incorporaciones et concessiones antedictas, iure tamen patronatus eiusdem ecclesie s. Jacobi ipsis abbatisse et conventui semper salvo, ac unione, annexione et incorporacione de dicto perpetuo beneficio eidem mense, ut premittitur, factis in suo robore duraturis, restituimus et reponimus per presentes, prefatisque litteris super huiusmodi unionibus, annexionibus, incorporacionibus et concessionibus, ut prefertur, confectis ac quibuscunque aliis litteris et processibus inde secutis quoad dictam ecclesiam s. Jacobi in iudicio vel extra iudicium, ubicunque exhibite fuerint vel ostense, nullam penitus volumus fidem adhiberi, districcius inhibentes abbatisse et conventui ac preposito et capitulo prefatis, ne eisdem unionibus, annexionibus, incorporacionibus, concessionibus seu litteris vel aliis ipsarum occasione concessis seu inde secutis uti aut aliquid earum pretextu contra presencium tenorem attemptare presumant, eisdem unionibus, annexionibus, incorporacionibus, concessionibus, processibus, sentenciis et litteris ac constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Decernimus insuper exnunc irritum . . . ., si secus . . . . contigerit attemptari. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris pont. n. a. tercio decimo.

R Lat. 9 fol. 257a — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Vide nr. 1339. [2]) Nr. 1378. [3]) Vide nr. 1608; cf. etiam nros 1734 et 1831.

1971. *Balthasari s. Eustachii cardinali providetur motu proprio de parrochiali ecclesia s. Jacobi in Brunna.*

Romae, 1402 Octobris 26.

Bonifacius .... Balthasari s. Eustachii diacono cardinali .... Dum exquisitam .... Hodie siquidem ad nostram fuit deductum noticiam, quod orta dudum inter .... prepositum et capitulum ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis [diocesis] ex parte una ac .... abbatissam et conventum monasterii Vallis s. Marie de Oslauia cisterciensis ord. dicte diocesis super parrochiali ecclesia s. Jacobi de burgo Brunnensi eiusdem diocecis, que de iure patronatus eiusdem monasterii existebat, prout existit, tunc per obitum quondam Johannis dicti Hanko ipsius parrochialis ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, quam ipsi prepositus et capitulum vigore unionis, annexionis et incorporacionis eis et eorum mense capitulari de eadem parrochiali ecclesia auctoritate apostolica factarum se assecutos fuisse, abbatissa vero et conventus prefate eandem parrochialem ecclesiam ipsis et dicto eorum monasterio eadem auctoritate prius unitam, annexam et incorporatam fuisse, illamque ad se de iure spectare asserebant, ex altera materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et in palacio apostolico diucius ventilata, ipse abbatissa et conventus duas pro se et contra eosdem prepositum et capitulum diffinitivas sentencias reportarant, a quarum ultima extiterat ad sedem apostolicam appellatum, ac per nos accepto, quod uniones, annexiones et incorporaciones supradicte nulla racionabili causa subsistente facte fuerunt, quodque ob premissa eciam inter vulgares nonnulla opprobriosa scandala fuerant subsecuta, nos ex certis racionabilibus causis nostrum ad id animum inducentibus uniones, annexiones et incorporaciones predictas, tam preposito et capitulo ac eorum mense quam abbatisse et conventui et eorum monasterio prefatis de dicta parrochiali ecclesia factas, auctoritate predicta ex certa sciencia cassavimus .. ., eandem parrochialem ecclesiam disposicioni apostolice ea vice specialiter reservando ac decernendo extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari.[1]) Cum itaque secundum premissa eadem parrochialis ecclesia vacaverit et vacare noscatur ad presens ...., nos .... parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... motu proprio .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus .... Nos enim tecum, ut dictam parrochialem ecclesiam recipere et una cum ecclesia s. Eustachii de Urbe, que titulus tui cardinalatus existit, ac aliis .... beneficiis ecclesiasticis .... recipere et retinere libere et licite valeas ...., dispensamus .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris a. tercio decimo.

Simili modo .... Tudensi et .. Olomucensi episcopis ac .... abbati monasterii Zaberdowicensis prope Brunnam Olomucensis diocesis ....

R. Lat. 103 fol. 229[v] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1970.

1972. *Auditori apostolico mandatur motu proprio, quatenus Nicolaum [Šiška] de Maštov surroget ad omne ius, si quod Petro de Esculo aut Johanni de Muta tempore obitus eorundem in canonicatu et prebenda maioris ac praepositura s. Appollinaris Pragensium ecclesiarum competebat.*

Romae, 1402 Octobris 26.

Bonifacius . . magistro Brande de Castellione capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus de Maszczaw rector parrochialis ecclesie in Klakot Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Nuper siquidem ad nostri noticiam fuit deductum, quod orta dudum inter quondam Petrum de Esculo et quondam Johannem de Muta presbyteros super canonicatu et prebenda maioris ac prepositura s. Appollinaris Pragensium ecclesiarum, quos, tunc per obitum quondam Wenceslai Pauli de Jenczenstein . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantes, quilibet ipsorum Petri et Johannis se vigore quarundam litterarum apostolicarum cuilibet ipsorum graciose concessarum, prout ex ipsarum forma se posse dicebat, infra tempus legitimum acceptasse, et de illis sibi provisum fuisse, dictosque canonicatum et prebendam ac preposituram ad se vigore gracie, acceptacionis et provisionis predictarum spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere, ac Petrus dictum Johannem gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi dicti Petri contra iusticiam [se] opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus gracia, acceptacio et provisio predicte eiusdem Petri debitum sortite fuerint et sortirentur effectum, Johannes vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ac preposituram ad se de iure spectare asseruerant, prout tunc asserebant, materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad dicti Petri instanciam . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa contra Johannem prefatum ad nonnullos citacionis actus diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente Petrus, qui apostolice camere clericus ac familiaris noster et litterarum apostolicarum scriptor et abbreviator extitit, in civitate nostra Viterbiensi, loco utique ab alma Urbe, ubi tunc cum nostra curia residebamus, prout residemus, ultra duas dietas legales non distante, et Johannes prefati extra dictam curiam fuerint vita functi, nos, ne canonicatum et prebendam ac preposituram predictos absque canonico titulo detineri contingat, super hoc providere dictoque Nicolao, qui presbyter est, ... specialem graciam facere volentes . . . ., motu proprio . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus eundem Nicolaum, qui, sicut nobis innotuit, olim vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas ei de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, ... vacantibus aut vacaturis, eciam si alterum ipsorum curatum aut dignitas, personatus seu officium et ambo beneficia huiusmodi canonicatus et prebende in metropolitana, cathedrali vel collegiata foret seu forent, dummodo dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis non foret, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis necnon . . . . prepositi, decani, scolastici, archidiaconi singulorumque canonicorum et personarum dicte maioris ecclesie . . . . pertinentibus graciose mandavimus providere, ipsumque omnibus, eciam auctori-

tate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis commensalibus voluimus anteferri, canonicatum et prebendam predictam huiusmodi maioris ecclesie, qui per obitum dicti Johannis, tunc in humanis ac in remotis agentis, vacare dicebantur, acceptavit et sibi de illis provideri ac in eorum possessionem se induci fecit . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod cuilibet dictorum Petri et Johannis in canonicatu et prebenda ac prepositura predictis seu ad eos tempore obitus eorundem quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; et nichilominus canonicatum et prebendam ac preposituram predictos, quorum fructus . . . . centum marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... dicto Nicolao eadem auctoritate conferre et assignare procures . . . . Nos enim cum eodem Nicolao, ut eandem preposituram, si curata, dignitas aut personatus sit et ei presencium vigore conferatur, recipere et una cum parrochiali ecclesia predicta, quam obtinet, et cuius fructus . . . . viginti marcarum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, usque ad quinquennium retinere libere et licite valeat, auctoritate predicta motu simili . . . . dispensamus, proviso . . . ., quod . . prefatus Nicolaus alteram ex parrochiali ecclesia et prepositura predictis infra huiusmodi quinquennium pro aliquo beneficio cum ipsarum reliqua compatibili permutare, alioquin parrochialem ecclesiam predictam . . . . dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris a. tercio decimo.

R. Lat. 99 fol. 25a. Supra in marg. sin. JO. DE BONONIA; in fine: N. L DE BENEVENTO.

1973. *Antonio tituli s. Caeciliae presbytero cardinali motu proprio conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei nuper Pragensis et s. Georgii in castro Pragensi ac s. Petri Vyšehradensis*[a]) *prope Pragam ac Olomucensis ecclesiarum canonicatus et praebendae necnon parrochialis ecclesia in Jemnicz Olomucensis dioc., quae per consecrationem Nicolai electi Pragensis vacare sperabantur, et quorum omnium fructus 125 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, reservata fuerunt,*[1]) *valeant, etiam si dicta parrochialis ecclesia de iure patronatus laicorum existat, et super aliquo vel aliquibus ex eisdem canonicatibus et praebendis ac parrochiali ecclesia lis in dicta curia vel alibi inter aliquos remanserit seu pendeat indecisa, et etiam si fortasse canonicatus et praebendae ac parrochialis ecclesia huiusmodi interim per obitum praefati electi vacaverint. „Dum exquisitam“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a. tercio decimo.“*

Romae, 1402 Octobris 28.

R. Lat. 103 fol. 224a. a) ‚Vicegraden' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1944.

1974. *Antonio tituli s. Caeciliae presbytero cardinali mandatur, quatenus, si per eventum litis in palatio apostolico diutius ventilatae ei constiterit, neque An-*

dreae Nawogii [de Magna Rudna] rectori parrochialis ecclesiae in Luborzicza[a]) *Cracoviensis dioc., neque Petro Adalberti de Kobylin,*[b]) *neque Nicolao Sbignei in certis canonicatu et prebenda ecclesiae Cracoviensis ius competere, eosdem canonicatum et prebendam praefato Andreae auctoritate apostolica conferat, non obstante, „quod idem Andreas, ut asseritur, dictam parrochialem ecclesiam et canonicatum et prebendam ecclesie s. Egidii Cracouiensis necnon altare b. Marie situm in ecclesia s. Thome in Ratibor obtinet, et quod super altari s. Thome eciam sine cura sito in ecclesia Cracouiensi ac super Kilciensis in dicto palacio litigat necnon super Kurzelouiensis Gneznensis et dicte Cracouiensis diocesium canonicatibus et prebendis . . . . in eodem palacio intendit litigare,*[1]) *et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende Wratislauiensis ecclesiarum graciose concessimus prouideri. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. quarto decimo."*

Romae, 1402 Novembris 10.

R Lat. 113 fol. 26[a] — a) ‚Luboricza' b) ‚Cobelino' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1881.

1975. *Judicibus mandatur, quatenus Gallo de Parvo Strelicz parrochialem ecclesiam in Lindenwiese conferant.*

Romae, 1402 Novembris 10.

Bonifacius . . . . episcopo Melfiensi et . . . abbati monasterii b. Marie virginis in Arena Wratislauiensis diocesis ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Gallus Runkonis de Paruo Strelicz presbyter Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Galli peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Lindenweze dicte diocesis, quam quondam Petrus . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Gallus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislauiensis [collacionem] . . . . pertinens expectabat, dictam ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dicti . . episcopi dumtaxat pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit, quamvis de ea infra mensem a tempore acceptacionis huiusmodi computandum, prout iuxta quandam ordinacionem et constitucionem nostras super hoc editas tenebatur, sibi non fecerit provideri. Cum autem, sicut accepimus, dicta ecclesia adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Gallo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 51ª — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: PRO DEO, N DE BENEVENTO.

1976. *Ad ampliationem parrochialis ecclesiae in Krummau manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1402 Novembris 10.

Bonifacius . . . . universis . . . . Ecclesiarum fabricis . . . . Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Chrumpnaw Pragensis diocesis in eius structura parva sit, et . . . . Hostislaus rector ‚plebanus' nuncupatus dicte ecclesie eandem ecclesiam ampliare proponat, nos cupientes, quod huiusmodi propositum dicti rectoris ad effectum debitum perducatur . . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui pro ampliacione huiusmodi vel ad fabricam dicte ecclesie manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Et insuper ut huiusmodi fabrica cicius perficiatur, rectori prefato et eius successoribus, eiusdem ecclesie rectoribus, qui pro tempore erunt, mittendi presentes litteras per civitatem et diocesim Pragenses dumtaxat per questuarios auctoritate apostolica . . . . indulgemus, huiusmodi presentibus litteris post decennium minime valituris . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 125ª — Supra in marg. sin.: JO DE BONONIA; in fine: N XX DE BENEVENTO.

1977. *Ecclesiam domus s. Adalberti Vratislaviensis ord. fratrum praedicatorum in festivitate resurrectionis domini et per duos dies sequentes visitantibus illa indulgentia conceditur, quam visitantes ecclesiam s. Mariae in Portiuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo et secundo diebus Augusti quomodolibet consequuntur; priori vero dictae domus et octo aliis presbyteris per eum eligendis indulgetur, ut confessiones Christi fidelium ad dictam ecclesiam huiusmodi indulgentiae causa confluentium auctoritate apostolica audire possint. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. quarto decimo."*

Romae, 1402 Novembris 12.

R. Lat. 113 fol. 100ª – Supra in marg. sin.: BERTOLDUS; in fine: N. CXX DE BENEVENTO.

1978. *Abbati monasterii in Alto Vado cisterciensis ord. Pragensis dioc. eiusque successoribus indulgetur, ut insigniis pontificalibus uti possint. „Exposcit vestre" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. quarto decimo".*

Romae, 1402 Novembris 13.

R. Lat. 109 fol. 28ª — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — Ed. Pangerl, Urkundenbuch von Hohenfurt (Font. rer. Austr. Abth. II. Bd. 23) nr. 193.

1979. *Henrico de Rosenberg ius patronatus infrascriptarum parrochialium ecclesiarum conceditur.*

Romae, 1402 Novembris 13.

Bonifacius . . . . nobili viro Henrico de Rosenbergh baroni Pragensis diocesis . . . Exigit sincere devocionis integritas, qua nos et Romanam ecclesiam revereris, ut personam tuam et per eam natos ac heredes et successores tuos in illis presertim, que ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum commodum et utilitatem respiciunt, apostolicis favoribus et graciis prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim [in] Rosenbergh et in Alto Uado ac in Misslan et in Stropnicz necnon in Rosental et in Rychnow ac in Horzich et in Borsow[a]) et in Stryczycz[b]) ac in Przicdol[c]) Pragensis diocesis parrochiales ecclesie, in territorio tibi in temporalibus subiecto consistentes, per progenitores tuos fundate et dotate fuerunt, quodque ex eo, quod quandoque illis preficiuntur persone minus ydonee, ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus paciuntur interdum non modicum detrimentum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu ecclesiis ipsis non modica bona feceris, easque, si ius patronatus et presentandi rectores vel personas ydoneas ad illas tibi ac huiusmodi tuis natis et heredibus ac successoribus concederetur, augmentare proponas, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi tuisque natis et heredibus ac successoribus legitimis huiusmodi ius patronatus concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque . . . . ius patronatus et presentandi rectores vel personas ydoneas ad easdem parrochiales ecclesias, quociens eas simul vel successive vacare contigerit, abbati monasterii in Alto Uado cisterciensis ord. dicte diocesis pro tempore existenti, cum ad abbatem dicti monasterii pro tempore existentem collacio dictarum ecclesiarum, ut asseritur, pertinere noscatur, tibi ac natis et heredibus ac successoribus tuis predictis imperpetuum reservamus illudque tibi ac natis et heredibus necnon successoribus antedictis concedimus et donamus, ita quod cedentibus vel decedentibus simul vel successive rectoribus dictarum parrochialium ecclesiarum . . . ., liceat tibi ac natis et heredibus necnon successoribus eisdem personas ydoneas ad easdem parrochiales ecclesias . . . . dicto abbati vel illi aut illis, ad quem vel ad quos collacio . . . . ipsarum parrochialium ecclesiarum pertinet de consuetudine vel de iure, presentare, ac eidem abbati vel . . . . illis . . . ., ad quos collacio . . . . huiusmodi pertinet . . . ., personarum ydonearum, per te ac natos et heredes necnon successores predictos, ut premittitur, presentandarum[d]), si presentaciones huiusmodi alias sint canonice, presentaciones easdem admittere . . . . Volumus autem, quod, nisi prius easdem ecclesias in fructibus, redditibus et proventibus earundem competenter augmentaveris, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. quarto decimo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio principis de Schwarzenberg in Krummau sub I. 3 P. nr. 24 b exstat, cuius copiam dom. Gross mihi praestitit. Supra plicam ad dext. scriptum est: REGISTRATA GRATIS PRO OFFICIO. HENRICUS VIII. — Registratum in R. Lat. 113 fol. 125b, ubi supra in marg. sin adscriptum est: BERTOLDUS; in fine autem: N. C DE BENEVENTO. — a) ‚Borsole' Lat. b) ‚Striczicz' Lat. c) ‚Pizredol' Lat. d) ‚personas ydoneas . . . presentandas' or.

1980. *Henrico de Rosenberg licentia monasterium s. Clarae in Krummau cum uxore et aliis sex personis ingrediendi conceditur.*

Romae, 1402 Novembris 13.

Bonifacius . . . . nobili viro Henrico de Rosenberch baroni Pragensis diocesis . . . . Devotionis tue sinceritas . . . . Dudum siquidem tibi ingrediendi cum quinque personis honestis, quas duceres eligendas, quater in anno monasterium s. Clare in Crumpnaw ordinis eiusdem sancte Pragensis diocesis, dummodo illarum, que dicto monasterio preessent, ad id accederet assensus, et tu dicteque persone ibidem non commederetis neque pernoctaretis, per nostras litteras duximus indulgendum . . . . Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ad prefatum monasterium, quod, ut asseris, per progenitores tuos fundatum extitit, singularem geris devotionis affectum; quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi cum uxore tua et sex personis ad id per te eligendis monasterium ipsum totiens, quotiens volueris, ingredi et ibidem commedere valeatis, licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tibi cum huiusmodi uxore vel sine et cum sex personis honestis, quas elegeris, utriusque sexus prefatum monasterium totiens, quotiens malueris, ingrediendi et inibi commedendi, absque tamen onere dicti monasterii, dummodo ibidem non pernoctetis et earum, que ipsi monasterio prefuerint, ad id accedat assensus, devotioni tue auctoritate apostolica . . . indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris pont n. a. quarto decimo.

Originale cum bulla in filo serico in archivio Trebonicnsi Famil. Rosenberg Literabth. 2 Nr. 7) exstat, cuius copiam dom Krejčík mihi praestitit. Juxta eandem copiam originali hae notae inscriptae sunt: (sub plica sin.) NOVEMBRIS, XXIIII, M. DE SANCTA AGATHA, JA. DE PAPIA; sub plica dext. JO DE BONONIA; supra plicam P. MANFI IIII.; in (tergo): R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO] — Registratum in R. Lat. 113 fol. 123a, ubi supra in marg. sin. adscriptum est: JO. DE BONONIA, in fine autem: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1981. *Cantori ecclesiae Misnensis mandatur, quatenus Johanni de Lubavia canonico ecclesiae Budissinensis conferat maiorem praebendam eiusdem ecclesiae, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit.*

Romae, 1402 Novembris 13.

Bonifacius . . . . cantori ecclesie Misnensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Johannis Richinbach de Lubauia canonici ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis diocesis peticio continebat, quod olim canonicatu et maiori prebenda ecclesie s. Petri predicte, in qua maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, quos quondam Otto de Kettelicz . . . . obtinebat, per ipsius Ottonis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Johannes, tunc unam ex huiusmodi mediis prebendis obtinens, eandem maiorem prebendam sic vacantem iuxta ipsius ecclesie consuetudinem infra tempus legitimum optavit ac eius possessionem huiusmodi opcionis vigore extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . idem Johannes du-

bitet opcionem et assecucionem huiusmodi .... viribus non subsistere ...., nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... dictum Johannem ad obtinendum prefatam maiorem prebendam ydoneum esse repereris .. , eandem maiorem prebendam, cuius necnon canonicatus eiusdem ecclesie fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus ..., quod idem Johannes, ut asserit, in Wratislauiensi s. Anne et in s. Sepulchri dominici Legnicensi ss. Nicolai et Martini ac in Senftinberg s. Nicolai Wratislauiensis et dicte Misnensis diocesium ecclesiis altaria, que sine cura sunt, et quorum omnium fructus .... eciam duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 59ª — Supra in marg. sin.: CAN|CELLA|RIA; in fine: X. XXII DE BENEVENTO.

***1982**. Cum Johanne de Waltherivilla dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1402 Novembris 16.

Bonifacius .... Johanni de Waltheriuilla presbytero Pragensis diocesis .... Sedes apostolica pia mater .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim instante quadam festivitate in parrochiali ecclesia de Walteriuilla Pragensis diocesis celebranda, ad quam iuxta morem patrie prelati et aliarum ecclesiarum rectores et clerici plerumque de partibus circumvicinis convenire et cum rectore eiusdem ecclesie de Walterinilla, quam tu tunc obtinebas, in prandio remanere consueverunt, te ad comparandum et procurandum necessaria et requisita pro tuis hospitibus decenter in huiusmodi festivitate recipiendis una cum quondam Hanczlino laico, tibi in secunda consanguineitatis linea attingente, ac eius uxore ad oppidum Glocz dicte diocesis in quodam curru, quem idem laicus ducebat, transtulisti; expeditis autem negociis in via de eodem oppido ad domum redeundo, idem laicus nescitur, quo ductus spiritu, sed forsan semiebrius, stans in terra cum curru, te vituperare incipiens dixit: ‚maliciose sacerdos, tu fecisti, quod hodie meum non vendidi equum; es enim ut mulier, non celare sciens, dixisti coram emptore meum equum non in Ottendorff sed in Newroda, ubi communiter equi valoris modici nutriuntur, nutritum fuisse, verum dixisti, sed cur hoc tacere nequivisti?' et continuo contra te, qui huiusmodi verba predicto emptori non animo impediendi vendicionem ipsius equi aut faciendi dampnum eidem laico inadvertenter et non avisatus, sicut verum erat, dixeras, insurgens, et non pauca opprobriosa verba tibi maledicendo proferens, ac currum, nolens ipsum ulterius minare, in via dimittendo; cui tu aisti: ‚bone frater' de dei gracia habemus in domo pabulum et fenum pro equo isto ad aliquot dies nutriendo, cesset materia hec, postea vendemus eum': et cum idem laicus plus importune contra te insurgeret, tu, qui eciam competenter potaveras, ipsi laico obviare volens ac eius equum de curru solvens, ad ipsum dixisti: ‚ecce tibi equum tuum et vadas, quo vis, me autem

in pace dimittas!' quodque interim ipse laicus retro magnum evaginans cultellum, te per duos pileos, quos in capite gerebas, ad caput percussit et in auricula te vulneravit, tuque propterea totaliter perterritus, te ad ipsum vertens et quendam parvum cultellum ad manum recipiens teque defendere cupiens, alta ei voce dixisti, ut te dimitteret, quia iam te leserat, uxore eius in eum multo magis, ut finiret, clamante, et cum ipse laicus eo vehemencius in te irrueret, teque in manu dextera iuxta pollicem graviter vulnerasset, et utique, ut apparuit, te interficere quereret, tu nesciens, quo modo alias manus eius evaderes, quandam lanceam parvam de curru arripiens, cum ea ipsum laicum in latere vulnerasti, propter quod idem laicus forcius commotus, te interficere querens, avidus te invasit teque in manu vulneratum et te defendere non potentem, nisi dicta uxor eum tenuisset, ipse te verisimiliter interfecisset; et sic successive ab utraque parte vulnerati et fessi de premissis hinc inde modicum dolentes, alter alterum in pace dimisistis, ipsumque laicum extunc ad dictum oppidum, quod non multum distabat, libere in curru predicto duxisses, si dolores huiusmodi in curru sufferre potuisset; et deinde vobis ad domum reversis in crastino inter vos amicabiliter reconciliati et amici facti alter alteri iniuriam sibi illatam voluntarie remisistis; et sic successive predictus laicus ex huismodi vulnere sibi per te inflicto, ut dicitur, expiravit, tuque cum ipsius laici fratre et aliis consanguineis et amicis te eciam amicabiliter composuisti. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tecum super irregularitate, quam propter premissa incurristi, dispensare et alias tibi tuoque statui super hiis de oportuno remedio providere .... dignaremur. Nos igitur .... omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica .... penitus abolemus, ac tecum super irregularitate, quam propter premissa incurristi, quodque in susceptis ordinibus ministrare ac beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, ut antea poteras, recipere et retinere libere et licite valeas ..., eadem auctoritate dispensamus. Volumus autem, quod usque ad annum a data presencium computandum a missarum celebracione omnino abstinere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 222c. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1983. *Johannes de Kbel canonicus Pragensis, decretorum doctor, cum omnibus suis beneficiis ecclesiasticis et quibuscunque bonis suis spiritualibus et temporalibus ab omni iurisdictione et potestate cuiuslibet diocesani et aliorum ordinariorum iudicum necnon regum, marchionum, baronum et aliorum quorumcunque prorsus eximitur et sub b. Petri et sedis apostolicae protectionem suscipitur. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Decembris a. quarto decimo." — Simili modo episcopo Litomyslensi[a] et Strahoviensis Pragensis ac Gradicensis prope Olomucz monasteriorum abbatibus.*

Romae, 1402 Novembris 18.

R. Lat. 118 fol. 208b — a) Luthomusleu'. — Supra in marg. sin.: Jo. DE BONONIA; in fine: N. XXXIIII. XXXVI DE BENEVENTO.

1984. *Cum Zbynkone [de Hasenburg] in archiepiscopum Pragensem instituendo dispensatur super defectu aetatis.*

Romae, 1402 Novembris 20. (?)

Bonifacius .... Sbinconi preposito ecclesie Melnicensis Pragensis diocesis .... Divina superveniens largitas .... Cum itaque nos ecclesie Pragensi ad presens pastoris solacio destitute de persona tua propter grandia dona virtutum, quibus personam ipsam novimus multipliciter insignitam, intendamus hodie providere, tuque paciaris in etate defectum, cum in vicesimo sexto tue etatis anno vel circiter constitutus existas,[1]) nos sperantes, quod tu per huiusmodi tua merita et alia tibi affutura suffragia, quibus suffultus existis, eris eidem ecclesie auctore domino multipliciter fructuosus, tecum, ut defectu premisso necnon Lateranensis statutis concilii et quibuscumque aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, curam, regimen et administracionem eiusdem ecclesie libere recipere illamque in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere licite valeas, auctoritate apostolica tenore presencium dispensamus .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo [kal. Decembris anno quarto] decimo.[a])

R. Lat 113 fol. 202[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: X. XX DE BENEVENTO. — a) Verba uncinis [ ] inclusa propter scripturae pallorem fere illegibilia sunt. — [1]) Cf. nr. 330.

1985. *Zbynkoni*[a]) *[de Hasenburg] nuper ecclesiae Pragensi auctoritate apostolica in archiepiscopum praefecto conceditur, ut praeposituram ecclesiae Mělnicensis Pragensis dioc., quam adhuc obtinebat, etiam postquam in archiepiscopum consecratus fuerit, et post lapsum temporis de consecrandis episcopis diffiniti usque ad beneplacitum sedis apostolicae una cum ecclesia Pragensi licite retinere possit.* „*Personam tuam*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo.*“

Romae, 1402 Novembris 20.

R. Lat. 113 fol. 197[a] — a) ‚Sbynconi‘ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1986. *Balthasari s. Eustachii cardinali reservatur praepositura ecclesiae Mělnicensis in brevi vacatura.*

Romae, 1402 Novembris 20.

Bonifacius .... Baldassarri s. Eustachii diacono cardinali .... Dum exquisitam .... Nuper siquidem ecclesie Pragensi tunc pastore carenti de persona ... Sbynconis electi Pragensis duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo eum eidem Pragensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem, et cum propterea prepositura ecclesie Melnicensis Pragensis diocesis, quam dictus electus

tempore provisionis huiusmodi obtinebat, prout obtinet, vacare speraretur, nos eidem electo . . . , ut preposituram predictam, eciam postquam esset in archi episcopum consecratus, et post lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti una cum dicta ecclesia Pragensi usque ad nostrum beneplacitum licite retinere posset, per nostras litteras duximus concedendum . . . .[1]) Cum itaque nos hodie concessionem huiusmodi . . . . auctoritate apostolica duxerimus revocandam, dictaque prepositura secundum premissa vacare speretur in brevi, nos tibi . . . . motu proprio . . . . preposituram predictam, eciam si in dicta ecclesia dignitas principalis et de iure patronatus regis et regine Boemie pro tempore existencium existat, ac ei cura immineat animarum, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, cuiusque fructus . . . trecentarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . Nos enim tecum, ut dictam preposituram libere recipere et una cum ecclesia s. Eustachii de Urbe ac aliis . . . . beneficiis ecclesiasticis . . . . licite retinere valeas, ... auctoritate predicta . . . . motu simili . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo.

Simili modo . . . episcopo Lucerino et . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis ac archidiacono Bechinensi in ecclesia Pragensi . . . .

R. Lat. 110 fol. 5[illegible] — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1985 [illegible].

1987. *Cum Laczkone de Kravař in episcopum Olomucensem instituendo dispensatur super defectu aetatis.*

Romae, 1402 Novembris 20.

Bonifacius . . . . Laczkoni de Crawar canonico Olomucensi . . . . Divina superveniens largitas . . . . Cum itaque nos ecclesie Olomucensi ad presens pastoris solacio destitute de persona tua propter grandia dona virtutum, quibus personam ipsam novimus multipliciter insignitam, intendamus hodie providere, tuque paciaris in etate defectum, cum in vicesimo octavo tue etatis vel circiter constitutus existas, nos sperantes, quod tu per huiusmodi tua merita et alia tibi affutura suffragia, quibus suffultus existis, eris eidem ecclesie auctore domino multipliciter fructuosus, tecum, ut defectu premisso necnon Lateranensis statutis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, curam, regimen et administracionem eiusdem ecclesie libere recipere illamque in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere licite valeas, auctoritate apostolica tenore presencium dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 202b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1988. *Johanni de Zlabings reservantur canonicatus et praebenda ecclesiae Olomucensis in brevi vacaturi.*

Romae, 1402 Novembris 20.

Bonifatius . . . . Johanni de Slawings canonico ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia . . . . Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quos . . . . Laczko electus Olomucensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Olomucensem . . . . obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem electo impendendum vacare sperentur, nos . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis obtines, et super parrochiali ecclesia in Marawiczan dicte diocesis, quorum omnium fructus . . . . viginti quinque marcharum eciam argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt; in partibus litigas, et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . prepositi, . . decani, . . archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum et personarum eiusdem ecclesie Olomucensis . . . . pertinens, eciam si canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie existerent, auctoritate litterarum nostrarum expectas, et nos nuper tibi de altari s. Cristofori sito in dicta ecclesia Olomucensi, tunc certo modo vacante, graciose concessimus provideri. Volumus autem, prout tu id sponte voluisti, quod, quamprimum . . . . dictorum canonicatus et prebende eiusdem ecclesie Olomucensis fueris possessionem pacificam assecutus, prefate littere, per quas huiusmodi beneficium, ut prefertur, expectas, ... et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo.

Simili modo . . . . Gradicensis et . . s. Marie Scotorum in Vienna Olomucensis et Patauiensis diocesium monasteriorum abbatibus ac . . . . officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 106 fol. 153b — Supra in marg. sin.. CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XIIII XVI DE BENEVENTO.

1989. *Wilhelmo Ivani clerico Traiectensis dioc. reservantur canonicatus et praebenda ecclesiae Pragensis, qui per consecrationem Laczkonis electi Olomucensis vacare sperantur, quorumque fructus 20 marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo.“ — Simili modo episcopo Ferentinatensi et abbati monasterii Strahoviensis Pragensis ac officiali Pragensi.*

Romae, 1402 Novembris 20.

R. Lat. 106 fol. 175a — Supra in marg. sin : CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

1990. *Johanni rectori parrochialis ecclesiae in Zee[1]) ord. fratrum de penitentia b. Mariae Magdalenae sub regula s. Augustini viventium professori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. quarto decimo*“.

Romae, 1402 Novembris 20.

R. Lat. 110 fol. 149[a] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO. — [1]) i. e. Seestadl (Rvenice).

1991. *Ludovico duci Bregensi[a]) Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Decembris a. quarto decimo.*“

Romae, 1402 Novembris 21.

R. Lat. 110 fol. 174[a] — [a]) Brigen' — In fine: N XX DE BENEVENTO.

1992. *Zbynkoni [de Hasenburg] nuper ecclesiae Pragensi auctoritate apostolica in archiepiscopum praefecto et in minoribus ordinibus constituto conceditur, ut a quocunque catholico antistite aliquibus diebus dominicis vel festivis etiam extra tempora a iure statuta subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines successive et ab eodem vel alio catholico antistite munus consecrationis recipere valeat.* „*Cum nuper*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. quarto decimo.*“

Romae, 1402 Novembris 22.

R. Lat. 113 fol. 198[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1993. *Laczkoni pridem ecclesiae Olomucensi auctoritate apostolica in episcopum praefecto conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus consecrationis recipere possit, ita tamen, ut archiepiscopo Pragensi, cui ecclesia Olomucensis metropolitico iure subesse dinoscitur, nullam praeiudicium generetur.* „*Cum nos pridem*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. quarto decimo.*“

Romae, 1402 Novembris 22

R. Lat. 113 fol. 198[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

1994. *Johanni duci Glogoviensi conceditur, ut in Maiore Glogovia capellam Corporis Christi fundare eamque consecrari et divina officia in ea celebrari facere possit.*

Romae, 1402 Novembris 23.

Bonifacius . . . . nobili viro Johanni duci medietatis oppidi Maioris Glogouie Wratislauiensis diocesis . . . . Piis fidelium votis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu zelo devocionis accensus . . . . de bonis tibi a deo collatis in oppido tuo Maioris Glogouie Wratislauiensis diocesis in loco ad id apto et congruo unam capellam, quam fundare incepisti in honorem et sub vocabulo Corporis Christi cum campana et campanili ac certis altaribus in eadem, ad id eciam . . . . rectoris parrochialis ecclesie dicti oppidi accedente consensu, finaliter fundare et construi facere illamque et altaria huiusmodi pro ydoneis presbyteris et clericis secularibus inibi domino perpetuo servituris de huiusmodi bonis tuis sufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi premissa adimplendi ac eciam huiusmodi capellam et altaria per aliquem catholicum antistitem, quem ad id duxeris eligendum, consecrari et in eadem capella, postquam sic constructa, dotata et consecrata fuerit, divina officia eciam cum nota celebrari et verbum dei proponi faciendi licenciam con[ce]dere, ac ius patronatus et presentandi personas ydoneas ad capellam et altaria huiusmodi proconsulibus et consulibus dicti oppidi, qui nonnulla bona in dicto oppido stabilia pro fundacione et construccione huiusmodi perficiendis pie sunt largiti, eorumque successoribus imperpetuum reservare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . devocioni tue capellam predictam cum campanili, campana et altaribus huiusmodi fundandi ac construi faciendi et dotandi ac capellam et altaria huiusmodi per aliquem catholicum antistitem graciam et communionem sedis apostolice habentem, quem malueris, consecrari et in ipsa capella, postquam constructa, dotata et consecrata fuerit, divina officia diurna pariter et nocturna celebrari et inibi verbum dei proponi faciendi, diocesani loci vel cuiuscunque alterius licencia seu consensu super hoc minime requisita, auctoritate apostolica tenore presencium licenciam elargimur, huiusmodi ius patronatus et presentandi rectores ad capellam et altaria huiusmodi, postquam constructa et fundata ac dotata sufficienter fuerit, ut prefertur, quociens illam pro tempore vacare contigerit, eisdem proconsulibus et consulibus eorumque successoribus reservantes, iure tamen parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat 113 fol. 132ª — Supra in marg. sin : BERTOLDUS: in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1995. *Declaratur provisionem Antonio s. Caeciliae cardinali de certis canonicatibus et praebendis factam validam esse.*

Romae, 1402 Novembris 26.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Decens reputamus et debitum, ut, cum circa gracias, que a sede apostolica emanarunt, dubia oriuntur, Romanus pontifex illa per sue declaracionis oraculum summoveat et decidat, ut exinde licium dispendia valeant evitari. Nuper siquidem, cum Pragensis et s. Georgii in castro Pragensi ac s. Petri Wissegradensis prope Pragam necnon Olomucensis

ecclesiarum canonicatus et prebende, quos quondam Nicolaus electus Pragensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Pragensem tunc vacantem obtinebat, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis impendendum eidem electo vacare sperarentur, nos videlicet septimo kal. Augusti pont. n. anno tercio decimo ipsos canonicatus et prebendas, cum illos ut prefertur aut per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti vel alias quovis modo preterquam per dicti electi obitum vacare contingeret, conferendos .... Antonio tituli s. Cecilie presbytero cardinali .... motu proprio .... donacioni apostolice reservavimus, certis eidem cardinali super hoc executoribus deputatis ....[1]) Cum itaque postmodum canonicatus et prebende predicti per eiusdem electi obitum, qui, antequam munus predictum sibi impenderetur aut huiusmodi tempus de consecrandis episcopis lapsum foret, extra Romanam curiam debitum nature persolvit, vacaverint et vacent ad presens, et sicut accepimus, a nonnullis vertatur in dubium, an dicti canonicatus et prebende eidem cardinali debeantur de iure, nos .... auctoritate apostolica .... motu simili declaramus: nostre intencionis fuisse et esse prefato cardinali dumtaxat et nulli alteri de dictis canonicatibus et prebendis, cum illos ut premittitur vel alias quovis modo vacare contingeret, hac vice voluisse et velle provideri dictosque executores eidem cardinali de ipsis canonicatibus et prebendis sic vacantibus tam presencium quam dictarum litterarum vigore providere posse et debere, et quod, si forsan reperiri contingat alii vel aliis de dictis canonicatibus et prebendis per nos seu auctoritate nostra post promocionem supradictam sub quibuscunque diei datis provisum fuisse aut mandatum seu concessum provideri, huiusmodi concessiones, provisiones et mandata auctoritate predicta motu simili .... revocamus .... Datum Rome ap S. Petrum sexto kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 110 fol. 6b — Supra in marg. sin.: CAN(CELLA]RIA, in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1944 et 1973.

***1996**. Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus bona ab ecclesia Pragensi alienata ad eius proprietatem revocet.*

Romae, 1402 Novembris 27.

Bonifacius .... episcopo Olomucensi .... Justis et honestis .... Sane peticio .... Sbynconis electi Pragensis nobis nuper exhibita continebat, quod nonnulli predecessores sui, archiepiscopi Pragenses, qui fuerunt pro tempore, nonnulla bona immobilia in civitate et diocesi Pragensibus consistencia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis iuramentis, factis renunciacionibus et penis adiectis, in gravem ecclesie et archiepiscopalis mense Pragensis lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hiis confirmacionis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse, preterea quidam nobiles eorundem civitatis et diocesis nonnulla decimas, redditus, terras, vineas, possessiones, domos, casalia, villas, prata, pascua, grangias, nemora, molendina, pisci-

nas, iura, iurisdicciones et quedam alia bona eciam ecclesie et mense predictarum temeritate propria sub diversis tamen conflictis coloribus sive titulis detinent indebite occupata. Quare pro parte dicti electi nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc ecclesie et mense predictis oportune providere dignaremur. Nos itaque . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus ea, que de bonis ecclesie et mense predictarum per concessiones huiusmodi sive alias alienata seu occupata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, iuramentis, renunciacionibus, penis et confirmacionibus supradictis, ad ius et proprietatem ecclesie et mense predictarum legitime revocare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 54b. Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1997. *Ad petitionem rectoris parrochialis ecclesiae s. Mariae Magdalenae Vratislaviensis omnibus, qui missae frequenter in eadem ecclesia in honorem b. Mariae virginis solemniter cum nota et diversis aliis caerimoniis celebrari consuetae interfuerint, trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur. „Dum precelsa“ „Rome ap. S. Petrum tercio kal. Decembris a. quarto decimo.“*

Romae, 1402 Novembris 29.

R. Lat. 113 fol. 105a — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1998. *Cum Laurentio de Březová rectore ecclesiae in Běchar dispensatur, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum recipere possit.*

Romae, 1402 Novembris 29.

Bonifacius . . . . Laurentio de Brziezowa rectori [a]) ‚plebano‘ nuncupato ecclesie parrochialis in Biecharz ~~Pra~~gensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes igitur te . . . . favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tecum, qui in subdiaconatus ordine, ut asseris, constitutus es, et parrochialem ecclesiam in Biecharz Pragensis diocesis, cuius fructus . . . . decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, obtines, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias cum dicta ecclesia incompatibile, eciam si parrochialis ecclesia aut dignitas, personatus aut administracio seu officium cum cura vel sine cura in metropolitana, cathedrali seu collegiata, et dignitas ipsa in metropolitana seu cathedrali non tamen maior post pontificalem [et] in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ... recipere et usque ad triennium retinere ac parrochialem ecclesiam et beneficium huiusmodi . . . . tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et per huiusmodi triennium duntaxat retinere libere et licite valeas, quodque racione ipsorum ad aliquos superiores

ordines interim promoveri minime tenearis . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 141a — a) ‚lectori' cod. — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — Ed. Goll, Fontes rerum Bohemicarum V p. XXI not. 10.

1999. *Obligatio Zbynkonis archiepiscopi Pragensis.*

Romae, 1402 Novembris 29.

Anno [nat. 1402, pont. XIIII] die XXVIIII. mensis Novembris reverendus in Chr. pater dom. Sbinco dei gracia electus in archiepiscopum Pragensem per venerabilem patrem fratrem Nicolaum plebanum sub monte Ripensi Pragensis diocesis ord. premonstratensis, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro communi servicio dom. Nicolai predecessoris sui duo milia octingentos florenos auri de camera, et quinque servicia consueta non promisit, quia facta fuit promocio bis in anno: item recognovit camere tantum pro quatuor minutis serviciis dom. Wolframi predecessoris sui trecentos decem et novem similes florenos, solidos viginti quatuor: item recognovit collegio tantum pro communi servicio dicti dom. Wolframi predecessoris sui quadringentos quinquaginta tres similes florenos, solidos viginti octo et denarios septem et unum minutum servicium pro rata: item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Johannis antepredecessoris sui octo similes florenos, solidos decem et septem et denarios quatuor et quinque servicia consueta: solvendo medietatem promissi usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum et aliam medietatem usque ad festum omnium sanctorum extunc proxime subsecuturum et recognita in similibus terminis annis revolutis . . . .

Oblig. et sol. 57 fol. 46a .

2000. *Venceslaus de Praga praeceptor domorum hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Antiqua Brunna et in Cunicz*a) *Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Decembris a. quarto decimo".*

Romae, 1402 Novembris 30.

R. Vat. 320 fol. 57a cum his notis in fine: (sin.) XX, (med.) F. DE MONTEPOLICIANO; (dext.) REGISTRATA GRATIS JO DE MERCATELLO. Iterum registratum in R. Lat. 110 fol. 121a, ubi supra in marg. sin. adscriptum est: F. DE MONTEPOLICIANO, in fine autem: N. XX DE BENEVENTO. — a) ‚Brunicz' (sic.) Vat. Lat.

***2001**. Zbynkoni electo Pragensi pallium transmittitur.*

Romae, 1402 Decembris 1.

Bonifacius . . . . Sbinconi electo Pragensi . . . . Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua a nobis cum ea, qua decuit, fuerit instancia postulatum, nos tuis supplicacionibus annuentes, palleum ipsum de corpore b. Petri sumptum, per . . . . patriarcham Anthiocenum et . . episcopum Sareptanum Prage commorantes[a]) assignandum, per . . . . Nicolaum de Jaromir monachum monasterii Strahowiensis Pragensis, nuncium tuum, duximus destinandum, ut iidem patriarcha et episcopus vel eorum alter illud tibi assignent vel assignet sub forma, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et Romane ecclesie nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum; tu autem palleo ipso intra ecclesiam tuam illis diebus duntaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, discrecionem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat premia et munera elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Pragensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. quarto decimo.

Simili modo: Bonifacius . . . patriarche Anthioceno et episcopo Sareptano Prage commorantibus . . . . Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte . . . . Sbinconis electi Pragensis fuisset a nobis cum ea, qua decuit, instancia postulatum, nos ipsius Sbinconis electi precibus annuentes, palleum ipsum de corpore b. Petri sumptum, per vos vel vestrum alterum assignandum eidem secundum formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, per . . . . Nicolaum de Jaromir monachum monasterii Strahouiensis Pragensis, nuncium suum, duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis et ab ipso nostro et Romane ecclesie nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiatis iuramentum; formam autem iuramenti, quod dictus electus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 202b — a) commorantem cod. Supra in marg. sin. utriusque bullae: CANCELLARIA; in fine primae bullae: N. XII DE BENEVENTO; in fine alterius bullae: N. X DE BENEVENTO — Alia copia fol. 201b eiusdem codicis registrata est, sed cancellata adiuncta nota: „Cancellata, quia in sequenti folio registrata". Supra in marg. sin. illius cancellatae copiae adscriptum est: „Cancellaria"; notae registratoris in fine autem desunt.

***2002**. Cum Nicolao de Jaroměř rectore ecclesiae in Řip dispensatur, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum recipere possit.*

Romae, 1402 Decembris 1.

Bonifacius . . . . Nicolao Jaromier rectori ‚plebano' nuncupato parrochialis ecclesie in Rzyp Pragensis diocesis, capellano nostro . . . . Religionis zelus, necnon grata tue devocionis obsequia . . . . Volentes itaque [te] . . . . favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tecum, qui canonicus monasterii Sarahouiensis (*sic*) Pragensis premonstratensis ord., et ut asseris, ordinem ipsum expresse professus, necnon fructuum et proventuum in civitate et diocesi Pragensibus camere apostolice debitorum succollector existis, ac parrochialem ecclesiam in Rzyp dicte diocesis per canonicos eiusdem monasterii regi consuetam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, obtines, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, eciam si per clericos seculares dumtaxat consueverit gubernari, et eciam si parrochialis ecclesia aut dignitas vel perpetua administracio vel de iure patronatus [laicorum existat], et eciam si ad huiusmodi dignitatem sive administracionem quis consueverit per eleccionem assumi, dummodo canonicatus et prebenda alicuius cathedralis [a]) vel collegiate ecclesie secularis aut in illa non fuerit . . ., recipere et una cum eadem parrochiali ecclesia in Rzyp retinere, quoad vixeris, libere et licite valeas . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 60v – a) ‚cardinalis' cod. – Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. L. DE BENEVENTO.

2003. *Venceslao de Praga conceditur, ut certas praeceptorias hospitalis s. Johannis Jerosolimitani perinde retinere possit, ac si in capellanum apostolicum receptus non fuisset, et ut insignibus pastoralibus uti valeat.*

Romae, 1402 Decembris 1.

Bonifacius . . . . Wenczeslao de Praga preceptori domus hospitalis s. Johannis Jerosolymitani in Antiqua Brunna Olomucensis diocesis, capellano nostro . . . Dum clara merita religionis, vite ac morum insignia, de quibus apud nos fidedignorum testimonia te commendant, debita consideracione pensamus, dignum ducimus, ut illa te prerogativa prosequamur honoris, per quam tibi favor splendoris accrescat et eciam tuis necessitatibus provide consulatur. Cum itaque nuper te, qui presbyter et hospitalis s. Johannis Jerosolymitani professor necnon domorum hospitalis eiusdem in Antiqua Brunna et in Kunicz Olomucensis diocesis ac s. Marie in pede pontis Pragensis secundum morem et consuetudinem eiusdem hospitalis preceptor existis in capellanum nostrum et sedis apostolice tuis exigentibus meritis duxerimus recipiendum,[1]) tuque propterea timeas, quod propter huiusmodi statuta et eciam consuetudines eiusdem hospitalis preceptorias earundem domorum, quas canonice obtines, deinceps retinere non possis, nos volentes, quod huiusmodi recepcio in capellanum nostrum de te ut prefertur facta nedum honorabilis, sed eciam fructuosa tibi multipliciter existat, ac tuis in hac parte supplicacionibus inclinati apostolica tibi auctoritate presencium tenore concedimus, quod perinde predictas preceptorias retinere pro tempore libere et licite valeas, sicuti eas tenere potuisses et eciam debuisses, si in capellanum nostrum et sedis

eiusdem per nos receptus non fuisses, quodque eciam in eisdem [in] Antiqua Brunna et in Kunicz ac s. Marie in pede pontis Pragensi et aliis domibus et earum ecclesiis mitra, anulo, tunica et dalmatica pastoralibus uti ac benediccionem solemnem in missa dare libere et licite valeas, dummodo in benediccionis dacione huiusmodi legatus sedis predicte vel antistes aliquis non sit presens . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 55a — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. LXXXX DE BENEVENTO [1]. Cf. nr. 2000.

2004. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus a Johanne de Moravia resignationem iuris, quod ei in canonicatu et praebenda ecclesiae Olomucensis competit, recipiat ipsosque canonicatum et praebendam Francisco de Burg conferat.*

Romae, 1402 Decembris 1.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Franciscus de Borg rector parrochialis ecclesie in Sweyn Wratislauiensis diocesis . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod . . . . Johannes de Monte tunc canonicus ecclesie Olomucensis canonicatum et prebendam, quos in eadem ecclesia tunc temporis obtinebat, sponte et libere resignare proponebat, nos . . . . volentes . . . . Johannem de Morauia rectorem parrochialis ecclesie in Drahabudigicz Pragensis diocesis, qui fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in provincia Pragensi collector existit, favore prosequi gracioso, concessimus committi tibi, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis, ut ab eodem Johanne de Monte vel procuratore suo . . . . huiusmodi resignacionem . . . . auctoritate nostra reciperes et admitteres, eaque per te recepta et admissa, dictos canonicatum et prebendam . . . . predicto Johanni de Morauia auctoritate predicta conferres . . . . Cum autem, sicut accepimus, postmodum prefatus Johannes de Monte dictos canonicatum et prebendam in manibus tuis sponte et libere resignaverit, dictusque Johannes de Morauia huiusmodi graciam prosequi non curaverit neque curet ac graciam ipsam et omne ius sibi in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competens sponte ac libere resignare proponat, nos . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus resignacionem huiusmodi a dicto Johanne de Morauia vel procuratore suo . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . , eidem Francisco auctoritate predicta conferre et assignare procures . . . . ; non obstantibus . . . , quod idem Franciscus, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam obtinet,[1]) et nos dudum sibi de quodam altari sito in parrochiali ecclesia s. Marie Magdalene Wratislauiensi tunc certo modo vacante, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, graciose

concessimus provideri, et quod nos dudum cum ipso Francisco, ut cum dicta parrochiali ecclesia aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias incompatibile . . . . recipere et una cum ipsa parrochiali ecclesia usque ad triennium retinere licite posset, ita tamen, quod infra dictum triennium alterum ex parrochiali ecclesia et beneficio huiusmodi pro alio beneficio cum eorum reliquo compatibili permutare teneretur, duximus auctoritate apostolica dispensandum . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. quarto decimo.

R Lat 103 fol. 154b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: N XXVI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1700.

2005. *Maczeo de Lamberto motu proprio indulgetur, ut canonicatum et prebendam ecclesiae Vratislaviensis et perpetuam vicariam ad altare Corporis Christi in eadem ecclesia ad vitam suam simul retinere possit.*

Romae, 1402 Decembris 4.

Bonifacius . . . . Maczeo de Lamberto perpetuo vicario ad altare Corporis Christi situm in ecclesia Wratislauiensi, clerico camere apostolice . . . . Grata tue devocionis . . . . Dudum siquidem unum, duo et tria . . . . beneficia . . . . ecclesiastica cum cura vel sine cura . . . , quorum fructus . . . . ad summam centum et quinquaginta marcharum argenti puri . . . . ascenderent annuatim, ad quorumcunque seu quarumcunque collacionem . . . . pertinencia, si qua in civitate et diocesi ac provincia Gneznensi vacabant tunc, vel cum simul aut successive vacarent . . . , conferenda tibi . . . . motu proprio . . . . donacioni apostolice per nostras litteras reservavimus, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . . Et deinde huiusmodi litterarum vigore canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis tunc certo modo vacantes alias infra tempus debitum acceptasti et de illis tibi provideri fecisti,[1]) et subsequenter perpetuam vicariam ad altare Corporis Christi situm in eadem ecclesia, tunc eciam certo modo vacantem, canonice tibi collatam, assecutus,[2]) illam extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides de presenti. Cum autem, sicut accepimus, in statutis eiusdem ecclesie caveri dicatur, quod nullus actu beneficium ecclesiasticum in ipsa ecclesia obtinens aliud beneficium ecclesiasticum, eciam si curatum aut canonicatus et prebenda seu dignitas vel personatus aut officium existat, in eadem ecclesia recipere et simul retinere possit, nos volentes te, qui de nobili genere procreatus et in regno Polonie ac predicta provincia fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector existis, . . . favoribus prosequi graciosis motu simili . . . tibi, ut predictos canonicatum et prebendam . . . . aut quodcunque aliud beneficium, eciam si canonicatus et prebenda aut dignitas, personatus vel officium fuerit . . . . in prefata ecclesia una cum dicta vicaria, quoad vixeris, licite retinere valeas, auctoritate apostolica . . . . indulgemus, decernentes nichilominus motu et auctoritate predictis, quod prefate littere, per quas canonicatum et prebendam predictos acceptasti . . . ., quoad alia beneficia ecclesiastica, cum vacaverint, tibi debita acceptandum in suo robore perseverent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 107b – Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. – Cf. nr. 1592. – Cf. nr. 1826.

2006. *Episcopo Ratisbonensi et abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. ac praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus omnes oppressores et spoliatores abbatum et conventuum Strahoviensis alias Montis Sion*[a] *Pragensis et Doxanensis ac Teplensis*[b] *necnon Chotěšoviensis*[c] *monasteriorum praemonstratensis ord. Pragensis dioc. atque praepositorum, canonicorum et personarum in aliis monasteriis et piis locis dicti ordinis a praefatis monasteriis dependentibus degentium excommunicatos nuntient. „Ad reprimendas"*

„Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. quarto decimo".

Romae, 1402 Decembris 4.

R. Lat. 110 fol. 59a — a) ‚Montissyon' b) ‚Triplen' c) ‚Chouessowien' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. C DE BENEVENTO.

2007. *Nicolao [de] Jaroměř*[a] *rectori ‚plebano' nuncupato parrochialis ecclesiae in Řip*[b] *Pragensis dioc., capellano apostolico et canonico monasterii Strahoviensis Pragensis praemonstratensis ord. ordinem ipsum expresse professo, indulgetur, ut de bonis suis mobilibus ab eo per ecclesiam praedictam vel alias licite acquisitis moderate disponere possit, non obstante, quod etiam in civitate et diocesi Pragensibus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum succollector existit. „Quia presentis vite" „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris a. quarto decimo".*

Romae, 1402 Decembris 5.

R. Lat. 113 fol. 221a — a) ‚Jeremier' b) ‚Rzip' – Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

2008. *Stephano Stephani de Quarto mercatori Lucano datur facultas exigendi ab omnibus collectoribus et succollectoribus provinciae Pragensis quascunque pecunias et res camerae apostolicae debitas.*

Romae, 1402 Decembris 9.

Bonifacius . . . . Stephano quondam Stephani de Quarto mercatori Lucano . . . . Fidei puritas . . . . Tibi itaque, quem ad provinciam Pragensem pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinamus, petendi et recipiendi per te vel alium seu alios nostro et apostolice camere nomine a quibuscunque collectoribus et succollectoribus fructuum et proventuum dicte camere in predicta provincia debitorum auctoritate apostolica hactenus deputatis vel imposterum deputandis . . . . omnes et singulas pecuniarum quantitates et summas ac res et alia bona mobilia quecunque, nobis et Romane ecclesie ac

eidem camere in dicta provincia debitas et debita, necnon de receptis dumtaxat eos .... quitandi et absolvendi perpetuoque liberandi, et eorum computa dumtaxat et citra conclusionem ipsorum videndi eaque postmodum ad predictam cameram transmittendi ... concedimus facultatem. Volumus autem, quod huiusmodi collectores et succollectores solventes super hiis, que tibi assignabunt, duo confici faciant consimilia publica instrumenta, quorum uno penes se pro eorum cautela retento, reliquum ad dictam cameram quantocius destinare procurent. .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris pont. n. a. quarto decimo.

R. Vat. 320 fol. 60[a] — In fine: (ad sin.) F. DE MONTEPOLICIANO; (ad dext.) DE CURIA, M. DE NOCARIA.

2009. *Episcopo Litomyšlensi et officiali Pragensi datur potestas monendi collectores et succollectores provinciae Pragensis ad solvendum Stephano Stephani de Quarto pecunias et res camerae apostolicae debitas.*

Romae, 1402 Decembris 9.

Bonifacius .... episcopo Luthomuslensi ac .... officiali Pragensi .... Nuper dilecto filio Stephano quondam Stephani de Quarto mercatori Lucano nostras litteras direximus in hec verba: Bonifacius &c. [ut in nro 2008]. Cum autem hesitetur, quod predicti collectores et succollectores in predictis litteris expressi aut aliquis ex eis huiusmodi pecuniarum summas ac res et bona per eos nobis et apostolice camere prefate debitas et debita dicto Stephano solvere et assignare sponte alias forsan verisimiliter recusabunt, nos vero, ne propterea execucio dictarum litterarum retardari valeat aut alias quomodolibet impediri, super hoc de oportuno remedio providere volentes, vobis et cuilibet vestrum monendi .... collectores et succollectores huiusmodi coniunctim et divisim auctoritate nostra, ut infra certum terminum peremptorium competentem, quem eis duxeritis deputandum, predicto Stephano pecuniarum quantitates ac summas et res et bona huiusmodi per eos coniunctim et divisim nobis et Romane ecclesie ac camere apostolice predictis debitas et debita, ut prefertur, efficaciter tradant et assignent, et nichilominus [in eos et eorum quoslibet, qui in hoc defecerint, ac eciam in contradictores quoslibet et rebelles excommunicacionis sentenciam in eorum personas promulgandi ac eciam alias formidabiles penas et censuras, de quibus vobis vel alteri vestrum videbitur, infligendi, quas incurrant, si contra fecerint, ipso facto, ... ac processus legitimos per vos vel alterum vestrum .... faciendos, quociens expedierit, aggravandi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis ...., auctoritate apostolica .... concedimus potestatem ....][a]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris pont. n. a. quarto decimo.

R. Vat. 320 fol. 60[b] — [a]) Uncinis [ ] inclusa ex simili documento in fol. 59[b] eiusdem voluminis registrato suppleta sunt. — In fine: (ad sin.) F. DE MONTEPOLICIANO; ad dext. DE CURIA, M. DE NOCARIA.

2010 *Zbynkoni*[a]) *electo Pragensi indulgetur, ut cum duodecim clericis civitatis et diocesis Pragensis in vicesimo aetatis suae anno constitutis, per eum eligendis, auctoritate apostolica dispensare possit, ut quilibet eorum ad omnes sacros ordines promoveri et quaecunque beneficia ecclesiastica compatibilia retinere valeat. „Personam tuam" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. quarto decimo".*

Romae, 1402 Decembris 9.

R. Lat. 108 fol. 129b — a) ‚Sbuyconi' — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXXII DE BENEVENTO.

2011. *Zbynkoni*[a]) *electo Pragensi indulgetur, ut confessorem sibi eligat, qui ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis eum absolvere possit. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. quarto decimo."*

Romae, 1402 Decembris 9.

R. Lat. 110 fol. 141a — a) ‚Sbynconi' — Supra in marg. sin.: F DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2012 *Nicolao [de] Jaromĕř*[a]) *rectori ‚plebano' nuncupato parrochialis ecclesiae in Řip*[b]) *Pragensis dioc., qui canonicus monasterii Strahoviensis alias Montis Sion Pragensis praemonstratensis ord. ipsum ordinem expresse professus existit, indulgetur, ut possit eligere confessorem, qui eum ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis absolvere valeat. „Benigno" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. quarto decimo".*

Romae, 1402 Decembris 9.

R. Lat. 110 fol. 141a — a) ‚Jaromier' b) ‚Rzyp' — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2013. *Emptio medietatis castri ac oppidi in Strakonicz per Henricum de Nova Domo priorem hospitalis s. Johannis Jerosolimitani facta confirmatur.*

Romae, 1402 Decembris 12.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Ea, que pro ecclesiarum . . . . Sane peticio . . . . Henrici de Noua Domo prioris hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Boemia nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse pro grandi utilitate ac commodo eiusdem hospitalis medietatem castri ac oppidum in Strakonicz in Pragensi diocesi consistencia cum fluminibus, silvis, aquarum decursibus, pascuis, terris, nemoribus, montibus, vallibus, collibus, iurisdiccionibus atque aliis iuribus, utilitatibus et pertinenciis suis universis a . . . . Wickero de Byenyssowicz armigero dicte diocesis, ad quem dicta medietas castri et oppidum cum

huiusmodi fluminibus, aquarum decursibus, silvis, pascuis, terris, nemoribus, montibus, vallibus, collibus, iurisdiccionibus ac iuribus et pertinenciis tunc legitime pertinebat, empcionis titulo legitime acquisivit ad hoc, quod deinceps existeret ac perpetuo remanere deberet de proprietate, dominio necnon iuribus et pertinenciis hospitalis eiusdem et sub gubernacione tamen et potestate immediate . . prioris dicti hospitalis in ipsa Boemia pro tempore existentis, ipseque Henricus prior vigore huiusmodi acquisicionis medietatis et oppidi prefatorum cum eisdem suis fluminibus, aquarum decursibus, silvis, pascuis, terris, nemoribus, montibus, vallibus, collibus iurisdiccionibus, iuribus, utilitatibus et pertinenciis possessionem extitit assecutus. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Henricus prior dubitet, quod ipse et . . . . fratres eiusdem hospitalis super eadem medietate et oppido cum huiusmodi fluminibus, aquarum decursibus, silvis, pascuis, terris, nemoribus, montibus, vallibus, collibus, iurisdiccionibus ac iuribus et pertinenciis suis pro eo, quod in empcione prefata iuris solemnitates debite forsan non intervenerunt, aut alias posse imposterum molestari (*sic*), pro parte dicti Henrici prioris fuit nobis humiliter supplicatum, ut empcioni predicte atque exinde secutis robur apostolice confirmacionis adiicere . . . . dignaremur. Nos itaque . . . . huiusmodi empcionem et quecunque inde secuta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 74ª — Supra in marg. sin. F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2014. *Jacobo de Praga rectori parrochialis ecclesiae in Strakonicz conceditur, ut ipse et unus alter sacerdos per eum eligendus confessiones Christi fidelium ad eandem ecclesiam indulgentiarum causa confluentium audire possint.*

Romae, 1402 Decembris 12.

Bonifacius . . . . Jacobo Wenceslai de Praga fratri hospitalis s. Johannis Jerosolymitani, rectori ,priori nuncupato parrochialis ecclesie in Strakonicz Pragensis diocesis . . . . Religionis zelus necnon sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut peticionibus tuis, illis presertim, per quas salus procuratur animarum et Christi fidelium devocio augeri speratur, grato concurrentes assensu, eas ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam parrochialem in Strakonicz Pragensis diocesis cum suis capellis et oratoriis per fratres hospitalis s. Johannis Jerosolymitani, cuius frater existis, regi consuetam, quam obtines, in festivitatibus nativitatis, resurreccionis domini nostri Jesu Christi, ascensionis, penthecostes, corporis Christi ac nativitatis, annunciacionis, concepcionis, visitacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis necnon s. Wenceslai martiris ac s. Procopii confessoris necnon dedicacionis ipsius ecclesie festivitatibus tam ipsius ecclesie parrochiani quam nonnulli alii Christi fideles in magno numero devocionis causa, et ut participes fiant indulgenciarum, que devote visitantibus eandem ecclesiam pro tunc conceduntur ibidem, ad ipsam ecclesiam plerumque confluere

consueverint hactenus et confluant annuatim, nos cupientes, quod huiusmodi devocio augeatur, et ad hoc, quod magis deo animas suas lucrifacere valeant illi, qui in eisdem festivitatibus dictam ecclesiam devote visitabunt annis singulis in futurum, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, ut tu necnon unus alter sacerdos secularis vel regularis ydoneus, quem ad hoc pro tempore duxeris eligendum, omnium eorundem parrochianorum, quos ad prefatam ecclesiam vel oratoria seu capellas in eisdem festivitatibus, et aliorum Christi fidelium, quos in Wenceslai et Procopii sanctorum et dedicacionis dicte ecclesie festivitatibus ex causa predicta confluere contigerit in futurum annis singulis, ut prefertur, tibi aut sacerdoti huiusmodi, quem ad hoc, ut premittitur, elegeris, sua peccata sponte confiteri volencium et confitencium, confessiones huiusmodi audire et . . . eos ab huiusmodi peccatis, que tunc confitebuntur, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, absolvere ac pro commissis penitenciam eis salutarem impendere valeatis, tibi, quamdiu eidem ecclesie te preesse contigerit, ac sacerdoti huiusmodi interim eciam pro tempore plenam et liberam auctoritate apostolica . . . . licenciam elargimur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Decembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 74b — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine: N XXXX DE BENEVENTO.

2015. *Nicolao Perruter canonico ecclesiae Boleslaviensis Pragensis dioc., familiari apostolico, conceditur licentia testandi et disponendi de patrimonialibus et omnibus aliis bonis ad eum pertinentibus, etiam si e fructibus beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinet aut obtinebit, ad eum pervenerint. „Quia presentis vite condicio“ „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. quarto decimo“.*

Romae, 1402 Decembris 13.

R. Lat. 108 fol. 8b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

2016. *Praeposito ecclesiae Ottmuchoviensis[a]) mandatur, quatenus Johanni Wustehuue conferat parrochialem ecclesiam in Hotzenplotz Olomucensis dioc., cuius fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per liberam resignationem Johannis Luckowicz per eum de illa coram certis notario publico et testibus extra Romanam curiam sponte factam. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Januarii a. quarto decimo“.*

Romae, 1402 Decembris 15.

R. Lat. 106 fol. 246a — a) ‚Otmochouien.‘ — Supra in marg. sin.: F. DE MONTEPOLICIANO; in fine. N. XX DE BENEVENTO.

2017. *Andreae de Stinavia[n] armigero Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis tue“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Januarii a. quarto decimo“.*

Romae, 1402 Decembris 16.

R. Lat. 110 fol. 174 — „Stynaw“ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

—

2018. *Abbates monasteriorum Scotorum in Vienna et Altovadensis Pataviensis et Pragensis diocesium ac archidiaconus Gradicensis in ecclesia Pragensi conservatores abbatis et conventus monasterii S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Januarii a. quarto decimo“.*

Romae, 1402 Decembris 21.

R. Lat. 110 fol. 60[b] — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2019. *Zbynko archiepiscopus Pragensis quitatur de solutione partis sui communis servitii camerae sacri collegii.*

Romae, 1402 Decembris 24.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus pater dom. Lepus dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte partis sui communis servicii . . . . quingentos florenos auri de camera nobis, non facta divisione de minuto servicio, die date presencium tempore debito per manus discreti viri Gabionis de Gozadinis mercatoris Bononiensis solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1402] die XXIIII mensis Decembris pont. a. XIIII.

Oblig. et sol. 59 fol. 136[a] — In fine: FL. III GR. III. NON RECEPTI LITTERAM. De eadem solutione in libro „divisionum a 1399—1407“ Oblig. et sol. 54) mentio fit fol. 50[a] in haec verba: „[A. 1402] die XXIIII. mensis Decembris rev. in Chr. pater dom. Lepus dei gracia archiepiscopus Pragensis solvit pro parte partis sui communis servitii quingentos florenos auri de camera, non facta divisione de minuto (‚quingentos — de minuto‘ supra linea adscriptum loco cancellati: ‚quadringentos quinquaginta quinque florenos auri de camera et pro parte partis sui minuti servitii quadraginta quinque similes flor.“; et in margine sequentes notae leguntur: „Ista divisio fuit correpta per me Stephanum, clericum collegii, quia non fuit postmodum facta divisio de minuto, sed pro communi tantum. Ista pecunia fuit per se sola divisa“); summa flor. quingenti. Fuit promotus anno XIII. dom. Bonifacii (i. e. 1401 $^{9}/_{11}$—1402 $^{8}/_{11}$) . . . .“

2020. *Decani Vratislaviensis et Lubucensis ac Budissinensis Misnensis dioc. ecclesiarum conservatores abbatis et conventus monasterii in Sagano ord. s. Augu-*

stini Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Januarii a. quarto decimo“.

Romae, 1402 Decembris 28.

R. Lat. 110 fol. 61r. — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2021. *Petro de Glivicz providetur de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Pragensis et Vratislaviensis ecclesiarum.*

Romae, 1403 Januarii 1.

Bonifacius .... Petro de Glywicz canonico Pragensi .... Vite ac morum .... Volentes itaque tibi, qui litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... graciam facere specialem, unum in Pragensi et alium in Wratislauiensi ecclesiis canonicatus .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, ac unam in Pragensi et aliam in Wratislauiensi ecclesiis eisdem prebendas, si que vacant ad presens, vel cum vacaverint ...., conferendas tibi ...., dummodo prebende seu prebendarum, quam vel quas sic acceptaveris, necnon canonicatus seu canonicatuum huiusmodi fructus ... ducentorum florenorum auri secundum communem extimacionem valorem annuum non excedant, donacioni apostolice reservamus .. .; non obstantibus ...., quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Patzkow Wratislauiensis diocesis nosceris obtinere. Volumus autem, quod post triennium a data presencium litterarum computandum earundem vigore aliquam prebendam nequeas acceptare seu de illa tibi facere provideri, decernentes irritum, si secus actum fuerit in premissis .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Januarii a. quarto decimo.

Simili modo .... episcopo Perusino et .... abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Pragensi ....

R. Lat. 106 fol. 11a. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: PRO NEPOTE SCRIPTORIS, N. DE BENEVENTO.

2022. *Alberto Creyenberg providetur de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae ecclesiae Magdeburgensis.*

Romae, 1403 Januarii 1.

Bonifacius .... magistro Alberto Creynberch canonico Magdeburgensi, scriptori et familiari nostro .... Grata tue familiaritatis .... Volentes itaque tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Magdeburgensis, in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, ... apostolica tibi auctoritate conferimus .... ac unam de huiusmodi maioribus prebendis, si qua vacat ad presens, vel cum vacaverit ...., conferendam tibi ...., dummodo ipsius necnon maioris prebende ecclesie Halber-

stadensis . . . ., quam eciam hodie per alias nostras litteras tibi duximus reservandam, fructus . . . . ducentorum florenorum auri . . . . valorem annuum non excedant, donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, dudum tibi de canonicatu et prebenda in Olomucensi eadem auctoritate provisum fuit, et [de] ss. Materni, Briccii et Erasmi in eadem Olomucensi et de s. Leonardi, quod possides, altaribus in Nuenburgensi sitis ordinaria auctoritate provisum fuit, necnon quibusdam annuis redditibus, in titulum perpetui beneficii ecclesiastici clericis secularibus assignari consuetis, in parrochiali b. Marie Wismariensi, que sine cura sunt, tunc certis modis vacantibus, eciam eadem auctoritate apostolica mandatum fuit provideri, et super canonicatu et maiori prebenda in Buczowensi . . . ., quorum quidem videlicet ss. Materni, Briccii et Erasmi altarium ac canonicatuum et prebendarum ac annuorum reddituum possessionem nondum habes, in palacio apostolico litigas, quodque in b. Marie in Wolframskirchen[o] Razeburgensis, Zwerinensis et Olomucensis diocesium prepositurarum necnon archidiaconatum in Arschersleue, qui quidem prepositura et archidiaconatus curati et dignitates existunt, ac oblegium ‚officium divisionis quotidianarum distribucionum' nuncupatum, per canonicos eiusdem ecclesie Halberstadensis gubernari consuetum, in ipsa Halberstadensi ecclesiis canonice nosceris obtinere. Volumus autem, quod post triennium a data presencium computandum aliquam prebendam ipsius ecclesie Magdeburgensis auctoritate presencium nequeas acceptare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Januarii a. quarto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . Merseburgensis ac Nuenburgensis ecclesiarum decanis . . . .

R. Lat. 106 fol. 75ᵃ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1495.

2023. *Magistro Hermanno Duerg decretorum doctori, capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori, providetur de canonicatibus sub exspectatione prebendarum necnon dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura Vratislaviensis et Varmiensis ecclesiarum, etiam si dignitas huiusmodi maior post pontificalem in altera earundem ecclesiarum fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi; reservantur etiam eidem Hermanno unum vel duo beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, vacantia vel vacatura, ad collationem archiepiscopi Salzburgensis et praepositi, decani, scholastici, thesaurarii, archidiaconorum, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Salzburgensis pertinentia, dummodo canonicatuum et praebendarum ac beneficiorum omnium huiusmodi fructus 300 florenorum auri valorem annuum non excedant; non obstante, quod plura alia beneficia ecclesiastica in Coloniensi, Bremensi, Lubicensi, Erfordensi, Osnaburgensi, Padeburnensi et Treverensi diocesibus obtinet. „Grata tue devocionis" „Rome ap. S. Petrum kal. Januarii a. quarto decimo". — Simili modo episcopo Ferentinatensi et praeposito Vormatiensis ac decano Vratislaviensis ecclesiarum.*

Romae, 1403 Januarii 1.

R. Lat. 106 fol. 98ᵃ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA, et subtus alia manu: CAN[CELLA]RIA QUOAD CORRECCIONEM; in fine: N. XX. XXII DE BENEVENTO.

2024. *Abbati monasterii Gradicensis mandatur, quatenus Suliconi de Železná provideat de canonicatu sub exspectatione praebendae ac dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Olomucensis.*

Romae, 1403 Januarii 2.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Suliconum (*sic*) de Zelezna rectorem parrochialis ecclesie in Superiori Dubnam (*sic*) Olomucensis diocesis, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Siliconem (*sic*) ad hoc ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu ecclesie Olomucensis . . . . auctoritate nostra provideas . . . ., et si . . . . dictum Suliconem . . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu officium fore inveneris . . ., prebendam ac dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura eiusdem ecclesie Olomucensis, eciam si ad dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi consueverit quis per eleccionem assumi, et dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia Olomucensi existat, et si forsan ita esse non inveneris . . . ., dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum prebendam ac officium sine cura ydoneum esse reppereris . . . ., prebendam ac officium sine cura dumtaxat, si que vel si qui aut si qua in dicta Olomucensi ecclesia vacant ad presens, vel cum . . . . vacaverint, conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Suliconi . . . . donacioni tue auctoritate predicta reserves . . . .; non obstantibus . . . statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Olomucensis, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod nullus inibi dignitatem vel personatum seu officium assequi possit, nisi actu canonicus prebendatus eiusdem ecclesie Olomucensis existat . . . ., aut quod dictus Sulico, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam ac altare s. Catherine situm in ecclesia monasterii s. Jacobi in suburbio Olomucensi premonstratensis ord., quod sine cura est et per clericos seculares consuevit gubernari, noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Sulico, quamprimum vigore presencium dignitatem vel personatum seu officium curatum fuerit pacifice assecutus, huiusmodi parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur, quodque post quadriennium a data presencium litterarum computandum earundem vigore aliquam prebendam aut dignitatem vel personatum seu officium nequeat acceptare nec de illis sibi facere provideri, quodque, si vigore presencium in canonicum dicte ecclesie Olomucensis receptus fuerit et interim prebendam aliquam non acceptaverit nec de illa sibi fecerit provideri, extunc ipsius ecclesie Olomucensis canonicus esse desistat . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a quarto decimo.

R. Lat. 107 fol. 53b - Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: M. XXVI DE SANCTA AGATHA.

2025. *Abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz mandatur, quatenus Johanni dicto Fylfas, qui in officio cantoriae ecclesiae Olomucensis per viginti quinque annos et ultra fideliter et laboriose diurnis et nocturnis temporibus insudavit,*

prout hodie in officio ipso laborat, de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Olomucensis providere, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in dicta ecclesia non existat; non obstante, quod idem Johannes parrochialem ecclesiam in Podivín[a]) *Olomucensis dioc. noscitur obtinere, quam dimittere tenetur, quamprimum dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi fuerit assecutus; post quadriennium autem a data praesentium litterarum earum vigore nullum beneficium recipere potest. „Dignum arbitramur"*

„Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. quarto decimo".

Romae, 1403 Januarii 2.

R. Lat. 107 fol. 19[a] — a) ‚Podywyn' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine M. XXIIII DE SANCTA AGATHA.

2026. *Johanni Vlásek de Hradiště*[a]) *providetur de canonicatibus sub exspectatione praebendarum necnon dignitatis cum vel sine cura maioris et s. Petri Vyšehradensis Pragensium ecclesiarum, dummodo dignitas ipsa in maiore post pontificalem maior vel in s. Petri ecclesiis eisdem principalis non fuerit; non obstante, quod idem Johannes parrochialem ecclesiam in Drahobudicz Pragensis dioc. noscitur obtinere,*[1]) *quam dimittere tenetur, quamprimum aliquam dignitatem fuerit assecutus; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum nullam praebendam aut dignitatem recipere potest. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. quarto decimo". – Simili modo episcopo Florentino et* ***praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis ac officiali Pragensi.***

Romae, 1403 Januarii 2.

R. Lat. 107 fol. 29[a] — a) ‚Wlasek de Rediss' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO. — 1) Cf. nr. 1960.

2027. *Nicolao de Goldaw, qui litteras apostolicas de mandato papae aliquamdiu scripsit, prout scribit, providetur de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Varmiensis et Vratislaviensis ecclesiarum, dummodo canonicatuum et praebendarum huiusmodi fructus 150 florenorum auri valorem annuum non excedant; non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Leistenow*[a]) *Pomezaniensis dioc. noscitur obtinere; post quadriennium autem praesentium litterarum vigore aliquam praebendam non potest acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii*[b]) *a. quarto decimo". – Simili modo episcopo Terracinensi et* ***Varmiensi ac Pomezaniensi officialibus.***

Romae, 1403 Januarii 2.

R. Lat. 106 fol. 64[a] — a) ‚Listenaw' b) correctum in marg. ex ‚Februarii' cum nota: „N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; In fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

2028. *Nicolao Czigler providetur de canonicatu ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc. sub exspectatione maioris praebendae eiusdem Budissinensis necnon dignitatis, personatus vel officii Misnensis ecclesiarum, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat; non obstante, quod canonicatum et praebendam eiusdem Misnensis ecclesiae necnon parrochialem ecclesiam in Constappel[a]) dictae dioc. noscitur obtinere; dispensatur enim cum dicto Nicolao, ut eandem parrochialem ecclesiam usque ad unum annum una cum dignitate vel personatu huiusmodi retinere possit, et statuitur, quod post quadriennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium acceptare nequeat. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. quarto decimo". — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito Naumburgensis ac decano Merseburgensis ecclesiarum.*

Romae, 1403 Januarii 2.

R. Lat. 107 fol. 7[b] — [a]) Constopel' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO.

2029. *Jodoco marchioni Moraviae indulgetur, ut in locis interdictis divina officia solemniter celebrari facere possit.*

Romae, 1403 Januarii 2.

Bonifacius .... nobili viro Jodoco Brandeburgensi et Morauie marchioni .... Sincere .... Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi, ut, quociens te ad loca infra tuum dominium consistencia et ecclesiastico interdicto supposita declinare aut ibidem morari contigerit, liceat tibi ibidem in capella tua apertis ianuis publice et solemniter eciam cum nota, excommunicatis et interdictis exclusis, in tua et familiarium tuorum presencia per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missas et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto nec id tibi vel eis contigerit specialiter interdici, auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus. Nulli ergo .... Datum Rome apud S. Petrum quarto nonas Januarii a. quarto decimo.

R. Lat. 110 fol. 170[b] — In fine: M. L DE SANCTA AGATHA.

2030. *‚Ad perpetuam rei memoriam. Confirmat permutationem iuris patronatus parrochialis ecclesiae in Porzicz Olomucensis dioc. ad Jodocum Brandeburgensem et Moraviae marchionem cum iure patronatus praepositurae in ecclesia s. Petri in Brunna dictae dioc ad abbatissam et conventum monasterii in Tusnowicz cisterciensis ord. dictae dioc. spectante. Datum Rome ap. S. Petrum 4. nonas Januarii a. 14.'*

Romae, 1403 Januarii 2.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro tertio de exhibitis, de diversis formis, de regularibus a. XIIII fol. 175" habetur in cod. Vatic. 6952 fol. 336[a].

2031. *Ad perpetuam rei memoriam. Ius patronatus parrochialis ecclesiae oppidi Hedyss Olomucensis dioc. ad abbatem et conventum monasterii Welgradiensis cisterciensis ord. dictae dioc. spectans transfert in Jodocum Brandeburgensem et Moraviae marchionem eiusque heredes et successores, et ius patronatus parrochialis ecclesiae in Coppa*[1]*) dictae dioc. ad dictum marchionem spectans transfert in dictum abbatem et conventum etc. Datum Rome ap. S. Petrum 4. nonas Januarii a. 14.*[2]

Romae, 1403 Januarii 2.

Excerptum Raynaldi „ex libro tertio de exhibitis, de diversis formis, de regularibus a. XIIII fol. 153" in cod. Vatic. 6952 fol. 336[a] — [1]) = Troppau, Opava?

2032. *Ad perpetuam rei memoriam. Statuit, quod parrochialis ecclesia oppidi Iglauie Olomucensis dioc. de caetero perpetuis futuris temporibus per clericos saeculares regatur et gubernetur, illiusque ius patronatus et praesentandi ad Jodocum Brandeburgensem et Moraviae marchionem eiusque heredes et successores transfert et ad canonicos monasterii Silvensis premonstratensis ord. Pragensis dioc. transfert et assignat parrochialem ecclesiam in Stren dictae dioc. Datum Romae ap. S. Petrum 4. nonas Januarii a. 14.*[1]

Romae, 1403 Januarii 2.

Excerptum Raynaldi „ex libro tertio de exhibitis, de diversis formis, de regularibus a. XIII fol. 222" in cod. Vatic. 6952 fol. 336[b].

2033. *Martino de Dobian*[1]*) clerico Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, archidiaconorum, scholastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis, necnon abbatis et conventus monasterii in Aula Regia cisterciensis ord. dictae dioc. pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum aliquod beneficium non potest acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii a. quarto decimo." — Simili modo episcopo Spoletano et praeposito ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1403 Januarii 3.

R. Lat. 111 fol. 62[b] — [1]) Dobrzanec. Supra in marg. sin. CANCELLARIA; in fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO.

2034. *Scholastico ecclesiae Cracoviensis et Cracoviensi et Vratislaviensi officialibus mandatur, quatenus Vilhelmo Valtheri de Gundelfingen clerico Augustensis*

dioc. conferant canonicatum et prebendam Cracoviensis ac cantoriam Opatoviensis[a]) *Cracoviensis dioc. ecclesiarum; dicta quidem beneficia ipse Vilhelmus vigore litterarum papae Bonifacii acceptavit, per quas unum vel plura beneficia ecclesiastica, in civitatibus et diocesibus Gneznensibus, Cracoviensibus et Vratislaviensibus vacantia vel vacatura, quorum fructus 150 marcarum argenti valorem annuum non excederent, exspectabat.*[1]) *sed dubitat acceptationem huiusmodi viribus non subsistere, quia ipse in eisdem litteris erronee ‚Wilhelmus Kesinga de Nuremberga clericus Bambergensis dioc.' nominatus fuit.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii a. quarto decimo.*"

Romae, 1403 Januarii 3.

R. Lat. 113 fol. 87[a] — [a]) ‚Opathovien'. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 2082.

2035. *Nobili viro Petro baroni baroniae de Kravař alias de Plumenau*[a]) *et Catherinae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut possint habere altare portatile.* „*Sincere devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Januarii a. quarto decimo.*"

Romae, 1403 Januarii 7.

R. Lat. 110 fol. 182[b] — [a]) ‚Crawar alias de Plumpnaw' — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2036. *Cum Sigismundo Czenekonis dispensatur super defectu aetatis.*

Romae, 1403 Januarii 9.

Bonifacius . . . . Sigismundo Czenekonis Dominik canonico Wratislauiensi . . . . Vite ac morum . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tecum, tunc in duodecimo tue etatis anno constituto, ut non obstante defectu etatis huiusmodi ad subdiaconatus ordinem posses promoveri, fuit auctoritate apostolica dispensatum:[1]) post quam quidem dispensacionem te ad huiusmodi subdiaconatus ordinem fecisti promoveri. Nos igitur . . . . tecum, qui, ut asseris, in quinto decimo huiusmodi etatis anno constitutus existis, ut beneficium ecclesiasticum curatum, eciam si dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in cathedrali vel collegiata ecclesia fuerit, dummodo dignitas ipsa in cathedrali post pontificalem maior seu in collegiata ecclesia principalis non existat . . . . recipere et retinere illudque ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens tibi placuerit dimittere et loco dimissi aliud simile vel dissimile beneficium ecclesiasticum recipere et retinere libere et licite valeas . . . ., dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Januarii a. quarto decimo.

R. Lat. 108 fol. 7[b] — Supra in marg. sin: CAN[CELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1539.

2037. *Vilhelmo Kortelangen reservantur canonicatus et prebenda Opoliensis et Gneznensis ecclesiarum in brevi vacaturi.*

Romae, 1403 Januarii 11.

Bonifacius . . . . Wilhelmo Kortelangen canonico Olomucensi . . . . Vite ac morum . . . . Cum itaque Opoliensis Wratislauiensis diocesis, quos Laczko electus Olomucensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Olomucensem tunc vacantem obtinebat, prout obtinet, et Gneznensis ecclesiarum canonicatus et prebende, de quibus quidem canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis dudum tunc certo modo vacantibus et antea dispositioni apostolice reservatis, eidem Laczkoni, quamvis eorum possessionem nondum adeptus fuerit, auctoritate apostolica provisum extitit, per huiusmodi promocionem . . . . vacare sperentur, nos . . . . canonicatus et prebendas predictos, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, Olomucensis predicte et s. Stephani Luthomericensis Pragensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Januarii a. quarto decimo.

Simili modo . . . episcopo Tudensi et . . . . Gneznensi ac . . Wratislauiensi officialibus . . . .

R. Lat. 105 fol. 163a. Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO.

2038. *Johanni de Zlabings conceditur, ut litterae, per quas ei de canonicatu et praebenda ecclesiae Olomucensis provisum est, valeant, etiam si alias vacaverint, quam in dictis litteris expressum est.*

Romae, 1403 Januarii 13.

Bonifacius . . . . Johanni de Czlewyngs canonico ecclesie Chremsirensis Olomucensis diocesis, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . . Nuper siquidem, cum canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quos . . . . Laczko electus Olomucensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Olomucensem tunc pastore carentem obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem electo impendendum vacare sperarentur, nos eosdem canonicatum et prebendam, cum illos ut prefertur . . . . vel alias quovis modo . . . . vacare contingeret, conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua peticio continebat, a nonnullis asseratur litteras prefatas ex certis causis viribus non subsistere, teque propterea super ipsis canonicatu et prebenda posse imposterum molestari, ... volumus et tibi, canonicatum et prebendam ecclesie Chremsirensis ac quoddam altare sine cura situm

in parrochiali ecclesia in Tyczin obtinenti et super parrochiali ecclesia in Morauiczan Olomucensis diocesis, quorum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in partibus litiganti, et cui nuper de altari s. Cristofori sito in dicta ecclesia Olomucensi, tunc certo modo vacante, graciose concessimus prouideri, apostolica auctoritate concedimus, quod littere predicte ac processus habiti per easdem et quecunque inde secuta a data presencium valeant . . . ., eciam si ipsi canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quorum fructus . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, alias quam ut premittitur vel ex alterius cuiuscunque persona . . . . vacent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. quarto decimo.

R. Lat. 111 fol. 159ᵃ — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO. — [1] Vide nr. 1988.

2039. *Vratislaviensis et Plocensis episcopi ac praepositus ecclesiae Culmensis conservatores Johannis episcopi Vladislaviensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Februarii a. quarto decimo.“*

Romae, 1403 Januarii 19.

R. Lat. 110 fol. 61ᵃ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

2040. *Episcopo Lucerino mandatur, quatenus Balthasari s. Eustachii cardinali et Georgio de Jevíčko beneficia quaedam, quae invicem permutare desiderant conferat.*

Romae, 1403 Januarii 23.

Bonifacius . . . . Bassostachio episcopo Lucerino in Romana curia commoranti . . . . Apostolice sedis circumspecta . . . . Cum itaque . . . . Baldasar s. Eustachii diaconus cardinalis parrochialem ecclesiam s. Jacobi in Brunna Olomucensis diocesis, de qua sibi, [tunc] certo modo vacante et antea disposicioni apostolice reservata, providimus [1]) et cuius possessionem nondum habet, et . . . . Georgius Bisonti de Gewiczka canonicatum et prebendam ecclesie s. Egidii Pragensis, quos obtinent, deside rent . . . . invicem permutare, nos votis ipsorum cardinalis et Georgii, qui, ut asserit, magister in artibus et baccalarius in decretis existit, in hac parte favorabiliter annuentes, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus ab eisdem cardinali et Georgio vel procuratoribus eorum . . . . parrochialis ecclesie necnon canonicatus et prebende predictorum resignaciones . . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, et huiusmodi resignacionibus per te receptis et admissis, Baldassari cardinali canonicatum et prebendam, quorum viginti, et Georgio prefatis parrochialem ecclesiam predictos, cuius triginta quinque marcharum argenti . . . . fructus . . . . valorem

annuum . . . . non excedunt . . . ., auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Georgius parrochialem ecclesiam in Hoffino et in s. Petri in Brunna ac in s. Marie in Glogouia predicte et Wratislauiensis diocesis et in Olomucensi ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, obtinet, et nos nuper sibi de Pragensis et Wratislauiensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum graciose concessimus prouideri. Nos enim cum eodem Georgio, ut predictam ecclesiam s. Jacobi . . . . recipere et una cum prefata parrochiali ecclesia in Hoffino . . . . usque ad unum annum retinere valeat . . . ., auctoritate predicta . . . . dispensamus, ita tamen, quod idem Georgius s. Jacobi vel in Heffino ecclesias predictas pro alio beneficio ecclesiastico cum earum altera compatibili infra eundem annum permutare, alioquin ecclesiam in Heffino predictam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 116b – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI DE MEDIETATE, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1971.

2041. *Sigismundo Czalta providetur de parrochiali ecclesia in Prestiecz.*

Romae, 1403 Januarii 23.

Bonifacius . . . . Sigismundo Czalta monacho monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . ., que promovendi per nos ad quorumcunque monasteriorum regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, extunc inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia ‚prepositura' nuncupata in Przieticz Pragensis diocesis, quam . . . . Wernerus abbas monasterii Cladrubensis ord. s. Benedicti eiusdem diocesis tempore promocionis, per nos de eo ad dictum monasterium tunc vacans facte, obtinebat, ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod idem Wernerus abbas possessionem administracionis bonorum ipsius monasterii extitit pacifice assecutus, ... nos . . . . ecclesiam predictam, que a dicto monasterio dependet et per monachos eiusdem monasterii, cuius monachus expresse professus existis, gubernari consuevit, cuiusque fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .[1]); non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, perpetuam vicariam parrochialis ecclesie in Malesicz predicte diocesis nosceris obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum dictam parrochialem ecclesiam in Przieticz fueris pacifice assecutus, dictam vicariam . . . omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Februarii pont. n. a. quarto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Anconitano et . . . . abbati monasterii in Alto Uado Pragensis diocesis ac . . officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 109 fol. 102ª. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XVI. XVIII DE BENEVENTO. Cf. nros. 1533 et 1523.

2042. *Nicolao de Brega providetur de parrochiali ecclesia in Baitzen.*

Romae, 1403 Januarii 24.

Bonifacius .... Nicolao Tylusch de Brega rectori parrochialis ecclesie de Beyczano Wratislauiensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem pro parte .... abbatis et conventus monasterii de Camencz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis nobis exposito, quod olim bone memorie Preczlaus episcopus Wratislauiensis .... parrochialem ecclesiam de Beyczano dicte diocesis, que de iure patronatus monasterii predicti existebat, de consensu .... capituli Wratislauiensis .... eidem monasterio auctoritate ordinaria incorporaverat, annexuerat et univerat ...., ac pro parte .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris ac abbatis et conventus predictorum nobis humiliter supplicato, ut eandem ecclesiam, cuius triginta, prefato monasterio, cuius quadringentarum marcarum argenti puri fructus .... valorem annuum non excedebant, de novo unire .... dignaremur, nos predictam ecclesiam .... eidem monasterio auctoritate apostolica per nostras litteras perpetuo incorporavimus ....[1]. Et deinde, sicut accepimus, abbas et conventus prefati ecclesiam ipsam, tunc per liberam cessionem seu dimissionem vel resignacionem .... Georgii Fulschussil de Nyssa tunc ipsius ecclesie rectoris, per eum de illa in manibus abbatis et conventus predictorum sponte factam, vacantem, pretextu unionis .... huiusmodi fuerunt pacifice assecuti ac illam extunc tenuerunt et possederunt pacifice et quiete. Postmodum vero nos, videlicet XI kal. Januarii proxime preteriti omnes uniones ecclesiarum parrochialium et monasteriorum ac dignitatum, personatuum, prebendarum, officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum ac piorum locorum quorumlibet hactenus sive per nos sive per predecessorem nostrum immediatum aut eciam per quosvis ordinarios factas quibuscumque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis vel mensis episcopalibus aut capitularibus vel abbacialibus seu collegiis quibuscumque, officiis, dignitatibus aut prebendis seu quibusvis aliis locis et hospitalibus, que nondum fuerant sortite effectum, et eciam illas, que essent sortite effectum alias quam per obitus illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant tempore huiusmodi unionum de illis factarum, eciam si fuissent facte motu proprio, ac eciam illas, que facte fuissent sine magna necessitate vel ex falsis aut nullis causis, eciam si super ipsis unionibus lis penderet indecisa, in quacumque instancia foret, necnon quascumque confirmaciones per nos factas de quibusvis unionibus per ordinarios factis, eciam si in litteris apostolicis super dictis unionibus et confirmacionibus confectis contineretur talis clausula, videlicet: ‚et si contingeret revocari per nos quasvis uniones in genere vel in specie, quod uniones ipse per easdem litteras facte non intelligerentur revocate', cassavimus .... , prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur [2]. Cum itaque propterea secundum premissa predicta ecclesia parrochialis per huiusmodi cassacionem .... apud sedem apostolicam vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter

nos hac vice disponere . . . possit pro eo, quod nos dudum ante vacacionem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum, si secus . . . . . contingeret attemptari, nos . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . decem et octo marcarum argenti . . . . . valorem annuum . . . . non excedunt. . . . , apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod nuper tibi, ut asseris, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositorum, decanorum, scolasticorum, cantorum, thesaurarii et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum maioris necnon s. Crucis Wratislauiensium ecclesiarum . . . . pertinente, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . predictam parrochialem ecclesiam fueris pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Februarii a. quarto decimo

Simili modo . . . . episcopo Lucerino et . . . . s. Hedwigis de Brega ac s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis ecclesiarum decanis . . . .

R. Lat 106 fol. 204b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 557. [2]) Litteras illas vide ap. Ottenthal, Die papstlichen Kanzleiregeln p. 73 sq.

2043. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao Pfluger de Kreuzburg canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1403 Januarii 26.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses ac . . officiali Wratislauiensi . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Nicolaus Pfluger de Crutzeburg canonicus ecclesie s. Nicolai Othmuchowiensis Wratislauiensis diocesis, decretorum doctor, . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Wenceslaus Wolek . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Nicolaus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie Wratislauiensis obtinens, prebendam inibi ac dignitatem vel personatum seu officium aut beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura in eadem vel in aliqua ex collegiatis ecclesiis civitatis vel diocesis Wratislauiensium . . . ., ad collacionem . . . episcopi et . . . . capituli Wratislauiensium . . . . pertinens, expectabat . . . .,[1]) eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes et ad collacionem predictorum episcopi et capituli communiter pertinentes infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi fecit provideri. Cum autem . . . . dictus Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Nicolao, cum quo dudum, ut huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium aut curatum beneficium . . . . recipere et una cum prepositura ecclesie s. Egidii

Wratislauiensis, que dignitas curata et principalis in eadem ecclesia existit, et super qua in palacio apostolico litigabat, si eam interim evinceret, usque ad biennium retinere libere et licite valeret, extitit auctoritate apostolica dispensatum, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . mandamus, quatinus . . . . eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod dictus Nicolaus, ut asserit, canonicatum et prebendam predicte ecclesie s. Nicolai obtinet, et super dicta prepositura, quorum omnium fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio predicto noscitur litigare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a. quarto decimo.

R. Lat. 111 fol. 160a — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: JAC. XXII DE TERAMO. — [1]) Vide nr. 1720.

2044. *Judicibus mandatur, quatenus Ulrico de Spira canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1403 Januarii 26.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii b. Marie virginis in Arena extra muros Wratislauienses ac . . cantori ecclesie Wratislauiensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Vlricus de Spira clericus perpetuus beneficiatus in capella b. Marie virginis sita in ecclesia Wratislauiensi . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Vlrici peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie predicte, quos quondam Stanislaus Hain de Legnitz . . . . obtinebat, per ipsius Stanislai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Vlricus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas sibi de uno, duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aliquod dignitas, personatus vel officium aut canonicatus et prebenda in cathedrali, et dignitas ipsa in eadem cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia principalis foret, et ad illam, illum vel illud consuevisset quis per eleccionem assumi, cuius seu quorum fructus . . . . usque ad summam quadraginta marcharum argenti puri . . . . annuatim ascenderent, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie predicte . . . pertinentibus, graciose mandavimus provideri, et per quas ipsum Vlricum omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia eciam cum quavis antelacionis prerogativa expectantibus, preterquam . . . cardinalibus et . . . . veris familiaribus nostris continuis commensalibus nobis domestice famulantibus in assecucione . . . beneficiorum huiusmodi voluimus anteferri, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes ante revocacionem graciarum expectativarum XI. kalendas Januarii proxime preteriti per nos factam[1]) infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi fecit provideri. Cum autem dictus Vlricus dubitet

acceptacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Vlrico, cum quo alias, ut dignitatem, personatum vel officium sive beneficium curatum, quam vel quem seu quod sibi vigore dictarum litterarum nostrarum conferri contigerit, eciam si in dicta ecclesia Wratislauiensi foret, recipere et una cum quodam perpetuo beneficio ‚precentoria' nuncupato, quod in capella predicta obtinet, quoad viveret, obtinere posset, extitit auctoritate apostolica dispensatum, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Vlrico auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Vlricus, ut asserit, dictum beneficium ‚precentoria' nuncupatum in capella predicta, quod sine cura est,[2]) ac in s. Nicolai in Othomuchow et in s. Sepulchri in Legnitz canonicatus et prebendas ac quoddam altare sine cura situm in s. Hedwigis in Brega Wratislauiensis diocesis ecclesiis, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 163[a] — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: JAC. XXII DE TERAMO. — [2]) Cf. nr. 2042 not. 2. [3]) Cf. nr. 1607

2045. *Episcopo Anconitano et praeposito ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Cracoviensi mandatur, quatenus sententiam in causa, quae inter Johannem Simonis de Wanchadlow et Meczslaum canonicum Cracoviensem super altari s. Johannis Baptistae in ecclesia Cracoviensi sito in palatio apostolico vertebatur, latam executioni demandantes, dictum Johannem Simonis in corporalem possessionem eiusdem altaris inducant. „Exhibita nobis" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Januarii 26.

R. Lat. 113 fol. 12[b] — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

2046. *Gregorio Blasii de Myslín[a]) presbytero Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani et capituli ecclesiae Vyšehradensis[b]) Pragensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. quarto decimo." — Simili modo episcopo Tudensi et decano ecclesiae Pragensis ac officiali Pragensi.*

Romae, 1403 Januarii 29.

R. Lat. 111 fol. 155[a] — a) ‚Mislyn' b) ‚Wissegraden'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO., JAC. DE TERAMO.

2047. *Cum Henrico Rudolphi de Mügelu*[a]) *presbytero Misnensis dioc. dispensatur super inhabilitate, quam incurrit plura beneficia ecclesiastica Misnensis dioc., inter cetera etiam perpetuam vicariam sine cura ad altare Coronae spineae in ecclesia s. Petri Budissinensi situm, absque canonica dispensatione contra constitutionem Johannis papae XXII., quae incipit ‚Execrabilis', detinendo.*[1]) *„Sedes apostolica pia mater" „Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Februarii 5.

R. Lat. 108 fol. 125b — [a]) Muglin — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 1414.

2048. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus, si Petrum Pestal parrochiali ecclesia in Třebíč sententialiter privaverit, eandem ecclesiam Petro de Ivančicz conferat.*

Romae, 1403 Februarii 7.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Petrus Johannis de Eywanczicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi . . . . reddamur liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod orta dudum inter . . . Petrum Pestal monachum professum monasterii in Trebecz ordinis s. Benedicti dicte diocesis et Nicolaum Johannis de Tussnowicz, qui se gerit pro presbytero eiusdem diocesis, super parrochiali ecclesia s. Martini in Trebecz prefate diocesis . . . . materia questionis, nos causam huiusmodi . . . . bone memorie Nicolao episcopo Agrigentino, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, . . . commisimus . . . .; qui in causa ipsa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera ecclesiam predictam Nicolao Johannis adiudicavit . . . ., sententiam promulgavit; a qua pro parte ipsius Petri Pestal fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque . . . . episcopo Olomucensi . . . . per nostras litteras mandavimus, ut eandem ecclesiam . . . . sequestraret, exhibiturus id, quod de ipsius ecclesie fructibus debitis eius supportatis oneribus superesse contingeret, illi, qui finalem in causa victoriam obtineret; et nichilominus causam appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao episcopo Fferentinatensi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenebat, prout tenet, ... commisimus . . . .; qui in causa huiusmodi procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prefatam sententiam revocavit . . . ., sententiam promulgavit; a qua pro parte dicti Nicolai Johannis fuit ad sedem appellatum eandem, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia ipsius Nicolai episcopi Fferentinatensis interiecte . . . Bertrando archiepiscopo Amalphitano, qui similiter tunc locum unius ex auditoribus causarum eiusdem palacii de mandato nostro tenebat, ... commisimus . . . .; qui eciam in causa ipsa procedens, prefatam sententiam ipsius Nicolai episcopi Fferentinatensis per suam diffinitivam sententiam confirmavit; cumque pro parte dicti Nicolai Johannis ab eadem sentencia ipsius archiepiscopi ad sedem fuisset appellatum antedictam, nos causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . magistro Nicolao Vordis cappellano nostro et causarum dicti

palacii auditori . . . . commisimus . . . .;[1]) qui similiter . . . . diffinitivam, per quam inter cetera prefatam sentenciam ipsius archiepiscopi confirmavit, sentenciam promulgavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, licet interim . . . . Johannes episcopus Olomucensis eandem ecclesiam vigore dictarum litterarum sequestrasset et sequestrari mandasset, eademque ecclesia legitime sequestrata fuisset, tamen prefatus Petrus Pestal in reprobum sensum datus sequestracionem huiusmodi in apostolice sedis contemptum violavit et de fructibus . . . . eiusdem ecclesie huiusmodi lite pendente se de facto intromisit, nos attendentes, quod veris existentibus supradictis idem Petrus Pestal a iure, si quod in eadem ecclesia vel ad eam quomodolibet competebat eidem, cecidit ipso facto, ac ipsa ecclesia ipso iure privatus existit, ac volentes prefato Petro Johannis . . . . graciam facere specialem, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si vocatis dicto Petro Pestal et aliis, qui fuerint evocandi, reppereris ipsum Petrum Pestal sequestrum huiusmodi violasse et post sequestracionem ipsam huiusmodi lite pendente de fructibus dicte ecclesie se de facto intromisisse, ut prefertur, eundem Petrum Pestal prefata ecclesia auctoritate nostra sentencialiter declares fuisse et esse privatum eumque amoveas realiter ab eadem; et nichilominus, si per te prefatum Petrum Pestal huiusmodi ecclesia privatum declarari ipsumque ab ea amoveri contigerit, ut prefertur, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Petro Johannis auctoritate nostra conferas et assignes . . .[2]) Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Februarii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 34[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1779 [2]) Cf. nr. 1851 et 2049.

2049. *Georgio Venceslai providetur de parrochiali ecclesia in Trebič.*

Romae, 1403 Februarii 9.

Bonifacius . . . . Georgio Wenceslai rectori parrochialis ecclesie in Trebecz Olomucensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia s. Martini in Trebecz Olomucensis diocesis per monachos monasterii b. Marie in Trebecz ord. s. Benedicti dicte diocesis regi consueta, per liberam resignationem . . . . Petri Pestal monachi dicti monasterii, per eum de ipsa ecclesia, quam tunc obtinebat, per . . . . Johannem de Scriuanis procuratorem suum . . . . in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui, ut asseris, monachus dicti monasterii expresse professus existis, ... graciam facere specialem, ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Februarii a. quarto decimo.

Simili modo .... episcopo Olomucensi et .... abbati monasterii Luceusis Olomucensis diocesis ac .. decano ecclesie s. Severini Coloniensis .. .

R. Lat. 109 fol. 42b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XIIII XVI DE BENEVENTO — Cf. nros 1851 et 2048.

2050. *Episcopis Perusino et Nitriensi et praeposito ecclesiae s. Stephani in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus Andreae Wykardi de Bytes*[a]) *presbytero canonicatum et praebendam ecclesiae s. Martini alias s. Salvatoris in Posonio nuncupatae Strigoniensis dioc. conferant, non obstante, quod idem Andreas parrochialem ecclesiam in Halusicz*[b]) *Nitriensis dioc. obtinet, et nuper ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura ad collationem episcopi Olomucensis et praepositorum, decanorum, cantorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis et Cremsirensis*[c]) *ecclesiarum Olomucensis dioc. pertinente, vacante vel vacaturo, auctoritate apostolica provideri concessum est.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Februarii a. quarto decimo.*

Romae, 1403 Februarii 9.

R. Lat. 106 fol. 182a — a) ‚Biteschа' b) ‚Halozycz' c) ‚Cremsinen'. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Mon. Hung. Vat. ser. I. tom. IV nr. 569.

2051. *A. 1403 die 9. mensis Februarii Johannes episcopus Vladislaviensis,*[a]) *commendatarius monasterii s. Salvatoris de Saxardia in Ungaria ord. s. Benedicti Quinqueecclesiensis dioc, promisit per Johannem Seyotze plebanum in Ziegenhals*[b]) *Vratislaviensis dioc. camerae apostolicae et collegio cardinalium pro suo communi servitio 69 florenos auri de camera et quinque servitia consueta.*

Romae, 1403 Februarii 9.

Oblig. et sol. 57 fol. 50b — a) ‚Wlastislavien'. b) ‚Zegenhals'.

2052. *Judicibus mandatur, quatenus Stephano de Kostelec parrochialem ecclesiam in Vsetat, ad quam per patronos eiusdem generali vicario archiepiscopi Pragensis praesentatus fuit, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1403 Februarii 12.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... s. Ambrosii Pragensis ac in Gredismonachorum Pragensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Stephanus Johannis de Kostelecz presbyter Pragensis diocesis .... commendatur .., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Stephani peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Vssetath dicte diocesis per

liberam resignacionem . . . . Epifani olim eiusdem ecclesie rectoris, per eum de illa . . . . in manibus . . . . Ogerii vicarii . . . . archiepiscopi Pragensis in spiritualibus generalis extra Romanam curiam sponte factam, et per eundem vicarium extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissam, vacante, veri patroni laici ipsius ecclesie . . . . eundem Stephanum prefato vicario in rectorem dicte ecclesie infra tempus legitimum coram certis notario et testibus ad eandem ecclesiam nominarunt. Cum autem . . . . dicta ecclesia adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Stephano auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Stephanus, ut asserit, super parrochiali ecclesia in Bystricz dicte diocesis, cuius possessionem non habet, cuiusque fructus . . . . quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Stephanus . . . . predicte ecclesie in Wssetath possessionem fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Bystricz, si eam interim evincat, ... omnino dimittere, alioquin omni iuri sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti cedere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Februarii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 100 — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

2053. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Hodikoni Henslini neque Johanni [de Jesenicz] in parrochiali ecclesia in Vhrinèves ius competere, ecclesiam ipsam dicto Hodikoni conferat.*

Romae, 1403 Februarii 19.

Bonifacius . . . . magistro Bertrando de Arnasano capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Hodiko Henslini rector parrochialis ecclesie in Vgezd prope Pohorzelecz Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Hodikonis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Johannem Conradi dictum Puttertopf, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, super parrochiali ecclesia in Vhrzynawess Pragensis diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Mathie ultimi ipsius ecclesie rectoris, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, Hodiko sibi per quasdam litteras nostras graciose mandatum fuisse provideri dictamque ecclesiam in Vhrzynawess sibi vigore gracie et mandati predictorum deberi, dictumque Johannem se gracie et mandato huiusmodi contra iusticiam opposuisse ac opponere ac fecisse et facere, quominus eidem Hodikoni de ipsa ecclesia provideretur, dictamque ecclesiam occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatam. Johannes vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt,[1] materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam

ad instanciam dicti Hodikonis tibi . . . . commisimus . . . ., tuque ad quosdam citacionis et alios actus citra tamen conclusionem in causa huiusmodi inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutrum ipsorum Hodikonis et Johannis in eadem ecclesia in Vhrzynawess seu ad eam ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri eorundem litigancium in predicta ecclesia in Vhrzynawess vel ad eam ius competere, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Hodikoni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Hodiko, ut asserit, eandem parrochialem ecclesiam in Vgezd, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Hodiko, quamprimum . . . . eiusdem ecclesie in Vhrzynawess possessionem fuerit pacificam assecutus, eandem ecclesiam in Vgezd . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 171[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XI DE BENEVENTO, RESIDUUM PRO DEO — [1]) Cf. nr. 1962.

2054. *Judicibus mandatur, quatenus Laurentium Michaelis surrogent ad omne ius, quod monasterio in Gottrico in parrochiali ecclesia in Mautern eidem monasterio auctoritate apostolica unita tempore generalis revocationis unionum huiusmodi competebat.*

Romae, 1403 Februarii 19.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Laurencius Michaelis dictus Mawter clericus Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem pro parte . . . . abbatis et conventus monasterii in Goitwico ordinis s. Benedicti Patauiensis diocesis fel. rec. Urbano pape VI. . . . . supplicato, ut in Nelib et in Hofsteten ac in Mauttarn predicte Patauiensis diocesis parrochiales ecclesias, quarum prefati abbas et conventus patroni, ut asseruerant, existebant, dicto eorum monasterio incorporare, unire et annectere dignaretur, idem predecessor . . . . officiali Patauiensi . . . . suis dedit litteris in mandatis, ut prefatas ecclesias, quarum centum, ... prefato monasterio, cuius ducentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedebant, auctoritate apostolica perpetuo incorporaret, annecteret et uniret . . . . Postmodum vero predicto predecessore . . . . vita functo nobisque . . . . ad apicem summi apostolatus assumptis, idem Laurentius exposuit, quod predicta ecclesia in Mauttarn per obitum quondam Petri ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacaverat et vacabat tunc, licet abbas et conventus predicti, asserentes ipsam ecclesiam eidem monasterio auctoritate apostolica ut premittitur incorporatam et per eos congruam porcionem pro perpetuo vicario inibi instituendo assignatam fore, possessionem eiusdem ecclesie apprehendisse . . . . dicerentur, nos certis iudi-

cibus, eorum propriis nominibus non expressis, per alias nostras litteras ledimas in mandatis, ut, si . . reperirent prefatam ecclesiam eidem monasterio incorporatam et perpetuam vicariam in eo institutam, ipsam vicariam, si vero predictam ecclesiam prefato monasterio non esse incorporatam inveniret, eandem ecclesiam in Mauttarn . . . . prefato Laurencio, qui tunc in decimo octavo sue etatis anno constitutus erat, auctoritate nostra conferrent et de illa eciam proviclerent . . . .[1]) Et subsequenter pro parte dictorum abbatis et conventus nobis exposito, quod . . . . Leonardus Schawr officialis Patauiensis in huiusmodi execucionis negocio predictarum litterarum predecessoris eiusdem sibi directarum, ut prefertur, prout ex ipsarum forma poterat litterarum, vigore procedens, quia omnia et singula in eisdem litteris expressata, super quibus inquisicionem fecerat diligentem, repperat fore vera, prefatas parrochiales ecclesias . . . . eidem monasterio in Goitwico auctoritate predicta . . . . perpetuo incorporaverat, univerat et annexuerat . . . ., quodque . . . . eandem ecclesiam in Mauttarn ipsi monasterio ut prefertur unitam per vicarium presbyterum secularem regebant . . . . nos tunc eisdem abbati et conventui, ut cedente vel decedente seculari vicario predicto . . . liceret eisdem abbati et conventui unum presbyterum ydoneum dicti ordinis in perpetuum vicarium loco eiusdem vicarii secularis ponere . . . .. auctoritate predicta per alias nostras litteras duximus indulgendum . . . . Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Laurencii peticio continebat, orta inter ipsum ex una parte et abbatem ac conventum predictos et . . . Erhardum de Wienna presbyterum dicte diocesis Patauiensis super eo, quod Laurencius eandem ecclesiam in Mauttarn vigore dictarum litterarum per nos eisdem iudicibus directarum sibi deberi, dictosque abbatem et conventum eundem Erhardum in dicta ecclesia in Mauttarn intrusisse dictumque Erhardum eandem ecclesiam detinere indebite occupatam necnon eosdem abbatem et conventum ac Erhardum impedivisse et impedire, quominus eidem Laurencio de ipsa ecclesia in Mauttarn provideretur, abbas vero et conventus necnon Erhardus predicti eandem ecclesiam in Mauttarn ad dictum Erhardum de iure spectare asserebant, ex altera materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam ipsam . . . . magistro Johanni Prene capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Laurencii primo et deinde tibi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro obtinebas, prout obtines . . . . commisimus . . . .; et deinde, postquam tu in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processeras, et lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente, idem Erhardus, adhuc in possessione eiusdem ecclesie in Mauttarn tunc existens, omni iuri sibi in eadem ecclesia vel ad eam quomodolibet competenti in manibus dicti abbatis extra eandem curiam sponte et libere cessit, ipseque abbas huiusmodi cessionem extra eandem curiam admiserat, et tam ipse quam conventus huiusmodi extunc eandem ecclesiam in Mauttarn pretextu illarum per predecessorem et aliarum per nos eis concessarum litterarum predictarum vigore dictam ecclesiam in Mauttarn tenuerunt et tenent occupatam. Cum autem nos nuper, videlicet XI. kal. Januarii proxime preteriti cassaverimus, irritaverimus et annullaverimus omnes uniones ecclesiarum parrochialium, monasteriorum eciam monialium ac dignitatum, personatuum, prebendarum et officiorum ecclesiasticorum et piorum locorum quorumlibet . . ., que nondum sortite erant, ac

eciam illas, que essent sortite effectum alias, quam per obitus illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant tempore unionum de illis factarum, ... necnon eciam declaraverimus et decreverimus, quod prelati et capitula vel conventus ecclesiarum regularium ac monasteriorum eciam monialium aut prioratuum vel locorum, quibus per nos concessum erat, quod possent parrochiales ecclesias et beneficia curata seu perpetuas vicarias eis unita regi facere per monachos suos eciam removibiles ad nutum ipsorum vel alias qualitercunque, quod pretextu talium concessionum nulla parrochialis ecclesia aut perpetua vicaria parrochialis ecclesie aut aliud beneficium curatum, que prius regebantur per seculares clericos, possent deinceps regi per monachos ac regulares canonicos, sed in eis instituerentur perpetuii vicarii seculares presbyteri . . . ., et deinceps tales ecclesie parrochiales ac curata beneficia seu vicarie perpetue consueta prius per seculares clericos regi et gubernari nullatenus per monachos vel religiosos alios regerentur seu eciam gubernarentur . . . .,[2]) et propterea ius, si quod eisdem abbati et conventui tam predecessoris eiusdem et nostrarum eis concessarum litterarum predictarum vigore quomodolibet competebat aut competere poterat, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus, si tibi de huiusmodi cessione per dictum Erhardum facta et admissa, quodque iidem abbas et conventus vigore litterarum per dictum predecessorem et nos eis concessarum necnon cessionis et admissionis earundem ecclesie in Mauttarn prefate possessionem adepti extiterint, ut prefertur, [constiterit], dictum Laurencium . . . . in iure et ad ius huiusmodi, si quod eisdem abbati et conventui tempore cassacionis, irritacionis et annullacionis prefatarum in eadem ecclesia in Mauttarn vel ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., necnon eciam ad possessionem eiusdem ecclesie in Mauttarn, in qua ipsi abbas et conventus tempore cassacionis, irritacionis et annullacionis prefatarum erant, admittas et admitti facias, ut est moris, et nichilominus prefatam ecclesiam in Mauttarn, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Laurencio auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Laurencius, ut asserit, super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis necnon parrochiali ecclesia in Durnholcz Olomucensis diocesis, quorum fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in eodem palacio noscitur litigare,[3]) et quod nuper sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii in Mellico ordinis et Patauiensis diocesis predictorum necnon predicti [Pataviensis] episcopi et prepositi ac decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Patauiensis . . . . pertinente, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Laurencius eandem ecclesiam in Mauttarn . . . . fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Durnholz, si eam interim evincat, ... omnino dimittere, alioquin liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti cedere teneatur, quodque predicte littere, per quas ei de huiusmodi beneficio provideri mandavimus, ut prefertur, et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, extunc sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 69v — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: N. XXXXVI DI. BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1228 [2]) Cf. Ottenthal, Die päpstl. Kanzleiregeln p. 74 sq. [3]) Cf. nros. 1565 et 1911.

2055. *Johanni de Reddin reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura vacans vel vacaturum.*

Romae, 1403 Februarii 20.

Bonifacius .... Johanni Petri de Reddin clerico Culmensis diocesis .... Vite ac morum .... Volentes itaque tibi .... graciam facere specialem, beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus .... decem et octo marcharum argenti ... valorem annuum non excedant, ad .... prepositorum, decanorum, scolasticorum, cantorum, custodum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum s. Crucis Wratislauiensis et s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in eisdem ecclesiis obtinent, collacionem .... pertinens ...., conferendum tibi .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ..., quod dudum tibi, ut asseris, de parrochiali ecclesia in Czeginhals dicte diocesis, que tunc certo modo vacare sperabatur, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, quodque tu unum aut duo .... beneficia .... ecclesiastica, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum fuerit, ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis et .... prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis .... pertinencia, auctoritate quarundam aliarum litterarum nostrarum nosceris expectare. Volumus autem, quod post quinquennium a data presencium litterarum computandum vigore earundem aliquod beneficium nequeas acceptare .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Marcii a. quarto decimo.

Simili modo .... episcopo Thelesino et .... abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac .. officiali Wratislauiensi .....

R. Lat. 111 fol. 149v — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA]; in fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO.

2056. *Episcopo Cracoviensi mandatur, quatenus excommunicationis et interdicti sententias per Venceslaum episcopum Vratislaviensem contra quosdam invasores bonorum capituli Vratislaviensis latas auctoritate apostolica observari faciat easque aggravet.*

Romae, 1403 Februarii 23.

Bonifacius .... episcopo Cracouiensi .... Iustis et honestis .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... capituli et cleri Wratislauiensium peticio continebat, quod olim per bone memorie Gentilem tituli s. Martini in Montibus presbyterum cardinalem,[1]) tunc in regno Polonie sive in illis partibus apostolice sedis legatum inter alia provide statutum fuit et ordinatum, quod

nullus invadere, occupare ac illicite tenere presumeret decimas, tributa, castra, villas, municiones, possessiones et bona ad ecclesias et pia ac religiosa loca necnon ecclesiasticas personas spectancia et pertinencia quoquo modo, quodque occupatores et illiciti detentores decimarum, tributorum, castrorum, villarum, municionum, possessionum et bonorum huiusmodi excommunicacionis sentenciam incurrerent eo ipso, et illi, qui eisdem excommunicatis et in eadem excommunicacionis sentencia per mensem perseverantibus contumaciter, non restituendo ablata per eos huiusmodi spoliatis, postea adhererent, quia sic eos in peccatis fovere satagerent eorundem, eciam excommunicacionis vinculo extunc similiter ligarentur, ac terre, que ipsis spoliatoribus medio tempore obedirent, forent eciam ecclesiastico supposite interdicto, et quod eciam omnes et singuli archiepiscopi, episcopi necnon alii ecclesiarum prelati, capitula quoque et conventus tam regulares quam seculares, exempti et non exempti, huiusmodi statutum eciam inviolabiliter observare sub excommunicacionis pena tenerentur, et si spoliatores ipsi dictis spoliatis per eos non satisfacto decederent, ipsorum corpora perpetuo carerent ecclesiastica sepultura; et successive (!) per bone memorie Fulconem archiepiscopum Gneznensem,[2]) cum ecclesia Gneznensis infra dictum regnum consistat, et suos suffraganeos in quodam provinciali concilio Gneznensi eciam statutum erat, quod, si bona huiusmodi et res ecclesiasticas sive ecclesiasticarum personarum predicte provincie rapi sive capi et ad aliquem locum deduci contingeret, quod ille, in quo rapina huiusmodi facta foret, et eciam ille locus, ad quem huiusmodi res et bona rapta deducerentur et in quo detinerentur, eciam ipso facto esse deberent ecclesiastico supposita interdicto et quod huiusmodi interdictum tamdiu observaretur ibidem, donec sic violenter rapta seu ablata spoliatis restituerentur eisdem, sive de illis esset congrue satisfactum, ac successive pie recordacionis Jaroslaus archiepiscopus Gneznensis[3]) dicti Fulconis archiepiscopi successor eciam cum eisdem suffraganeis in simili concilio statuit et ordinavit, quod, si princeps seu capitaneus terre, baro aut miles, cuiuscunque dignitatis vel honoris existeret, vel officialis eorum archiepiscopo Gneznensi existenti pro tempore aut alicui de suffraganeis huiusmodi aut de corpore provincialium seu personis ecclesiasticis vel pauperibus degentibus in bonis ecclesiarum infra eandem provinciam dampnum vel manifestam offensam inferret, monitus quoque non emendaret illatam dampnum huiusmodi infra mensem, quod extunc archiepiscopo et suffraganeis ipsis, qui essent pro tempore, licitum foret, cuilibet videlicet eorum, in cuius diocesi iniuria et manifesta offensa huiusmodi personis et pauperibus ipsis pro tempore irrogata foret, pro huiusmodi iniuria et manifesta offensa propriam ecclesiam, si in terra ipsius principis iniuriantis existeret, sin autem, tunc solam terram seu districtum aut locum sue diocesis, in quo ipsi iniuriantes manerent, simili supponere interdicto. Cumque postmodum nobiles viri Bolko dux Opoliensis, Nicolaus de Logaw miles, Dlugomyl et frater ipsius in Schorgast, Henricus Stanghe, Naramspky Tschirba et Petraschius Nakotofsky circa Landisberg, Grebba in Olschaw prope Baranaw, Nicolaus de Lobischaw in districtu Koslensi, Miczko Surer et Nicolaus Berolt, Johannes Czweybrot, Johannes et Nicolaus dicti Solcz, Clemme Johannes Mezebor, Conradus Stokolaw, Albertus Troyan et Nicolaus de Czindal fratres, Albertus dictus Cellerarius, Rankow antiquior filius Pretwyczynne in Dorrendorff, Jacussius et Jandricke fratres et Jo-

hannes et Nicolaus fratres armigeri in Michilwicz et Henricus et Nicolaus fratres dicti Hugewicz, Merborch Rebbe circa Opul, Petrasch Kwas, Martinus de Oderberg, Theodericus Stange, Lucko, Komynicz, Marczynko, Sweynsko, Dolancke, Basanche et Rosancke foris oppidum Hotzenplotz, Wenceslaus alias Waczlaw, Pobeda, Kreys, Strech et Czensko armigeri in Gneznensi, Wratislauiensi et Olomucensi diocesibus commorantes una cum nonnullis satellitibus eorum in hac parte complicibus et auxiliatoribus Boguslawicz, Melowicz, Radwanicz, Repplin, Czucholicz, Prawoczino Thuraw et Segitz villas dicte diocesis Wratislauiensis ac domum dotis parrochialis ecclesie s. Catherine dicte Wratislauiensis diocesis, que quidem ville ad dictos capitulum ac mensam capitularem Wratislauiensem in temporalibus pleno iure pertinent, manu armata intrassent, necnon huiusmodi capitulum et plures ex clero huiusmodi ac pauperes homines in eisdem villis tunc commorantes, subditos capituli et illorum ex clero predictorum, pecoribus, pecudibus et aliis animalibus necnon pecuniarum summis ac bonis et rebus mobilibus diversis ibidem tunc repertis violenter spoliassent, ac eciam quosdam habitatores dictarum villarum, subditos capituli et aliorum ex clero huiusmodi, captivassent, necnon homines captivatos ac bona et res huiusmodi secum ad nonnulla predicti ducis et eciam quedam alia oppida, villas, terras et loca tunc expressa in predicta provincia consistencia in predam abduxissent, necnon eciam capitulo et aliis ex clero huiusmodi alia multa per eosdem ducem, militem et armigeros, familiares, complices et fautores iniurie et damna irrogata fuissent, necnon premissa essent adeo notoria, quod nulla possent tergiversacione celari, ... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis, cum quilibet huiusmodi suffraganeorum predictorum statutorum in suis civitate et diocesi executor existat, eosdem ducem, Nicolaum militem, armigeros familiares, complices et fautores per suas certi tenoris litteras in vim execucionis eorundem statutorum citari fecit, ut coram eo certo termino peremptorio competenti tunc expresso comparerent ad audiendum declarari per eum se propter huiusmodi violencias, iniurias, capciones et rapinas per eos dictis capitulo et aliis de clero huiusmodi irrogatas, ut prefertur, excommunicacionis in personis eorum et alias censuras in tales in predictis statutis promulgatas damnabiliter incurrisse illisque irretitos esse, necnon eorum et eciam alia oppida, villas, terras et loca, ad que huiusmodi animalia ac res et bona dictorum capituli et aliorum de clero huiusmodi deduxerunt, et in quibus res et bona ipsa detinebantur, tunc expressa, propterea fore huiusmodi supposita interdicto, vel dicendum causam racionabilem, quare illud fieri non deberet; sed quia dux et Nicolaus miles, armigeri, familiares, complices et fautores huiusmodi in dicto termino coram prefato episcopo comparere contumaciter non curarunt, prefatus episcopus declaravit eosdem ducem, Nicolaum militem, armigeros, familiares, complices et fautores excommunicaciones et alias censuras huiusmodi damnabiliter incurrisse ac huiusmodi eorum et eciam alia oppida, villas, terras et loca, ad que res et bona huiusmodi eorundem capituli et aliorum ex clero prefatis deducta fuerunt, et in quibus ipsa res et bona detinebantur, ut prefertur, fuisse et esse eidem supposita interdicto, ac ducem, Nicolaum militem, armigeros, familiares, complices et fautores antedictos excommunicacionis necnon aliis censuris huiusmodi ligatos, et illa, ad que res et bona huiusmodi capituli et aliorum de clero huiusmodi perducta fuerunt, et illa eciam, in quibus violenter

detinebantur, oppida, villas, terras et loca huiusmodi eidem fore supposita interdicto mandavit et fecit publice nunciari, sed dux, Nicolaus miles, armigeri, familiares, complices et fautores prefati in reprobum sensum dati excommunicacionis et alias censuras huiusmodi sustinuerunt diucius et sustinent animis induratis .... Quare pro parte dictorum capituli et aliorum de clero huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, ut easdem excommunicacionis et interdicti sentencias robur faceremus firmitatis debitum obtinere ipsisque alias in premissis oportune providere .... dignarenur. Nos itaque .... fraternitati tue .... mandamus, quatenus predictas excommunicacionis necnon interdicti sentencias huiusmodi, prout racionabiliter sunt prolate, facias auctoritate nostra usque ad satisfaccionem condignam appellacione remota inviolabiliter observari: et nichilominus huiusmodi sentencias, quociens tibi videbitur, et prout iustum fuerit, auctoritate nostra aggravare procures .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Marcii a. quarto decimo.

R Lat. 113 fol. 163b — Supra in marg. sin.: CANCE|LLA|RIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Gentilis cardin. s. Martini in Montibus 1300—1312 [2]) Fulco (Pelka) archiep. Gneznensis 1232—1258 [3]) Jaroslaus archiep. Gneznensis 1342—1374.

***2057**. Declaratur per provisionem Leoni Johannis de praepositatu in Komárov auctoritate apostolica factam monasterio Trebecensi in consuetudine ponendi et amovendi praepositos dicti praepositatus derogari non debere.*

Romae, 1403 Februarii 27.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Sincere devocionis affectus, quem .... abbas et conventus monasterii in Trebecz ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut peticionibus eorum, que a racionis tramite non discordant, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem .... Leoni Johannis preposito prepositatus s. Benedicti in Camerow alias in Luha ordinis et diocesis predictorum de eodem prepositatu, tunc vacante et antea disposicioni apostolice reservato, per nostras litteras graciose duximus providendum, sibi nichilominus, ut ab eodem prepositatu, qui a dicto monasterio dependet, et per monachos eiusdem monasterii, cuius eciam idem Leo, ut asseritur, monachus expresse professus existit, gubernari, et a quo illum pro tempore obtinens pro solo nutu abbatis dicti monasterii pro tempore existentis amoveri et ad claustram eiusdem monasterii revocari consuevit, cum illum ipsarum litterarum vigore assequeretur, auctoritate ordinaria amoveri nequiret, auctoritate apostolica per easdem litteras concedendo ....[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum abbatis et conventus peticio continebat, iidem abbas et conventus dubitent imposterum propter provisionem et concessionem huiusmodi ipsum abbatem aut successores suos, abbates eiusdem monasterii, qui pro tempore erunt, in iure et consuetudine ponendi et amovendi ad eorum nutum prepositos dicti prepositatus, prout hactenus consuetum fuit, impediri aut huiusmodi consuetudinem per easdem provisionem et concessionem interruptam reputari posse, pro parte eorundem abbatis et conventus nobis fuit humiliter suppli-

catum, ut providere eis super hoc de oportuno remedio . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . auctoritate predicta . . . . declaramus prefatis abbati et conventui in huiusmodi consuetudine per provisionem et concessionem nostras predictas post obitum dicti Leonis non debuisse nec debere in futurum quomodolibet derogari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 149 fol. 100b — supra in marg. sin.: CANCELLARIA, in fine: N XXX DE BENEVENTO. — [1] Cf. nr. 1385.

2058. Georgio de Jevíčko providetur de parrochiali ecclesia in Hustopeč (Auspitz).

Romae, 1403 Februarii 28.

Bonifacius . . . . Georgio de Gewiczka rectori parrochialis ecclesie in Auspecz Olomucensis diocesis, bacallario in decretis . . . . Litterarum sciencia, vite . . . . Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero nos . . . abbatisse et conventui monasterii Aule b. Marie in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis diocesis . . . . motu proprio . . . . parrochialem ecclesiam in Auspecz predicte diocesis, cuius ius patronatus ad ipsum monasterium, ut asserebatur, pertinebat ac pertinet, et cuius regimini quondam Hermannus dictus de Auspecz ultimus ipsius ecclesie rector preerat tunc, cuiusque triginta, predicto monasterio, cuius quadringentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedebant, ... auctoritate apostolica per nostras litteras perpetuo incorporavimus, annexuimus et univimus, eis nichilominus concedentes, quod dictum rectorem ab ipsa ecclesia amovere, necnon corporalem possessionem ecclesie . . . . auctoritate propria apprehendere . . . ., ipsasque ecclesiam et curam parrochianorum eiusdem per ydoneos sacerdotes per abbatissam dicti monasterii . . . . et ad eius nutum deponendos et amovendos regi facere libere possent, super hoc diocesani loci . . . . vel cuiuscunque alterius licencia seu consensu minime requisitis, ... non obstantibus revocacionibus unionum in genere vel in specie . . . . per nos forsan imposterum faciendis, sub quibus unionem huiusmodi noluimus aliquatenus comprehendi, ac voluimus eciam, quod, si per easdem abbatissam et conventum prefatum rectorem ab ipsa ecclesia amoveri contingeret, ut prefertur, idem rector nullam propter amocionem huiusmodi infamie maculam incurreret sive notam, quodque dicte abbatissa et conventus extunc singulis annis eidem rectori, quoad viveret, annuam pensionem triginta marcharum argenti puri ministrare ac nichilominus, antequam possessionem ipsius ecclesie apprehendere valerent, de huiusmodi pensione annuatim realiter et cum effectu persolvenda eidem rectori ydoneam cautionem prestare tenerentur et essent astricte . . . .[1] Cum autem postea, videlicet XI kal. Januarii proxime preteriti, cassaverimus . . . . omnes uniones ecclesiarum parrochialium . . . . ac piorum locorum quorumlibet hactenus sive per nos sive per predecessorem nostrum immediatum aut eciam per quosvis ordinarios factas

quibuscunque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis . . . ., que nondum sortite essent effectum, ac eciam illas, que sortite forent effectum alias quam per obitum illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant tempore unionum de illis factarum . . . ., et eciam illas, que facte fuerant sine magna necessitate vel ex falsis aut nullis causis . . . ., et sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, predictus Hermannus post litteras ipsas predictis abbatisse et conventui concessas et revocacionem huiusmodi unionum per nos factam, ut prefertur, tunc in possessione dicte parrochialis ecclesie adhuc existens, prefatam ecclesiam coram certis notario publico et testibus extra Romanam curiam libere duxerit resignandam, ipseque abbatissa et conventus vigore dictarum litterarum eis per nos concessarum possessionem ipsius ecclesie adepte, illam extunc tenuerint et possederint ac teneant et possideant de presenti, ipsaque parrochialis ecclesia secundum premissa vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos volentes tibi, qui eciam, ut asseris, magister in artibus existis. . . . consideracione . . . . Baldassaris s. Eustachii diaconi cardinalis, [pro te], dilecto suo,[a]) nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, Olomucensis et s. Marie Glogouiensis ac s. Petri in Brunna ecclesiarum canonicatus et prebendas, necnon parrochialem ecclesiam in Hoffino (*sic*) nosceris obtinere, et quod alias tibi de parrochiali ecclesia s. Jacobi in Brunna Wratislauiensis et predicte Olomucensis diocesium, cuiusque ecclesie s. Jacobi possessionem nondum adeptus existis, et quorum omnium fructus . . . . nonaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, fuit apostolica auctoritate provisum.[b]) Volumus autem, quod, quamprimum . . . . possessionem eiusdem ecclesie in Auspecz fueris pacifice assecutus, in Hofflino et s. Jacobi ecclesias predictas . . . . omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eadem ecclesia s. Jacobi seu ad eam quomodolibet competenti cedere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Marcii a. quarto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Zabardowizensis prope Brunnam Olomucensis diocesis ac . . officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 105 fol. 147[a] — [a]) dilecti sui' cod. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in tine JAC. XX . XXII DE TERAMO — [b]) Cf. nr. 901 — [c]) Cf. nr. 2040.

2059. *Georgio Venceslai indulgetur, ut litterae, per quas ei de parrochiali ecclesia in Trebič provisum est, perinde valeant, ac si in eis mentio fieret eandem ecclesiam quandoque per monachos, quandoque vero per presbyteros saeculares gubernari consuevisse.*

Romae, 1403 Martii 7.

Bonifacius . . . . Georgeo (*sic*) Wenceslai rectori parrochialis ecclesie s. Martini in Trebecz Olomucensis diocesis . . . . Religionis zelus . . . . Nuper siquidem cum parrochialis ecclesia sancti Martini in Trebecz Olomucensis diocesis, per monachos

monasterii b. Marie in Trebecz ord. s. Benedicti dicte diocesis, ut asserebatur, regi consueta, per liberam resignacionem . . . . Petri Pestal monachi dicti monasterii . . . . vacaret, tunc nos de ipsa ecclesia . . . . tibi auctoritate apostolica graciose duximus providendum, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . .[1] Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, dicta parrochialis ecclesia non solum per monachos eiusdem monasterii, ut prefertur, verum quandoque per monachos, quandoque vero per presbyteros seculares consueverit gubernari, tuque propterea dubites te super eadem ecclesia posse imposterum molestari, nos, ne propterea littere ipse surrepticie valeant reputari, providere teque, qui, ut asseris, monachus dicti monasterii expresse professus existis, ... favoribus graciosis prosequi volentes . . ., volumus et auctoritate predicta tibi concedimus, quod eedem littere ac processus habiti per easdem et quecunque inde secuta perinde a data presencium valeant plenamque obtineant roboris firmitatem . . . . , ac si in eisdem litteris, quod ecclesia prefata quandoque per monachos dicti monasterii, quandoque vero per presbyteros seculares, ut premittitur, consuevit gubernari, expressum extitisset . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 113 fol. 237 — In fine: N. XVI DE BENEVENTO — Cf. nr. 2049

2060. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni Augustini canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1403 Martii 10.

Bonifacius . . . . episcopo Pistoriensi et . . . . abbati monasterii b. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac . . officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Augustini canonicus ecclesie s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Philippus de Zeletaw . . . . obtinebat, per ipsius Philippi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Johannes vigore quarundam litterarum apostolicarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie Wratislauiensis obtinens, prebendam inibi expectabat, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes ante revocacionem graciarum expectativarum nuper, videlicet undecimo kal. Januarii proxime preteriti, per nos factam[1] infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi obtinuit provideri. Cum autem . . . . dictus Johannes dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, in s. Marie predicta et in s. Sepulcri dominici Legenicensi ac in s. Nicolai Othmuchouiensi canonicatus et prebendas necnon parrochialem ecclesiam s. Catherine in Gora dicte diocesis ac

perpetuam vicariam in Wratislauiensi et quoddam perpetuum beneficium ‚canonicatum' nuncupatum [in] Scarbimiriensi Craconiensis diocesis ecclesiis, quorum omnium fructus . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, prout in prefatis litteris voluimus, quod ipse Johannes, quamprimum . . . . dictos canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislauiensi fuerit pacifice assecutus, vicariam et perpetuum beneficium predicta . . . ., prout ad id se sponte obtulit, omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 177 — Supra in marg. sin.: CAN|CELLA|RIA: in fine: JAC. XX DE TERAMO — Cf. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 74.

2061. *Henrico duci Silesiae*[a]) *et Annae eius uxori Vratislaviensis dioc indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Marcii a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Martii 10.

R. Lat. 110 fol. 174b — a) Slezie. — In fine: N. XII DE BENEVENTO

2062. *Ludovico duci Silesiae* a) *indulgetur, ut in locis interdictis divina officia celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Marcii a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Martii 10.

R. Lat. 110 fol. 174b — a) Slezie. — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2063. *Mazeo de Lamberto indulgetur, ut provisio de canonicatu et praebenda ac archidiaconatu ecclesiae Vratislaviensis ei facta a data praesentium valeret, etiam si dicta beneficia alias vacaverint, quam in litteris super huiusmodi provisione ei concessis expressum est.*

Romae, 1403 Martii 14.

Bonifacius . . . . Mazeo de Lamberto perpetuo vicario ad altare Corporis Christi situm in ecclesia Wratislauiensi, apostolice camere clerico . . . . Grata tue . . . . Dudum siquidem tibi de canonicatu et prebenda ac archidiaconatu ecclesie Wratislauiensis, quos . . . Laczko episcopus Olomucensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Olomucensem tunc vacantem obtinebat, cum illos per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem episcopo, tunc electo Olomucensi impendendum vel per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti sive alias quovis modo preterquam per predicti episcopi, tunc electi, obitum vacare contingeret, per nostras litteras

mandavimus provideri, certis tibi super hoc executoribus deputatis, ac tecum, ut canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos .... una cum perpetua vicaria sine cura ad altare Corporis Christi situm in eadem ecclesia, quod tunc temporis obtinebas, prout obtines, licite quoad viveres, retinere valeres, auctoritate apostolica dispensavimus .... Deinde vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, cum postea prefatus episcopus, tunc electus, regiminis et administracionis bonorum ipsius ecclesie Olomucensis vigore promocionis eiusdem, antequam dictum tempus effluxeret, et antequam eciam ei huiusmodi munus impenderetur, possessionem pacifice foret adeptus, tu eosdem canonicatum et prebendam ac archidiaconatum propterea tunc vacantes .... assecutus, illos extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides, pacifice et quiete. Cum autem .... tu dubites canonicatum et prebendam ac archidiaconatum prefatos, quorum fructus .... centum marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, non ut prefertur, sed alias .... vacavisse seu vacare ...., et propterea te super eisdem canonicatu et prebenda ac archidiaconatu posse imposterum molestari, nos volentes te, qui eciam eorundem fructuum et proventuum in regno Polonie eidem camere debitorum collector, et ut asseris, de nobili genere procreatus existis, favoribus prosequi graciosis ...., volumus et eadem apostolica tibi, altare predictum et ecclesiam s. Cipriani de Forcilla Neapolitanam, que sine cura eciam est, obtinenti, ac qui super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quorum omnium fructus .... eciam centum marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, in palacio predicto litigas,[1]) auctoritate concedimus, quod collacio predicta, tibi ut premittitur facta et quecunque inde secuta .... perinde a data presencium valeant ...., ac si dicti canonicatus et prebenda ac archidiaconatus alias quam per huiusmodi adepcionem possessionis regiminis et administracionis predictorum per dictum episcopum, tunc electum, ut premittitur, factam minime vacavissent, et propterea de illis nulla alia generalis vel specialis reservacio facta foret, ac eciam inter aliquos tempore adepcionis eiusdem in predicto palacio vel alibi super ipsis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu aliqua lis minime pependisset .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Marcii a. quarto decimo.

R. Lat. 108 fol. 147a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]: in fine: JAC. XXX DE TERAMO. — [1]) Cf. nros. 1592, 1826, 2005.

2064. *Episcopo Melfiensi et Scotorum in Vienna*[a]) *ac in Sar*[b]) *Pataviensis et Pragensis dioc. monasteriorum abbatibus mandatur, quatenus Stephano Nicolai de Bystricz*[c]) *presbytero Olomucensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in Bystricz dictae dioc., cuius fructus 14 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, sive per obitum Petri dicti Biceps ultimi ipsius ecclesiae rectoris extra Romanam curiam defuncti, sive per mortem Venceslai etiam ipsius ecclesiae rectoris aut alio quovis modo vacet. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Martii 15.

R. Lat. 106 fol. 262b — a) ‚Wyenna‘ b) ‚Zdyar‘ c) ‚Bistricz‘ — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

2065. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni [de] Zlabings neque Stiborio alias Stibuř in parrochiali ecclesia in Moravičan ius competere, ecclesiam ipsam dicto Johanni conferat.*

Romae, 1403 Martii 16.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas, ... super quibus . . . . Johannes Slewings canonicus Olomucensis, magister in artibus, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod, cum olim ipse parrochialem ecclesiam in Morawitzan Olomucensis diocesis, tunc per obitum quondam Jacobi ultimi rectoris eiusdem ecclesie extra Romanam curiam defuncti vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, assecutus fuisset canonice, et . . . . Stiborius alias Stiburz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, collacioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, impedivisset et impediret ac fecisset et faceret, quominus ipse Johannes eandem ecclesiam posset pacifice possidere, idem Johannes prefatum Stiborium super hoc, petendo sibi ecclesiam predictam adiudicari et super ea ac impedimentis predictis dicto Stiborio perpetuum silencium imponi, coram . . . . officiali Olomucensi non ex delegacione apostolica traxit in causam, idemque officialis cognitis huiusmodi cause meritis ac iuris ordine observato, diffinitivam, per quam eandem ecclesiam Johanni adiudicavit et super ea Stiborio prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Stiborii ad curiam archiepiscopalem Pragensem, loci metropoliticam, extitit appellatum, tuque in huiusmodi appellacionis causa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutrum dictorum litigancium in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam ius habere, nos . . . . volentes eidem Johanni, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, fraternitati tue . . . . mandamus, quatinus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, neutri dictorum Johannis et Stiborii in dicta ecclesia seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... [eidem Johanni] auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, in Olomucensi[1]) et s. Mauricii in Cremsir canonicatus et prebendas ac quoddam altare sine cura situm in parrochiali ecclesia in Titzin dicte diocesis ecclesiis, quorum omnium fructus . . . . eciam viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 235a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 1988 et 2038.

2066. *Episcopo Tudensi et praeposito ac decano ecclesiae Pataviensis mandatur, quatenus Laurentio Nicolai de Nikolsburg*[a]) *parrochialem ecclesiam in Wilhelmsburg*[b]) *Pataviensis dioc., quam ipse vigore litterarum apostolicarum, per quas*

beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura ad collationem abbatis et conventus monasterii Campiliorum cisterciensis ord. dictae dioc. pertinens expectabat, ante generalem revocationem gratiarum expectativarum 1402 Dec. 22 factam acceptavit, auctoritate apostolica conferant, non obstante, quod altare s. Jacobi situm in ecclesia monasterii eiusdem s. Jacobi Viennensis ord. s. Benedicti et quandam perpetuam capellaniam in ecclesia Omnium Sanctorum in Vienna Pataviensis dioc. noscitur obtinere. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Aprilis a. quarto decimo".

Romae, 1403 Martii 17.

R. Lat. 114 fol. 253[b] — a) ‚Nicolspurg' b) ‚Wilhalmspurg' Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2067. *Nobili viro Vilhelmo dicto Lepus baroni baroniae de Waldek Pragensis dioc. eiusque uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Aprilis a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Martii 21.

R. Lat. 110 fol. 174[b] — a) ‚Waldecke' — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2068. *Johanni alias dicto Hanuško de Montibus Cutnis[a]) rectori parrochialis ecclesiae in Podébrad[b]) Pragensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrare possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Aprilis a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Martii 21.

R. Lat. 110 fol. 174[b] — a) ‚Hannusko de Montibuskutinis' b) ‚Podvebrad' — In fine N. X DE BENEVENTO.

2069. *Judicibus mandatur, quatenus Jeronymo Seidenberg quoddam altare situm in maiore ecclesia Vratislaviensi conferant.*

Romae, 1403 Martii 22.

Bonifacius .... episcopo Ferentinatensi et .... abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi .... Grata .... magistri Jeronimi Sydenberg canonici Wratislauiensis, decretorum doctoris, capellani nostri, devocionis obsequia .... nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque, sicut accepimus, altare s. Michaelis situm in maiori ecclesia Wratislauiensi, quod canonicis ipsius ecclesie assignari consuevit, et quod quondam Jeronimus de Tesmysdorff .... obtinebat, per ipsius Jeronimi de Tesmysdorff

obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes prefato Jeronimo Sydenberg, qui eciam causarum palacii apostolici auditor existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre mandamus, quatenus . . ·. altare predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Jeronymo Sydenberg auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Jeronimus Sydenberg, ut asserit, in predicta ac in Olomucensi et in s. Crucis Wratislauiensi ac in s. Hedewigis Bregensi Wratislauiensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas necnon parrochialem ecclesiam b. Marie Magdalene Wratislauiensem obtinet et super canonicatu et prebenda maioris ac prepositura s. Apollinaris Pragensium ecclesiarum, que quidem prepositura curata et dignitas principalis in eadem ecclesia s. Apollinaris existit, in eadem curia litigat, et nuper sibi de canonicatu et prebenda ecclesie s. Georgii et capella s. Mauricii in castro Pragensi, quorum possessionem nondum adeptus est, et quorum omnium fructus . . . . centum et quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, apostolica fuit auctoritate provisum nosque eciam nuper eidem Jeronimo Sydenberg de uno vel duobus seu tribus aut quatuor vel quinque . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si duo ipsorum dignitates seu personatus vel officia cum cura vel sine cura forent, et ad dignitates huiusmodi qui per eleccionem assumerentur, et eciam si dignitates ipse post pontificales maiores in metropolitanis vel cathedralibus aut principales in collegiatis ecclesiis existerent, ad . . . . archiepiscopi Pragensis et predicti Wratislauiensis et Warmiensis episcoporum et . . . . prepositorum, decanorum, archidiaconorum, scolasticorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum dictarum maioris Pragensis et Wratislauiensis necnon Warmiensis ecclesiarum collacionem . . . . pertinentibus, eciam si earundem ecclesiarum canonicatus et prebende eciam maiores . . . . forent, ... vacantibus aut . . . . vacaturis, per alias nostras litteras, per quas eciam secum auctoritate apostolica dispensavimus, ut duas dignitates vel duos personatus aut duo officia curata seu alias incompatibilia . . . . recipere et insimul una cum dictis parrochiali ecclesia et prepositura . . . . retinere libere et licite posset, graciose mandavimus provideri . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 105 fol. 19b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO — [1]) Cf. nros. 1723 et 1830.

2070. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Gelfrido Lukow canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1403 Martii 22.

Bonifacius . . . . officiali Wratislauiensi . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Gelfridi Lukow canonici ecclesie s. Nicolai Othmuchouiensis Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod

olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Jeronimus de Tesnysdorf . . . . obtinebat, per eiusdem Jeronimi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, ... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes prefato Gelfrido auctoritate ordinaria contulit et de illis eciam providit ipseque Gelfridus eosdem canonicatum et prebendam . . . . extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Gelfridus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Gelfrido . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Gelfridus, ut asserit, canonicatum et prebendam in predicta s. Nicolai ac cantoriam in b. Marie Maioris Glogouie dicte diocesis, que dignitas in eadem ecclesia existit, necnon altare beatorum Andree et Jacobi apostolorum situm in parrochiali s. Elisabeth Wratislauiensi ecclesiis, quorum omnium fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 232a – Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

2071. *Nobili viro Sulkoni de Radkov[a]) domicello Olomucensis dioc. eiusque uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Aprilis a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Marti 27.

R. Lat. 110 fol. 175a — a) ‚Rackov' — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2072. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Heiligenbeil parrochialem ecclesiam in Vojkovicz conferant.*

Romae, 1403 Martii 28.

Bonifacius . . . . Perusino et . . Olomucensi episcopis ac . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . Nicolaus Longi de Heilgenbil rector parrochialis ecclesie in Sconenberg Warmiensis diocesis . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Woykawyez Olomucensis diocesis, quam quondam Johannes de Chremse . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes prefato Nicolao, qui presbyter est, et ut asserit, baccalarius in artibus existit, . . . graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus,

quatenus . . . . ecclesiam in Woykawicz predictam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod dudum eidem Nicolao de dicta ecclesia in Schonenberg, cuius eciam quatuor, et de una in Warmiensi et de alia in Warmacensi *(sic)* ecclesiis perpetuis vicariis sine cura, quarum sex marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certis modis vacantibus, apostolica fuit auctoritate provisum. Nos enim cum eodem Nicolao, ut ecclesiam in Woykawicz predictam . . . . recipere et una cum dicta ecclesia in Schonenberg usque ad biennium retinere libere et licite valeat . . . ., auctoritate apostolica dispensamus, ita tamen, quod ipse Nicolaus alteram ex parrochialibus ecclesiis huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili infra huiusmodi biennium permutare, alioquin eandem ecclesiam in Schonenberg . . . . dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 105 fol. 17b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA: in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

2073. *Petro Holczener oppidano oppidi Bregensis et Clarae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. quarto decimo*“.

Romae, 1403 Martii 29.

R. Lat. 110 fol. 175a — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2074. *Judicibus mandatur, quatenus Jacobo Martini [de Ledeč] altare s. Martini in ecclesia Pragensi conferant.*

Romae, 1403 Aprilis 1.

Bonifacius . . . . episcopo Anconitano et . . . . Pragensi ac . . Luthomuslensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Jacobus Martini perpetuus vicarius parrochialis ecclesie in Alta Muta Luthomuslensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Jacobi peticio continebat, quod olim altari s. Martini sito in ecclesia Pragensi, quod quondam Johannes Hanek . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus Jacobus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciamsi ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum foret, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis . . . . pertinencia expectabat, predictum altare, sic vacans et ad collacionem dictorum de-

cani et capituli communiter pertinens, alias infra tempus legitimum acceptavit. Cum autem .... altare predictum adhuc ... vacare noscatur, nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus ..... quindecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Jacobus, ut asserit, perpetuam vicariam parrochialis ecclesie predicte obtinet et super altari sine cura s. Catherine sito in parrochiali ecclesia in Czrnyewicz, cuius possessione de facto spoliatus extitit, ac super parrochiali ecclesia in Lukowa Pragensis et Luthomislensis diocesium, et quorum omnium fructus .... octo marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare[1]. Volumus autem, quod idem Jacobus exnunc predictam parrochialem ecclesiam .... ac omne ius sibi in ea ....[a] quomodolibet competens .... omnino, prout id eciam ipse sponte voluit, dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 231[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: PRO MEDIETATE, JAC. X DE TERAMO. — [1]) Cf. nros. 1744 et 1769.

2075. *Capellam hospitalis pauperum s. Spiritus in suburbio Glogoviae Maioris Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (in nro. 366 nominatis) visitantibus et ad eius conservationem ac pauperum et infirmorum in dicto hospitali degentium sustentationem manus adiutrices porrigentibus duorum annorum et totidem quadragenarum resp. centum dierum indulgentiae conceduntur, praesentibus litteris post decennium minime valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Aprilis a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Aprilis 4.

R. Lat. 108 fol. 85[a] — Supra in marg. sin.: CANCELL[ARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

2076. *Judicibus mandatur, quatenus Laurentio Sachse canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1403 Aprilis 10.

Bonifacius .... abbati monasterii b. Marie virginis in Arena extra muros Wratislauienses .. et scolastico ecclesie Wratislauiensis ac .. officiali Wratislauiensi .... Litterarum sciencia, vite ac morum honestas ...., super quibus .... Laurencius Sachse perpetuus vicarius in ecclesia s. Crucis Wratislauiensis, licenciatus in decretis,[1]) .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Laurencii peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam

Wenceslaus de Luthemuschil . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, ... Wenceslaus episcopus Wratislauiensis dictos canonicatum et prebendam sic vacantes prefato Laurencio auctoritate ordinaria contulit et de illis eciam providit, ipseque Laurencius . . . . dictos canonicatum et prebendam extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Laurencius dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes dicto Laurencio, qui, ut asserit, cum rigore examinis in eisdem decretis licenciatus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . . non excedunt, ... prefato Laurencio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Laurencius, ut asserit, perpetuam vicariam in s. Crucis predicta et altare s. Kazarie situm in s. Marie Magdalene Wratislauiensi ecclesiis, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Aprilis a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 16[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA: in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) ‚Laurentius Saxo de Vratislavia' a. 1389 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Monum. univ. Prag. I, I. p. 265).

2077. *Oppidanis fraternitatis dictae de Czecha oppidi Montium Cutnorum Pragensis dioc. indulgetur, ut rectori capellae Corporis domini et b. Barbarae prope dictum oppidum per eos fundatae confiteri et ab eo ecclesiastica sacramenta percipere possint. „Humilibus et honestis" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Maii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Aprilis 16.

R. Lat. 108 fol. 33[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XL DE TERAMO — Ed. Čelakovský, Codex iuris municipalis II p. 974 nr. 755; item e transsumpto regis Vladislai ab a. 1479 Kalousek, Věstník kr. č. spol. nauk (= Sitzb. der kön. böhm. Gesell. d. Wiss.) 1885 p. 144.

2078. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Apeczkonem Schyndeman surroget ad omne ius, quod Johanni de Tanna tempore assecutionis parrochialis ecclesiae in Rozbělicz in parrochiali ecclesia in Pirnis competebat.*

Romae, 1403 Aprilis 20.

Bonifacius . . . . magistro Jeronimo Seydenbergh capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Apeczko Schyndeman presbyter Misnensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Apeczkonis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Johannem Fabri de Thanna clericum Nuenburgensis diocesis

ex una et Georgium dictum Czibule ac Sdenkonem de Crast necnon Johannem Janda, qui se gerunt pro clericis Pragensis diocesis, super parrochiali ecclesia b. Marie virginis in Pirnis dicte Misnensis diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Nicolai de Stupicz eiusdem ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, Johannes Fabri sibi auctoritate apostolica provisum, seque illam assecutum fuisse canonice et aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictosque Georgium et Sdenkonem ac Johannem Janda se provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus ipse Johannes Fabri eandem ecclesiam posset pacifice possidere, Georgius vero et Sdenko ac Johannes Janda prefati quilibet videlicet eorum ecclesiam predictam ad se de iure spectare asserebant, prout ipsi Gregorius et Sdenko ac Johannes Janda adhuc asserunt, ex alia partibus materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam ad instanciam dicti Johannis Fabri tibi .... commisimus ...., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem .... lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Johannes Fabri in possessione dicte ecclesie existens, parrochialem ecclesiam in Rosenplicz dicte Pragensis diocesis .... auctoritate ordinaria sibi collatam extiterit pacifice assecutus, et propterea omne ius, quod dicto Johanni Fabri in eadem ecclesia in Pirnis seu ad eam tempore huiusmodi assecucionis predicte ecclesie in Rosenplicz quomodolibet competebat aut competere poterat, vacaverit et vacet ad presens, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus eundem Apeczkonem .... in iure et ad ius huiusmodi, quod predicto Johanni Fabri tempore huiusmodi assecucionis dicte ecclesie in Rosenplicz in predicta ecclesia in Pirnis seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ...., et nichilominus parrochialem ecclesiam in Pirnis predictam, cuius fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., auctoritate predicta conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod dictus Apeczko, ut asserit, super parrochiali ecclesia in Teczyn dicte Pragensis diocesis in prefato palacio noscitur litigare. Volumus autem, quod idem Apeczko, quamprimum .... eandem parrochialem ecclesiam in Pirnis fuerit pacifice assecutus, predictam ecclesiam in Teczyn ...., si eam interim evincat, ... omnino dimittere, alioquin omni iuri sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti cedere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Maii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 84[v] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XXVI DE TERAMO.

2079. *Magistro Nicolao Vordis capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus Nicolaum dictum Jode (Joede) perpetuum vicarium in ecclesia Misnensi, cui olim parrochialis ecclesia in Bernsdorf[a]) Misnensis dioc. per Annam abbatissam monasterii in Marienstern[b]) cisterciensis ord. dictae dioc., eiusdem ecclesiae patronam, collata est,[1]) et qui super eadem ecclesia in palatio apostolico cum diversis adversariis diutius litigabat, ad omne ius sur-*

roget, quod Georgio Bemechin [de Budissin] clerico tempore eius obitus et Andreae Doring presbytero tempore eius cessionis in praefata parrochiali ecclesia competebat.[2]) „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Maii a. quarto decimo.*“

Romae, 1403 Aprilis 23.

R. Lat. 114 fol. 187[b] — [a]) ‚Bernstorf‘ [b]) ‚Morgensteyn‘ — Supra in marg. sin. CAN[CELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1001 — [2]) Cf. nr. 1034.

2080. *Episcopo Florentinensi et s. Proculi ac s. Felicis Bononiensium monasteriorum abbatibus mandatur, quatenus magistro Paulo de ‚Przolpassis‘ scriptori et familiari apostolico ac litterarum apostolicarum abbreviatori*[1]) *canonicatum et praebendam ecclesiae Bononiensis, per eum vigore litterarum apostolicarum, per quas canonicatum eiusdem ecclesiae obtinens, praebendam inibi necnon unum vel duo seu tria beneficia ecclesiastica ad collationem Bononiensis, Ferrariensis et Vratislaviensis episcoporum necnon capitulorum Bononiensis, Ferrariensis et Vratislaviensis ecclesiarum pertinentia, exspectabat, dummodo canonicatus et praebendae et beneficiorum huiusmodi fructus 200 florenorum auri valorem annuum non excederent, acceptatos, auctoritate apostolica conferant. „Grata dilecti“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Aprilis 24.

R. Lat. 114 fol. 25[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, JAC. DE TERAMO — [1]) Ap. Erler, Dietrich von Nyem p. 40 inter scriptores apostolicos Paulus Nicolai ‚de Piczolpassis‘ commemoratur.

2081. *Johanni Sachse civi Vratislaviensi et Annae eius uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Maii a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Aprilis 24.

R. Lat. 110 fol. 175[a] — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

2082. *Judicibus mandatur, quatenus Vilhelmo de Gundelfingen conferant canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis, quos ipse vigore apostolicae gratiae exspectativae post generalem huiusmodi gratiarum revocationem acceptavit.*

Romae, 1403 Aprilis 26.

Bonifacius . . . . scolastico et custodi ecclesie Cracouiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Wilhelmus Waltheri Kesinger de Gundeldfyngenn canonicus Wladi-

slauiensis, magister in artibus, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wilhelmi peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Meczslaus Ade . . . . obtinebat, per ipsius Meczslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Wilhelmus pretextu quarundam litterarum nostrarum, per quas sibi dudum unum, duo seu tria aut plura . . . . beneficia . . . ecclesiastica, cuius seu quorum fructus . . . . centum et quinquaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excederent, ad . . . . quorumcunque collacionem . . . . in civitatibus et diocesibus Gneznensibus, Cracouiensibus et Wratislauiensibus . . . . pertinencia, eciam si beneficia huiusmodi canonicatus et prebende et unum ipsorum curatum aut dignitas, personatus seu officium in metropolitana, cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa in eadem metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesia huiusmodi principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, si . . . . qua . . . . vacabant tunc, aut cum . . . . vacarent . . . ., conferenda eidem Wilhelmo . . . . per nostras litteras sub data II. kal. Februarii pont. n. a. tercio decimo[1]) duximus . . . . reservanda, et per quas quidem litteras ipsum Wilhelmum omnibus, eciam auctoritate nostra beneficium seu beneficia huiusmodi cum quavis antelacionis prerogativa expectantibus in assecucione beneficii seu beneficiorum huiusmodi voluimus anteferri, predictos canonicatum et prebendam sic vacantes eciam post revocacionem XI. kal. Januarii proxime preteriti per nos factam similium et aliarum quarumlibet graciarum, quibusvis personis ecclesiasticis ad beneficia ecclesiastica ubilibet vacatura per nos prius factarum,[2]) dicte revocacionis ignarus, alias tamen infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit, necnon pretextu litterarum acceptacionis et provisionis predictarum eosdem canonicatum et prebendam extitit assecutus licet de facto. Cum autem secundum premissa et eciam pro eo, sicut ipsa peticio subiungebat, quod certi alii errores in eisdem litteris commissi fuerunt,[3]) acceptacio et provisio predicte viribus non subsistant . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Wilhelmo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Wilhelmus, ut asserit, Wladislauiensis et quosdam de novo creatos pro eo Gluszinensis canonicatus et prebendas obtinet, quodque nos alias sibi de cantoria Opatouiensis Poznaniensis et Cracouiensis diocesium necnon canonicatu et prebenda Cracouiensis [illegible] ecclesiarum tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, per alias diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Maii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 189b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXIIII. DE TERAMO — [1]) 1492 Jan. 31 - Cf. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 74 [2]) Cf. nr. 2034.

2083 *Petro de Kollmen providetur de canonicatu et minore praebenda ecclesiae s. Petri Budissinensis.*

Romae, 1403 Aprilis 26.

Bonifacius .... Petro Judicis de Colmen canonico ecclesie s. Petri Budisinensis Misnensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, per assecucionem aliorum .... beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum seu imposterum conferendorum eisdem, vacatura, sive illa per resignacionem simplicem vel ex causa permutacionis ante dictam assecucionem forsan vacare contingeret, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus ... contingeret attemptari. Postmodum vero .... Johanni Tylonis, tunc canonicatum et minorem prebendam ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis dioc., in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, obtinenti, unam ex huiusmodi maioribus prebendis, si qua tunc vacabat, vel cum vacaret, ... conferendam .... eidem Johanni .... per nostras litteras duximus reservandam, volentes inter cetera, quod ipse Johannes, quamprimum .... possessionem predicte maioris prebende foret pacifice assecutus, eandem minorem prebendam .... dimittere teneretur ....[1]) Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, prefatus Johannes, antequam dictam maiorem prebendam .... assequeretur, canonicatum et minorem prebendam prefatos et .... Rudigerus Nossidelicz altare „prime misse" nuncupatum, situm in ecclesia parrochiali in Bisschofswerde predicte diocesis, que tunc obtinebant, desiderantes illa .... invicem permutare, in manibus ordinarii loci extra Romanam curiam .... libere resignarunt, idemque ordinarius resignacionibus ipsis per eum extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissis, canonicatum et minorem prebendam Rudigero licet de facto et altare predicta .... Johanni prefatis eadem auctoritate contulit et de illis eciam providit. Cum autem secundum premissa predicte collacio et provisio eidem Rudigero, ut premittitur, facte .... viribus non subsistant, dictique canonicatus et minor prebenda per huiusmodi resignacionem predicti Johannis adhuc vacaverint et vacare noscantur ad presens, ... nos .... canonicatum et minorem prebendam predictos, quorum fructus .... trium marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod nos nuper tibi, ut asseris, de uno cum cura vel sine cura, consueto clericis secularibus assignari, ad .... prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum dicte ecclesie ac .... abbatisse et conventus monasterii in Merghesterne cisterciensis ord. dicte diocesis per alias nostras litteras mandavimus, necnon successive de uno vel duobus .... aliis .... beneficiis .... ecclesiasticis sine cura ad prefati [Misnensis] episcopi ac .... prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Misnensis collacionem .... pertinentibus ...., vacantibus aut .... vacaturis, graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Maii a. quarto decimo.

Simili modo .... Thelesino et Misnensi episcopis ac .... decano ecclesie Omnium Sanctorum Pragensis ....

R. Lat. 105 fol. 164a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII . XIIII DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1957.

2084. *Drzkoni monacho monasterii Opatovicensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Maii 7.

R. Lat. 110 fol. 156b — In fine: JAC. XIIII DE TERAMO.

2085. *Francisco de Colonia monacho monasterii Opatovicensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Maii 7.

R. Lat. 110 fol. 156a — In fine: JAC. XIIII DE TERAMO.

2086. *Nobili viro Zdenkoni de Dolan domicello eiusque uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Maii 7.

R. Lat. 110 fol. 156a — In fine: JAC. XVII DE TERAMO.

2087. *Johanni Wnoz de Lazec[a]) oppidano oppidi Grecz Reginae et Dorotheae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Maii 7.

R. Lat. 110 fol. 175b — a) ‚Lazecz' — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2088. *Balthasari Beyer et Hester eius uxori, civibus Vratislaviensibus, indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Maii 10

R. Lat. 110 fol. 155a — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

2089. *Tilemanno Wetterman monacho monasterii S. Coronae ord. cisterciensis Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Junii a. quarto decimo".*

Romae, 1403 Maii 23.

R. Lat. 110 fol. 156b — In fine: JAC. XIIII DE TERAMO.

2090. *Abbati et conventui monasterii Sedlicensis conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Malín cum capellis infra eius limites consistentibus iuxta antiquam concessionem apostolicam per monachos dicti monasterii regi facere possint, non obstante generali revocatione concessionum huiusmodi.*

Romae, 1403 Maii 25.

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii Czedlicensis cisterciensis ord. Pragensis diocesis . . . . Sacre religionis . . . . Dudum siquidem pro parte vestra fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro exposito, quod, licet olim quondam Hynco prepositus, Woyslaus decanus et Thomas archidiaconus ecclesie Pragensis, tunc administratores eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputati, bone memorie Johanne tunc episcopo Pragensi ab eorumdem spiritualium et temporalium administracione per sedem predictam suspenso, pro eiusdem monasterii hospitalitatis augumento et sustentacione pauperum ad hospitale dicti monasterii confluencium redditus et proventus certarum capellarum infra limites parrochialis ecclesie in Malina dicte diocesis consistencium de capituli Pragensis et quondam Vlrici tunc rectoris dicte parrochialis ecclesie consensu predicto hospitali, quod infra septa eiusdem monasterii consistebat, prout consistit, in perpetuum applicassent, volentes, quod huiusmodi redditus et proventus ac obvenciones capellarum ipsarum ad prefatum hospitale necnon ad abbatis dicti monasterii, qui foret pro tempore, disposicionem perpetuo pertinerent,[1]) ac fel. rec. Clemens papa VI. eciam predecessor noster applicacionem huiusmodi auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmasset[2]), tamen postmodum quondam Benedictus alias dictus Benessius de Zadnicz rector dicte parrochialis ecclesie applicacionem et confirmacionem huiusmodi impugnans, abbati et conventui dicti monasterii super premissis et eorum occasione apud sedem predictam litem movebat, et causa huiusmodi ad sedem legitime introducta, idem Benedictus pro se et contra dictos abbatem et conventum super ipsis ecclesia et capellis tres diffinitivas sentencias in possessorio iudicio, petitorio per eum suspenso, reportarat, propter[3]) quam quidem litem vos dampna gravia et expensas incurreratis; et tandem prefato Benedicto apud dictam sedem vita functo fel. rec. Gregorius papa XI. eciam predecessor noster bone memorie Johanni basilice duodecim Apostolorum presbytero cardinali, tunc archiepiscopo Pragensi, [suis] dederat litteris in mandatis, ut reservata congrua porcione de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus ecclesie et capellarum predictarum pro perpetuo vicario in dicta ecclesia domino servituro, dictam parrochialem eccle-

siam cum huiusmodi capellis ac omnibus iuribus et pertinenciis suis vobis et dicto monasterio auctoritate apostolica incorporaret, annecteret perpetuo et uniret,[3]) idemque Johannes cardinalis, tunc archiepiscopus, mandatum predicti Gregorii predecessoris exequendo, ecclesiam et capellas predictas cum earum iuribus et pertinenciis universis vobis et predicto monasterio auctoritate apostolica per suas litteras incorporaverat, annexuerat perpetuo et univerat, reservata, ut prefertur, porcione congrua pro perpetuo vicario inibi servituro, ex qua idem vicarius congrue sustentari, iura episcopalia solvere aliaque sibi incumbencia onera supportare valeret,[4]) quodque postmodum vos predictam parrochialem ecclesiam vigore incorporacionis, annexionis et unionis huiusmodi fueratis pacifice assecuti, et tunc cardinalis, tunc archiepiscopus, quondam Ludovicum dictum Saxo ad presentacionem vestram in perpetuum vicarium parrochialis ecclesie instituerat antedicte,[5]) vosque timebatis inter vos et perpetuum vicarium dicte parrochialis ecclesie, qui esset pro tempore, questiones et scandala exoriri ac pro parte vestra dicto Urbano predecessori humiliter supplicato, ut providere vobis super hoc et statui dicti monasterii de benignitate apostolica dignaretur: idem Urbanus predecessor voluit et dicta auctoritate concessit, quod cedente vel decedente dicto vicario vel vicariam perpetuam ipsius ecclesie alias quomodolibet dimittente, liceret abbati, qui tunc erat, et successoribus suis, abbatibus dicti monasterii, qui essent pro tempore, regimen ecclesie et capellarum predictarum alicui ex monachis dicti monasterii committere ipsumque in rectorem ecclesie et capellarum predictarum instituere ac tociens, quociens sibi et eisdem successoribus videretur, ad nutum ipsorum huiusmodi institutum destituere et ad monasterium ipsum revocare, fructusque, redditus et proventus pro dicto vicario deputatos in usus dicti monasterii convertere, ita tamen, quod, quocienscunque abbatem vel successores ipsos huiusmodi monachum in rectorem dicte ecclesie instituere contingeret, ipsum monachum loci ordinario pro cura parrochianorum dicte ecclesie eidem monacho per ipsum ordinarium committenda abbas et successores predicti tenerentur presentare, prout in predictis litteris plenius continetur. Cum autem nos nuper videlicet XI. kal. Januarii proxime preteriti, inter cetera duxerimus ordinandum, quod nulla parrochialis ecclesia aut perpetua vicaria parrochialis ecclesie vel aliud curatum beneficium, que prius regebantur per clericos seculares, possent deinceps regi per monachos aut regulares canonicos, sed in eis instituerentur perpetui vicarii seculares presbyteri, et si ante non essent assignate congrue porciones, sicut de iure forent assignande, per locorum ordinarios assignarentur, et deinceps talia beneficia consueta prius per seculares clericos gubernari nullatenus per monachos seu religiosos gubernarentur,[6]) vosque propterea, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, dubitetis contra huiusmodi voluntatis et concessionis tenorem predicti Urbani predecessoris per aliquorum astuciam seu importunam instanciam posse imposterum molestari, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut voluntati et concessioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adicere vobisque, quod parrochialem ecclesiam et capellas predictas, sicut illas hactenus per monachos dicti monasterii regi fecistis, inantea regi facere possitis, de novo concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, voluntatem et concessionem predictas eiusdem Urbani prede-

cessoris et quecunque inde secuta rata habentes et grata eaque auctoritate apostolica confirmantes, vobis, quod parrochialem ecclesiam et capellas predictas, sicut illas hactenus iuxta voluntatem et concessionem prefatas per monachos monasterii prefati regi fecistis, ut prefertur, inantea regi facere valeatis, predicta et quibuscunque aliis ordinacionibus, constitucionibus et revocacionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presencium de speciali gracia indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Junii a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol 132a — a) ‚preter' cod. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO — 1) Applicationem illam ddto. 1324 Mart. 25 vide ap. Emler, Regesta Bohem. et Morav. III. p. 378 nr. 969. Confirmatio papae Clementis VI ddto. 1343 Maii 26, quae etiam totum tenorem applicationis praedictae continet, ap. Klicman Monumenta Boh. Vatic. I. p. 116 nr. 207 edita est. 3) Litteras Gregorii papae ddto. 1375 Febr. 9 vide ap. Borový, Libri erectionum II. p. 126. in nr. 238. 4) Litteras Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1375 Dec. 9, quibus litterae Gregorii papae in praecedente nota adductae sunt insertae, vide ibidem. 5) Institutio illa 1375 Dec. 29 facta est; cf. Emler, Libri confirmationum III/IV p. 46 6) Cf. Ottenthal, Die päpstl. Kanzleiregeln p. 75.

2091. *Nobili viro Hynkoni de Trebotovicz*a) *alias de Dubá domicello Pragensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possit.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo kal. Junii a. quarto decimo*“.

Romae, 1403 Maii 25.

R. Lat. 110 fol. 175b — a) ‚Trzyebothowicz' — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2092. *Judicibus mandatur, quatenus Mathiae Svachonis conferant parrochialem ecclesiam in Domyslicz, quam ipse vigore apostolicae gratiae exspectativae post huiusmodi gratiarum revocationem acceptavit.*

Romae, 1403 Maii 29.

Bonifacius . . . . episcopo Florentino et . . . . abbati monasterii Strahouiensis Pragensis ac . . preposito ecclesie b. Marie in Rokiczana Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Mathias Swachonis presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Domislicz dicte diocesis, quam quondam Andreas Blesus . . . . obtinebat, per ipsius Andree obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Mathias pretextu quarundam litterarum nostrarum in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus, sibi concessarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii in Pomuc cisterciensis ord. dicte diocesis . . . . pertinens

expectabat, dictam ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dictorum abbatis et conventus communiter pertinentem, post revocacionem graciarum per nos nuper, videlicet XI kal. Januarii proxime preteriti factam, huiusmodi revocacionis ignarus, alias infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit licet de facto, ipsam pretextu acceptacionis et provisionis huiusmodi assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet similiter de facto. Cum autem secundum premissa acceptacio et provisio predicte viribus non subsistant ..... nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... duarum marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Mathie auctoritate nostra conferre et assignare curetis .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 29a – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2093. *Nicolao Schonecromer providetur de parrochiali ecclesia in Kommorsk.*

Romae, 1403 Maii 29.

Bonifacius .... Nicolao Schonecromer rectori parrochialis ecclesie in Komorzka Wladislauiensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica .... quorumcunque collectorum vel succollectorum .... camere apostolice .... tunc vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Komorzka Wladislauiensis diocesis, quam quondam Henricus Winnsteyne .... obtinebat, per eiusdem Henrici obitum, qui huiusmodi fructuum et proventuum eidem camere debitorum in tota Pomerania, que est Gneznensis et dicte Wladislauiensis diocesis, succollector existens et eandem ecclesiam tunc obtinens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, ... nos .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, Opuliensis et Glogouie Superioris ecclesiarum canonicatus et prebendas ac quoddam altare sine cura situm in eadem ecclesia Opuliensi canonice obtines,[1]) et dudum possessione canonicatus et prebende capelle s. Viti in castro Crusuicensi Wratislauiensis et predicte Wladislauiensis diocesium, quorum omnium fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, spoliatus fuisti, et nos nuper tibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislauiensis necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis et .... prepositi, decani, scolastici, cantoris, thesaurarii et capituli eiusdem ecclesie Wratislauiensis .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum .... predictam parrochialem ecclesiam fueris pacifice assecutus, predicta concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. quarto decimo.

Simili modo .... abbati monasterii b. Marie virginis in Arena extra muros Wratislauienses et Wladislauiensis ac Culmensis ecclesiarum prepositis ....

R. Lat. 105 fol. 106b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO. — Litterae executoriae super ista provisione in forma ab illa, quae supra edita est, aliquantulum differente, eisdem autem executoribus et sub eadem data directae in R. Lat. 114 fol. 146a iterum registratae sunt. Illic Nicolaus Schonecromer ‚canonicus ecclesie Opuliensis Wratislauiensis dioc.' vocatur, narraturque ecclesiam in Kommorsk per obitum Henrici ‚Vomsteyn' vacantem eidem Nicolao prius a Michaele Blida thesaurario ecclesiae Stettinensis, vicario Johannis episcopi Vladislaviensis in spiritualibus generali, auctoritate ordinaria collatam fuisse. Ibidem etiam supra in marg. sin. adscriptum est: CANCEL[LARI]A; in fine autem: JAC. XXII DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1923.

2094. *Nobili viro Ruperto duci Silesiae*[a]) *indulgetur, ut confessor eius personis cisterciensis ordinis, quas ipse dux diebus solemnibus, quibus tamen esus carnium a sacris canonibus communiter prohibitus non existit, ad mensam suam invitaverit, vescendi carnibus licentiam concedere possit.* „*Provenit*" „*Rome ap. S. Petrum quarto kal. Junii a. quarto decimo*".

Romae, 1403 Maii 29.

R. Lat. 108 fol. 218a — a) ‚Slesie' — Supra in marg. sin: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XXX DE TERAMO.

2095. *Zbynko archiepiscopus Pragensis solvit complementum sui communis servitii.*

Romae, 1403 Maii 31.

Indiccione undecima [anno 1403], die ultima mensis Maii reverendus in Chr. pater et dominus [Sbinco][a]) dei gracia archiepiscopus Pragensis solvit pro complemento sui communis servicii, non facta divisione de minuto, florenos noningentos auri de camera. Fuit promotus anno XIIII. domini Bonifacii. Fuerunt in eius promocione cardinales XI .... Capit clericus collegii florenos VIIII. Restant floreni VIIIc LXXXXI. Capit quilibet florenos LXXXI, camera apostolica nichil.

Oblig. et sol. 54 fol. 57b — a) In registro hic lacuna est — In margine haec nota legitur: ISTA PECUNIA FUIT PER SE SOLA DIVISA ET PROMISSA PER CEDULAS.

2096. *Obligatio Laczkonis episcopi Olomucensis.*

Romae, 1403 Junii 2.

Anno [nativ. 1403, pont. XIV] die II. mensis Junii reverendus in Chr. pater dominus Lacz[co][a]), electus in episcopum Olomucensem, per dom. Wilhelmum Correlan-

gen [1]) canonicum dicte ecclesie, procuratorem suum, et Johannem Tremosnitz litterarum apostolicarum scriptorem et dom. Nicolaum [. . . .] [a]) canonicum Olomucensem, obligantes se tamquam principales et privatas personas, promisit camere et collegio pro suo communi servicio tria milia quingentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Johannis predecessoris sui tantundem et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Nicolai antepredecessoris sui tria milia trecentos quinquaginta similes florenos et quinque integra minuta servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Petri antepredecessoris sui octingentos sexaginta tres similes florenos, solidos quadraginta septem et denarios tres monete Romane et quinque servicia pro rata; solvendo medietatem promissi usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Chr. proxime futurum, et aliam medietatem usque ad festum penthecostes extunc proxime secuturum, et recognita in similibus terminis annis revolutis . . . .; et producere mandatum sufficiens in primo termino.

Oblig. et sol. 57 fol. 56[b] — [a]) Hic lacuna est in registro — [1]) Recte Cortelangen.

2097. *Laczko episcopus Olomucensis quitatur de solutione sacrum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1403 Junii 2.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . cardinalium camerarius. . . . . notum facimus], quod reverendus pater dom. Lasco dei gracia episcopus Olomucensis pro parte partis sui communis servicii . . . . ducentos septuaginta duos florenos auri de camera, solidos triginta sex et denarios quatuor . . . . et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii . . . . viginti septem similes florenos, solidos tredecim et denarios octo tempore debito per manus venerabilis viri dom. Wilelmi Korthelanghen canonici Olomucensis solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1403] die secunda mensis Junii anno XIIII.

Oblig. et sol. 59 fol. 141[b] — In fine: FL. II GR. II — De eadem solutione in libro divisionum 1399—1407 (Oblig. et sol. 54.) mentio fit (fol. 57[b]) in haec verba: „[A. 1403] die secunda mensis Junii rever. in Chr. pater dom. Lascho electus Olomucensis solvit pro parte partis sui communis servicii 272 flor. auri de camera, sol. 36 et den. 4 monete Romane, et pro parte partis sui minuti servicii 27 similes flor., sol. 13 et den. 8 dicte monete; summa flor. 300. Fuit promotus a. XIIII dom. Bonifacii (i. e. $1402^{9}/_{11}$—$1403^{8}/_{11}$) . . . .“

2098. *Praeposito ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Thomae de Radnicz quandam perpetuam vicariam in ecclesia Vyšehradensi, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1403 Junii 3.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Thome de Radnicz rectoris parrochialis ecclesie s. Pancracii extra muros Pragenses peticio continebat, quod olim perpetua vicaria ‚vicaria prepositi' nuncupata in ecclesia s. Petri Wissegradensi, quam quondam Proczko Trzyednik . . . . obtinebat, per ipsius Proczkonis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Wytko vicedecanus et capitulum dicte ecclesie, cum ad vicedecanum dicte ecclesie s. Petri pro tempore existentem et eosdem capitulum huiusmodi vicarie collacio et provisio de antiqua . . . . consuetudine communiter pertineant, eandem vicariam sic vacantem prefato Thome auctoritate ordinaria contulerunt et de illa eciam providerunt, ipseque Thomas predictarum collacionis et provisionis vigore dictam vicariam extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Thomas dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si dicta vicaria curata fuerit, et eundem Thomam bene legere, bene construere et bene cantare . . . . et alias ad obtinendum vicariam ipsam ydoneum esse reppereris, vel eciam si dictus Thomas non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret, ... quod infra annum . . . . bene cantare addiscet, et si forsan ita esse non inveneris, ipsaque vicaria curata non fuerit, et dictus Thomas non bene cantet et non iuraverit ut prefertur, dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum eandem vicariam ydoneum esse reppereris, ... vicariam predictam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Thome auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Thomas, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam et quoddam perpetuum beneficium sine cura ‚premissariam' nuncupatum in maiori ecclesia Pragensi, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, ac in canonicum eiusdem ecclesie s. Petri, cuius canonicatus vigore nullos fructus percipit, auctoritate ordinaria est receptus. Volumus autem, quod, si eidem vicarie cura immineat animarum, idem Thomas, quamprimum . . . . dicte vicarie fuerit pacificam possessionem assecutus, predictam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. quarto decimo.

R. Lat. 111 fol. 124' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: M. XXIIII DE SANCTA AGATHA.

2099. *Cum Petro [de] Glivicz rectore ecclesiae in Paczkow dispensatur, ut unum aliud beneficium cum dicta ecclesia incompatibile recipere possit.*

Romae, 1403 Junii 3.

Bonifacius . . . . Petro Gliwicz rectori parrochialis ecclesie in Paczkow Wratislauiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque te, qui litterarum apostolicarum abbreviator existis, favoribus prosequi gracie specialis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tecum, qui, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Paczkow Wratislauiensis diocesis obtines et super canonicatu ecclesie

Wratislauiensis, de quibus tibi nuper tunc certo modo vacantibus auctoritate apostolica provisum extitit, et quorum omnium fructus . . . . quadraginta octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico litigare intendis, ac in ecclesia Pragensi sub expectacione prebende canonicatum auctoritate quarundam litterarum nostrarum similiter obtinere dinosceris,[1]) ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias cum dicta parrochiali incompatibile, eciam si dignitas eciam maior post pontificalem in cathedrali vel principalis in collegiata ecclesia fuerit, et ad eam quis per electionem assumi consueverit, ... recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia usque ad annum retinere libere et licite possis, ita tamen, quod infra huiusmodi annum alterum ex parrochiali ecclesia et beneficio huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere tenearis . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. quarto decimo.

R. Lat. 108 fol. 233b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 2021.

2100. *Abbati Brevnoviensi mandatur, quatenus litteras apostolicas, per quas Dipoldo [de Bernartic?] praepositura monasterii Plagensis contra Nicolaum Flanczel adiudicata est, exsequatur.*

Romae, 1403 Junii 8.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam . . . . Exhibita nobis nuper pro parte . . . . Diepoldi prepositi monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse in causa, per eum contra Nicolaum Flanczel, qui se gerit pro canonico dicti monasterii, super eo, quod prefatus Nicolaus eundem Diepoldum de prepositura dicti monasterii, de qua, tunc certo modo vacante, olim predicto Diepoldo auctoritate apostolica extitit provisum, et postquam illam adeptus extiterat et aliquamdiu tenuerat ac possederat, prout tunc eciam tenebat et possidebat, pacifice et quiete, de facto spoliaverat seque in ipsa prepositura violenter intruserat ipsam[que] occupaverat et detinuerat ac detinebat indebite occupatam, fructus percipiendo ex eadem, mota et apud sedem apostolicam coram quibusdam ex . . . . sacre Romane ecclesie cardinalibus ex commissionibus apostolicis diucius ventilata[1]) tres pro se, per quas inter cetera Nicolaus a detencione et occupacione predicte prepositure amotus, et Diepoldus predicti ad illam restitutus et reintegratus, ipseque Nicolaus in fructibus ex dicta prepositura a tempore spoliacionis eiusdem perceptis et in expensis in huiusmodi causa factis condempnatus extitit, diffinitivas sentencias reportavit et super execucione huiusmodi sentenciarum necnon satisfaccione fructuum et expensarum huiusmodi, que quidem expense ad certas florenorum auri summas taxate fuerunt, nostras ad . . . . episcopum Aquensem necnon . . . . abbatem monasterii in Alto Uado Pragensis diocesis ac . . . . officialem Pragensem, eorum

nominibus propriis non expressis, sub certa forma litteras impetravit, quodque bone memorie Petrus episcopus Aquensis primo in huiusmodi execucionis procedens negocio solus, prout ex forma earundem poterat litterarum, nonnullos processus fecit in talibus fieri consuetos, monens inter alia predictum Nicolaum, ut eandem preposituram predicto Diepoldo libere et omnino dimitteret necnon de fructibus perceptis ac florenorum summis huiusmodi pro dictis expensis satisfaceret infra certum terminum peremptorium competentem tunc expressum, alioquin in eundem Nicolaum ac contradictores quoslibet et rebelles excommunicacionis, in conventum vero dicti monasterii suspensionis ac in ipsum monasterium interdicti sentencias promulgabat, et licet huiusmodi processus ad Nicolai necnon conventus predictorum et singularium personarum ex huiusmodi conventu indubitatam noticiam legitime pervenissent, idem tamen Nicolaus ac conventus et nonnulli canonici dicti monasterii sive quamplures singulares persone ex huiusmodi conventu processibus ipsis vilipensis eisdem parere infra dictum terminum seu eciam postea contumaciter non curarunt neque curant, et licet eciam postea dictus abbas ulterius in huiusmodi execucionis legitime procedens negocio, prout eciam ex eadem forma poterat, predictas sentencias in eisdem processibus latas aggravaverit necnon successive Nicolai et conventus et aliorum canonicorum sive personarum huiusmodi, complicum dicti Nicolai in hac parte, crescente contumacia auxilium brachii secularis invocaverit, tamen predicti Nicolaus et alii canonici et quidam alii eorum complices in hac parte in reprobum sensum dati, eundem Diepoldum impediverunt et impediunt ac fecerunt et faciunt, quominus dicte prepositure possessionem vigore dictorum processuum assequi potuerit sive possit, et nichilominus easdem sentencias in eisdem processibus latas sustinuerunt, prout sustinent, animis induratis . . . . Quare pro parte dicti Diepoldi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus legitimis per eosdem episcopum et abbatem super hiis habitis servatis processibus, ad ipsarum litterarum execucionem ulterius faciendam, si et prout expedire videris, auctoritate nostra procedas, et nichilominus omnes clericos et ecclesiasticas personas in premissis culpabiles, sive predictum Diepoldum, quominus huiusmodi possessionem prepositure predicte adipisci et tenere pacifice possit, presumpserint impedire, auctoritate predicta moneas, ut infra certum terminum peremptorium competentem, de quo tibi videbitur, ab impedimentis eisdem omnino desistant, alioquin ipsos omnibus beneficiis ecclesiasticis, que tunc obtinebunt, auctoritate predicta prives et amoveas realiter ab eisdem, ac eciam reddas inhabiles ad predicta et quecunque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda, et eciam omnes ecclesias infra quatuor miliaria ab eodem monasterio circumcirca distantes simili supponas ecclesiastico interdicto, quod et eciam huiusmodi interdictum in eodem monasterio positum ut prefertur facias eciam sub pecuniariis et aliis formidabilibus penis, de quibus eciam tibi videbitur, tamdiu inviolabiliter observari, donec Nicolaus et alii canonici necnon complices et culpabiles in hac parte predicti processibus ipsis efficaciter et humiliter pareant et absolucionis beneficium a sentenciis ipsis in eisdem processibus, ut premittitur, latis meruerint obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii a. quarto decimo.

R. Lat. 108 fol. 146a — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: JAC. XXII DE TERAMO — [1] Cf. nros. 954. 972 et 1936.

2101. *Petro de Wartenberg providetur de parrochiali ecclesia in Domslau.*

Romae, 1403 Junii 11.

Bonifacius .... Petro Petri de Wartinberg rectori parrochialis ecclesie in Dompslaw Wratislauiensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica .... apud sedem apostolicam vacancia collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia in Dompslaw Wratislauiensis diocesis per liberam resignacionem .... Bartholomei episcopi Ariminensis, per eum, qui tunc clericus secularis ac cubicularius et familiaris noster existebat, de illa .... in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud dictam sedem vacante, nos de ecclesia ipsa sic vacante et antea disposicioni apostolice reservata .... Nicolao Borsniez presbytero dicte diocesis per nostras litteras graciose providimus ....[1]) Cum itaque postea ecclesia predicta ex eo apud dictam sedem vacaverit et vacet ad presens, quod idem Nicolaus ecclesiam ipsam, eius possessione per eum non habita, in eisdem manibus sponte et libere resignaverit, nosque eciam dictam resignacionem ultimam auctoritate apostolica duxerimus admittendam ...., nos volentes tibi, qui presbyter es, ... graciam facere specialem, predictam ecclesiam, cuius fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, altare Corporis Christi situm in parrochiali de Nisa dicte diocesis, in cuius fundacione et dotacione canonice factis ordinatum extitit, ut cum alio beneficio ecclesiastico obtineri non posset, et cuius quinque, obtines, et nos dudum tibi de quadam perpetua vicaria sine cura, super qua in palacio apostolico litigare intendis, in Wratislauiensi ecclesiis, et cuius sex, ac hodie de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie Wratislauiensis, quorum triginta marcharum argenti fructus .... valorem annuum non excedunt, tunc certis modis vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis per diversas nostras litteras graciose duximus providendum. Nos enim tecum, ut predictam parrochialem ecclesiam in Dompslaw recipere et una cum predicto altari usque ad unum annum retinere libere et licite valeas, ... auctoritate apostolica .... dispensamus. Volumus autem, quod post annum huiusmodi altare, quod, ut prefertur, obtines, necnon vicariam predictam, quamprimum .... eandem ecclesiam in Dompslaw fueris pacifice assecutus, si vicariam ipsam interim evincas et assequaris, ac omne ius tibi in eadem vicaria .... competens .... omnino, prout ad eandem vicariam dimittendum te sponte obtulisti, dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Junii a. quarto decimo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et s. Marie in Arena ac s. Vincencii extra muros Wratislauienses monasteriorum abbatibus ....

R. Lat. 105 fol. 9a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: X. XVI. XVIII DE BENEVENTO — [1] Cf. nr. 1703.

2102. *Johanni de Křižanov providetur de parrochiali ecclesia in Valč.*

Romae, 1403 Junii 15.

Bonifacius .... Johanni Petri de Crisanow rectori parrochialis ecclesie in Walcz Olomucensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem .... abbati et conventui monasterii beatorum Petri et Pauli apostolorum in Wylemow ord. s. Benedicti Pragensis diocesis .... parrochialem ecclesiam in Walcz Olomucensis diocesis, que, ut ipsi abbas et conventus asserebant, de iure patronatus dicti monasterii existebat, eidem monasterio .... perpetuo incorporavimus, annexuimus et univimus .... Et deinde, sicut accepimus, abbas et conventus predicti eandem ecclesiam, tunc per liberam resignacionem bone memorie Bartholomei tituli s. Potenciane presbyteri cardinalis, eandem ecclesiam tunc ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinentis, per eum de illa in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem eandem vacantem, vigore incorporacionis, annexionis et unionis huiusmodi fuerunt pacifice assecuti. Cum autem nos nuper, videlicet undecimo kal. Januarii proxime preteriti, cassaverimus .... omnes uniones ecclesiarum parrochialium et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum sive per nos sive per predecessorem nostrum immediatum factas quibuscunque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis, que nondum erant sortite effectum, et eciam illas, que erant sortite effectum alias quam per obitus illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant tempore unionum de illis factarum .... , eciam illas, que facte fuerunt sine magna necessitate vel ex falsis aut nullis causis, et secundum premissa ecclesia predicta per huiusmodi cassacionem et annullacionem apud sedem eandem vacaverit et vacet ad presens .... , nos .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... viginti octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus .... : non obstantibus .... , quod, ut asseris, altare s. Barbare sine cura situm in ecclesia Pragensi, cuius fructus .... quatuor marcharum argenti .. valorem annuum non excedunt, et super quo in palacio apostolico litigas, nosceris obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Julii a. quarto decimo.

Simili modo .... episcopo Melfiensi et .... preposito ecclesie Pragensis ac officiali .. Olomucensi ....

R. Lat. 105 fol. 8a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA ; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1952 et 1954.

2103. *Judicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa super parrochiali ecclesia in Brosewitz exorta in palatio apostolico latae fuerunt, executioni demandantes, Nicolaum Strosberg in corporalem possessionem eiusdem ecclesiae inducant.*

Romae, 1403 Junii 19.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... custodi ecclesie s. Crucis Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi .... Exhibita nobis pro parte ...

Nicolai Strosberg rectoris parrochialis ecclesie s. Jacobi in Brosicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod, licet olim ipse dictam ecclesiam, tunc per obitum quondam Laurencii Kurze ipsius ecclesie rectoris vacantem, vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de illa sibi provisum fuisset canonice, tamen . . . . Vincencius de Brega, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, false asserens dictam ecclesiam ad se spectare ac gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, impedivit, prout impedit, ac fecit et facit, quominus gracia, acceptacio et provisio predicte debitum sortite fuerint et sorciantur effectum, ipsamque ecclesiam occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiens ex eadem, et alias eundem Nicolaum super dicta ecclesia et eius occasione multipliciter molestavit et eciam perturbavit, propter que idem Nicolaus ad sedem apostolicam appellavit, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . Nicolao episcopo Fferentinatensi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum palacii apostolici de mandato nostro tenebat, prout tenet, ad instanciam eiusdem Nicolai principalis . . . . commisimus . . . .; qui ad instanciam . . . . magistri Rotheri Balhorn procuratoris ipsius Nicolai principalis coram eo in iudicio comparentis contra eundem Vincencium in audiencia publica, ut est moris, ad nonnullos citacionis actus in causa huiusmodi processit, et deinde per dictum Rotherum ad probandum causam huiusmodi fore ad Romanam curiam legitime devolutam coram eodem episcopo nonnullis instrumentis publicis in iudicio productis, idem episcopus, quia per producta huiusmodi sibi constitit causam huiusmodi fore ad dictam curiam legitime devolutam . . ., ad dicti Rotheri instanciam eundem Vincencium ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda, necnon ad dandum et per eandem alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, in dicta audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Rotherus . . . . comparens, predicti Vincencii non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius episcopi presencia prestitit iuramentum necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huiusmodi in dictis terminis ad hec datis; idemque episcopus ad eiusdem Rotheri instanciam predictum Vincencium ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos quidquid vellet necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse in causa huiusmodi uti vellent, in dicta audiencia successive citari fecit ad certos peremptorios terminos competentes. In quibus predictus Rotherus . . . . comparens, prefati Vincencii non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit . . . ., dictusque episcopus ad prefati Rotheri instanciam sepedictum Vincencium ad dicendum contra huiusmodi producta quidquid vellet in dicta audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo antedictus Rotherus . . . . comparens, ipsius Vincencii non comparentis contumaciam accusavit, idemque episcopus ad predicti Rotheri instanciam . . . . magistrum Johannem de Redine procuratorem dicti Vincencii, prout

eidem episcopo apud acta cause huiusmodi legitime constabat, ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, ... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo antedicto Rothero . . . . comparente et eiusdem Johannis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in huiusmodi causa concludi petente, memoratus episcopus reputans eundem Johannem . . . . contumacem, in eius contumaciam cum dicto Rothero in huiusmodi causa concludente conclusit . . . . et ad eiusdem Rotheri instanciam predictum Johannem ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua eodem Rothero . . . comparente et antedicti Johannis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus episcopus reputans eundem Johannem . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerunt: graciam, acceptacionem et provisionem predictas fuisse et esse canonicas suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, dictamque ecclesiam ad dictum Nicolaum spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere de iure sibique eandem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis adiudicandam fore et adiudicavit, dictoque Vincencio in dicta ecclesia seu ad eam nullum ius competisse sive competere, opposicionesque, molestaciones, perturbaciones et impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, dictoque Vincencio super opposicionibus, molestacionibus, perturbacionibus et impedimentis ac ecclesia predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, ipsumque Vincencium in fructibus ex dicta ecclesia a tempore mote litis huiusmodi citra perceptis et in expensis in huiusmodi causa coram eo legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti Vincencii fuit ad sedem appellatum predictam, nosque causam appellacionis ab eadem sentencia interiecte . . . . magistro Jeronimo Zidenberg cappellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commisimus . . . . Coram quo Rothero et Johanne prefatis in iudicio comparentibus et per quemlibet eorum dato libello ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius auditoris presencia prestito iuramento traditisque per eos nonnullis posicionibus et articulis, et contra huiusmodi posiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis, quibus partes ipse in huiusmodi causa uti voluerunt, et contra eadem producta quibusdam excepcionibus utrimque datis in certis terminis eis per predictum auditorem ad singulos actus huiusmodi successive et peremptorie assignatis, deinde vero Rothero et Johanne predictis . . . . comparentibus ipsoque Rothero in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam ferri petente in certa die ad hoc prefixa, sepedictus auditor . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per predictum episcopum in huiusmodi causa bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dicti Vincencii ab eadem sentencia male fuisse et esse appellatum, dictumque Vincencium in fructibus ex dicta ecclesia a tempore huiusmodi late sentencie predicti epi-

scopi citra perceptis et in expensis coram eo legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter episcopus coram se in quadraginta et Jeronimus auditor prefati coram eo factas expensas huiusmodi in viginti florenis auri de camera boni et iusti ponderis in contumaciam dicti Johannis, de mandatis episcopi et auditoris predictorum ad videndum taxari expensas huiusmodi . . . . successive citati et non curantis comparere, predicto Rothero . . . . comparente et dicti Johannis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, successive provisis moderacionibus taxaverunt, eiusdem Rotheri super huiusmodi expensis iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis eorundem episcopi et auditoris sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem . . . . prefatus Nicolaus Strosberg dubitet, ne eciam aliqui alii interim in dicta ecclesia se intruserint vel imposterum intrudant, pro parte eiusdem Nicolai Strosberg nobis fuit humiliter supplicatum, ut provideri sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . que super hiis ab eisdem episcopo et auditore provide facta sunt, rata habentes et grata dictasque sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa executioni debite demandantes, eundem Nicolaum Strosberg vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum, amoto exinde dicto Vincencio inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, facientes sibi de ipsius ecclesie fructibus . . . . universis integre responderi et de predictis perceptis fructibus et florenorum summis pro predictis expensis . . . . plenam et debitam satisfaccionem impendi; et insuper ad executionem presencium eciam contra intrusos et intrudendos huiusmodi perinde, quoad possessionem dumtaxat ipsius ecclesie prefato Nicolao Strosberg tradendam, eadem auctoritate procedatis, ac si sentencie ipse contra eos late forent; et nichilominus legitimis per vos super hiis habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome apud S. Petrum tercio decimo kal. Julii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 125a — In fine: JAC. XL DE TERAMO.

2104. *Nobili viro Heynczoni Pogerelle de Merisstale domicello eiusque uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut possint habere altare portatile. „Sincere“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Julii a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Junii 19.

R. Lat. 110 fol. 189b — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2105. *Offcae ducissae Opoliensi indulgetur, ut confessor eius totiens, quotiens videbitur opportunum, plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Julii a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Junii 28.

R. Lat. 110 fol. 158a — In fine: N . XXX DE BENEVENTO.

2106. *Thomae Mas providetur de perpetua vicaria ad altare ss. Georgii et Margarethae situm in ecclesia Vratislaviensi, quae sine cura est, et cuius fructus 7 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Johannis Weert (alias Wirt) de Resehl*[a]*) apud sedem apostolicam defuncti*[1]*), non obstante, quod quandam perpetuam vicariam ad altare s. Crucis situm in capella hospitalis pauperum Corporis Christi extra muros oppidi Elbingen Varmiensis dioc. noscitur obtinere.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a. quarto decimo.*" — *Simili modo maioris et s. Crucis Vratislaviensium ac s. Severini Coloniensis ecclesiarum decanis.*

Romae, 1403 Junii 29.

R. Lat. 105 fol. 91[b] — [a]) Resel' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XII . XIIII DE TERAMO, — [1]) Cf. nr. 2121.

2107. *Abbas Montis s. Petri Erfordensis Maguntinensis dioc. et praepositus s. Affrae Misnensis monasteriorum ac decanus ecclesiae Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii in Buch cisterciensis ord. Misnensis dioc. instituuntur ita, ut praesentes litterae per concedentis obitum non exspirent.* „*Militanti ecclesie*" „*Rome ap. S. Petrum tercio kal. Julii a. quarto decimo*".

Romae, 1403 Junii 29.

R. Lat. 110 fol. 66[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. C DE BENEVENTO.

2108. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Johannem Wyngas (de Vratislavia) surroget ad omne ius, quod Henrico Nassenguebe (?) tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Auras competebat.*

Romae, 1403 Julii 3.

Bonifacius . . . . magistro Bertrando de Arnassano capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Wyngas archidiaconus ecclesie b. Marie virginis in Maiori Glogouia Wratislauiensis diocesis . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum ex una parte et . . . . Johannem Conradi de Conradiuilla et Jacobum Pudwek, qui se gerunt pro clericis dicte diocesis, ac quondam Henricum Nassenguese (*sic*) clericum super parrochiali ecclesia in Awras Wratislauiensis diocesis, quam, tunc per obitum quondam Petri de Redderen ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Johannes Wyngas se vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse et de illa sibi provisum fuisse canonice, dictosque Johannem Conradi et Jacobum ac Henricum, quemlibet videlicet ipsorum, se

gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse . . . . ac utrumque ipsorum Johannis Conradi et Jacobi se opponere . . . ., Johannes vero Conradi et Jacobus ac Henricus predicti, quilibet videlicet eorum, predictam parrochialem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout dicti Johannes Conradi et Jacobus adhuc asserunt,[1]) ex altera materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad dicti Johannis Wyngas instanciam . . . . commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem . . . . prefatus Henricus in possessione ipsius parrochialis ecclesie existens, lite sic coram te indecisa pendente, extra prefatam curiam fuerit vita functus, nos . . . . dicto Johanni Wyngas . . . ., cum quo nos eciam alias, ut asserit, ut quodcumque beneficium seu officium curatum aut dignitatem seu personatum . . . . recipere et usque ad quinquennium cum archidiaconatu predicte ecclesie s. Marie, qui curatus et dignitas fore dinoscitur, et quem idem Johannes tunc obtinebat, prout obtinet,[2]) retinere . . . . valeret, dispensavimus, ita tamen, quod alterum ex archidiaconatu ac curato beneficio seu officio aut dignitate vel personatu huiusmodi infra huiusmodi quinquennium pro alio beneficio cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eundem archidiaconatum . . . . omnino dimittere teneretur . . . ., specialem graciam facere volentes, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Johannem Wyngas . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Henrico tempore sui obitus in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Henrico, dum vixit, non competisse et nulli ex Johanne Conradi et Jacobo ac Johanne Wyngas prefatis competere ius in dicta parrochiali ecclesia seu ad eam, eandem parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni Wyngas auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Johannes Wyngas, ut asserit, archidiaconatum predictum et perpetuam vicariam sine cura in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi obtinet, ac super maioris Wratislauiensis et Lubucensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in dicto palacio cum quibusdam adversariis suis noscitur litigare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 35[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]: in fine: JAC. XXII DE TERAMO, — [1]) Cf. nr. 1206. [2]) Cf. nr. 1926.

2109. *Maczeo de Lamberto archidiacono ecclesiae Vratislaviensis, familiari apostolico, camerae apostolicae clerico ac fructuum et proventuum eidem camerae debitorum in regno Poloniae collectori, de nobili genere procreato, conceditur, ut quaecunque beneficia ecclesiastica, quae obtinet aut obtinebit, sine speciali sedis apostolicae licentia pro quibuscunque aliis beneficiis ecclesiasticis permutare possit.*

„*Grata tue devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto nonas Julii a. quarto decimo*“.

Romae, 1403 Julii 4.

R. Lat. 108 fol. 160b. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2110. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii Brevnoviensis*[a]) *extra muros Pragenses ac praeposito ecclesiae Zverinensis mandatur, quatenus sententiam in palatio apostolico latam executioni demandantes, Bernardum Vrendenrick civem Lubicensem auctoritate apostolica compellant ad solvendum Nicolao Tzertzil canonico Varmiensi 200 marcas Lubicensis monetae usualis.* „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Julii a. quarto decimo.*“

Romae, 1403 Julii 5.

R. Lat. 114 fol. 280b — a) ‚Brunouien.‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXX DE TERAMO.

2111. *Episcopo Perusino et praepositis Misnensis ac Budissinensis Misnensis diocesis ecclesiarum mandatur, quatenus sententias, quae in causa super canonicatu et praebenda ecclesiae Wurczinensis exorta in palatio apostolico latae fuerunt, executioni debitae demandantes, eosdem canonicatum et praebendam Stephano Moyr de Oschatz*[a]) *conferant.* „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Julii a. quarto decimo.*“

Romae, 1403 Julii 5.

R. Lat. 109 fol. 195a — a) ‚Ossacz‘ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

2112. *Cosmato tituli s. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae s. Aegidii Cracoviensis ac parrochiali ecclesia in Luborzicza*[a]) *[Cracoviensis dioc.] necnon altari s. Mariae sito in ecclesia s. Thomae in Ratibor Vratislaviensis dioc., quorum omnium fructus 80 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantibus per obitum Andreae Nawogii [de Magna Rudna] apud sedem apostolicam defuncti*[1]); *non obstante, quod dictus Cosmatus ideomatis, quod parrochiani eiusdem parrochialis ecclesiae loquuntur, prorsus ignarus existit.* „*Dum exquisitam*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Julii a. quarto decimo.*“ — *Simili modo Cracoviensi et Comaclensi episcopis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1403 Julii 8.

R. Lat. 110 fol. 26a — a) ‚Lubricza‘. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, JAC. DE TERAMO. — 1) Cf. nr. 1974.

2113. *Andreae Wyrsing reservantur canonicatus et prebenda ecclesiae Olomucensis in brevi vacaturi.*

Romae, 1403 Julii 9.

Bonifacius . . . . Andree Wyrsing canonico ecclesie Monasterii Clericorum Ratisponensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Cum itaque . . . Nicolaus Sawringer de Matzen canonicus ecclesie Olomucensis monasterium in Specu prope Sublacum ord. s. Benedicti Tiburtine diocesis ingressus, professionem regularem per monachos eiusdem monasterii emitti consuetam emittere proponat, et propterea canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie, quos idem Nicolaus tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, quamprimum ipse ordinem prefatum expresse professus, vel annus probacionis sue elapsus fuerit, aut constiterit evidenter ipsum vitam absolute voluisse mutare, vel scienter habitum receperit professorum et illum per triduum gestaverit, vacare sperentur, nos . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sedecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum ipsos ut prefertur vacare contigerit, conferendos tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie Monasterii Clericorum obtines, et de in Wolfsbach tunc certo modo vacante eadem fuit tibi auctoritate provisum, et quorum omnium fructus . . . . viginti sex marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, ac super in Chulb Ratisponensis et Patauiensis diocesium parrochialibus ecclesiis, quarum possessionem nondum adeptus existis, litigas, et dudum tibi de uno vel duobus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum fuerit, ad collacionem . . . . episcopi Patauiensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Patauiensis . . . . pertinentibus . . . ., vacantibus aut . . . . vacaturis, graciose concessimus provideri. Volumus autem, prout id sponte voluisti, quod, quamprimum . . . . predictorum canonicatus et prebende ecclesie Olomucensis possessionem fueris pacifica assecutus, eandem ecclesiam in Chulb, si eam interim evincas et assequaris, ... omnino dimittere, alioquin liti et cause huiusmodi ac omni iuri tibi in ea vel ad eam quomodolibet competenti cedere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Julii a. quarto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis ac . . officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 105 fol. 153a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC XII . XIIII DE TERAMO.

2114. *Nobili viro Smiloni de Lichtenburg militi, baroni baroniae de Vettovia a), eiusque uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut altare portatile habere possint.*

„Sincere“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Julii a. quarto decimo.“

Romae, 1403 Julii 10.

R. Lat. 110 fol. 181a — a) ‚Vethouia‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO.

2115. *Nobili viro Henrico de Jaispitz*[a] *baroni baroniae de Kunstadt*[b] *domicello et Annae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. quarto decimo*“.

Romae, 1403 Julii 19.

R. Lat. 110 fol. 176ᵃ — a) ‚Jeuspicz' b) ‚Cunstat' — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2116. *Petro de Jaispitz*[a] *baroni baroniae de Kunstadt*[b] *domicello et Elizabeth eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. quarto decimo.*“

Romae, 1403 Julii 19.

R. Lat. 110 fol. 159ᵇ — a) ‚Jeuspitz' b) ‚Cunstat' — In fine: JAC. XVI DE TERAMO.

2117. *Johanni Hufnagel oppidano oppidi Brunensis et Clarae eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis interdictis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. quarto decimo.*“

Romae, 1403 Julii 19.

R. Lat. 110 fol. 176ᵇ — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2118. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac praeposito ecclesiae s. Johannis Vratislaviensis mandatur, quatenus Simoni quondam Johannis de Wartenberg*[a] *laici nato, clerico Vratislaviensis dioc., conferant parrochialem ecclesiam s. Catherinae in villa Niehmen*[b] *dictae dioc., cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Nicolai Pfefflin extra Romanam curiam defuncti.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Augusti a. quarto decimo*“.

Romae, 1403 Julii 24.

R. Lat. 105 fol. 146ᵇ — a) ‚Wartinberg' b) ‚Nemyn' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII DE TERAMO.

2119. *Judicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa inter Erasmum de Obrnicz et Nicusium Weyner eiusque uxorem oppidanos Lunenses super quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis exorta in palatio apostolico pro dicto Erasmo latae fuerunt, auctoritate apostolica exsequantur.*

Romae, 1403 Julii 27.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii in Trzebon Pragensis diocesis ac archidiacono Boleslauiensi in ecclesia Pragensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Erasmi Mathie de Obrzenicz clerici Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse contra . . . . Nicusium Weyner et . . . . Petruciam eius uxorem, oppidanos oppidi de Luna dicte diocesis, qui super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis iniuriabantur eidem, apostolicas super hiis, cum ipsorum oppidanorum potenciam merito perhorrescens, eos infra civitatem seu diocesim Pragenses nequeat convenire secure, ad . . . . abbatem monasterii Scotorum in Wyenna Patauiensis diocesis, eius proprio nomine non expresso, litteras impetravit dictosque oppidanos, qui tempore impetracionis dictarum litterarum et tunc eciam nonnulla domus, possessiones ac alia immobilia in dicta diocesi consistencia ac eciam mobilia bona et res tunc expressa, ad ipsum Erasmum iusto titulo pertinencia, occupaverant et detinuerant, prout detinebant, indebite occupata, super hoc, petendo eos condempnari et compelli ad dimittendum sibi domos, possessiones huiusmodi et immobilia necnon ad reddendum mobilia bona et res huiusmodi, coram abbate predicto dictarum litterarum vigore fecit ad iudicium evocari, idemque abbas, congnitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro ipso Erasmo et contra dictos oppidanos sentenciam promulgavit ipsos oppidanos in expensis in huiusmodi causa factis nichilominus condempnando, quas ad viginti quatuor sexagenas grossorum Boemicalium usualis monete provida moderacione taxavit. A qua pro parte dictorum oppidanorum, ipsam sentenciam fore iniquam falso asserencium, fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . magistro Leonardo de Sulmona capellano nostro et auditori palacii apostolici causarum ad instanciam dicti Erasmi . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, et cum potestate citandi dictos oppidanos extra eandem curiam et ad partes tociens, quociens opus esset; idemque auditor ad instanciam . . . . magistri Wenceslai Martini de Praga procuratoris dicti Erasmi coram eo constituti prefatos oppidanos per suas certi tenoris litteras citari fecit ad partes, ut coram eo certo termino peremptorio competenti tunc expresso cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam huiusmodi contingentibus in dicto palacio comparerent, processuri in causa huiusmodi ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sentenciam inclusive, prout existeret racionis. In quo quidem termino . . . . magister Ruterus de Balhorn substitutus per dictum Wenceslaum procuratorem dicti Erasmi . . . . in iudicio comparens et de citacione huiusmodi eidem auditori fidem faciens per legitima documenta, dictorum oppidanorum non comparencium contumaciam accusavit, prefatusque auditor ad instanciam dicti Ruteri dictos oppidanos ad dandum et recipiendum libellum in causa huiusmodi in audiencia publica, ut est moris, citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Ruterus . . . . comparens, predictorum oppidanorum non comparencium contumaciam accusavit et in eorum contumaciam quendam libellum pro parte sua in huiusmodi causa dedit; et deinde coram eodem auditore Rutero prefato et . . . . magistro Johanne de Scriuanis procuratore dictorum oppidanorum in iudicio comparentibus, et lite per eos legitime contestata, ac de calumnia et de veri-

tate dicenda in ipsius auditoris presencia prestitis iuramentis in termino eis ad hoc dato, prefatus auditor eisdem Rutero et Johanni de Scriuanis .... ad dandum et per alteram partem dari videndum posiciones et articulos .... prefixit certum terminum peremptorium competentem. In quo predictus Ruterus .... comparens, dicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quosdam posiciones et articulos pro parte sua in huiusmodi causa dedit. Et deinde prefatis Rutero et Johanne de Scriuanis .... comparentibus, et per Johannem de Scriuanis nonnullis excepcionibus contra huiusmodi posiciones et articulos datis, productisque per Johannem de Scriuanis et Ruterum predictos nonnullis litteris autenticis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis .. ., prefatus auditor ad dicti Ruteri instanciam prefatum Johannem de Scriuanis ad dicendum contra producta partis sue huiusmodi quidquid vellet .... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo predictus Ruterus .... comparens, dicti Johannis de Scriuanis non comparentis contumaciam accusavit. Tandem vero prefatis Rutero et Johanne de Scriuanis .... comparentibus, ipsoque Rutero in ipsa causa concludi petente, memoratus auditor cum eodem Rutero in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso ...., ipsisque Rutero et Johanne de Scriuanis .... comparentibus ac ipso Rutero diffinitivam in causa huiusmodi sentenciam ferri petente ...., sepedictus auditor .... per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum abbatem in causa huiusmodi bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum ipsamque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dictorum oppidanorum ab eodem abbate et eius sentencia male fuisse et esse appellatum [eosque] in fructibus ex domibus, possessionibus et bonis huiusmodi a tempore dicte late sentencie citra perceptis et in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Cumque ab eadem sentencia ipsius auditoris pro parte dictorum oppidanorum ad sedem fuisset appellatum eandem, nos causam ultime appellacionis huiusmodi .... magistro Hermanno Dwerg capellano nostro [et] auditori dicti palacii causarum .... commisimus ....; qui ad dicti Ruteri instanciam prefatum Johannem de Scriuanis ad dandum et recipiendum libellum in causa huiusmodi citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo prefatus Ruterus .... dicti Johannis de Scriuanis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam pro parte sua quendam in huiusmodi causa dedit [libellum]. Et deinde prefato Rutero et Johanne de Scriuanis .... comparentibus, et lite per eos legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius Hermanni auditoris presencia prestitis iuramentis ...., prefatus Hermannus auditor eisdem Rutero et Johanni de Scribanis .... ad dandum et per alteram partem dari videndum posiciones et articulos ... certum terminum peremptorium competentem prefixit. In quo quidem termino prefatus Ruterus .... comparens, dicti Johannis de Scriuanis [non comparentis] contumaciam accusavit et in eius contumaciam quosdam posiciones et articulos in causa huiusmodi pro parte sua dedit, idemque Hermannus auditor ad eiusdem Ruteri instanciam prefatum Johannem de Scriuanis ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos quicquid vellet necnon ad producen-

dum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse in huiusmodi causa uti vellent . . . ., citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus prefatus Ruterus . . . . comparens predicti Johannis de Scriuanis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla autenticas litteras, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit . . . .; idemque Hermannus auditor ad eiusdem Ruteri instanciam memoratum Johannem de Scriuanis ad dicendum contra eadem producta quicquid vellet necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, ... citari fecit ad certos terminos competentes. In quibus dicto Rutero . . . . comparente et prefati Johannis de Scriuanis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in huiusmodi causa concludi petente, sepedictus Hermannus auditor reputans eundem Johannem de Scriuanis . . . . contumacem, in eius contumaciam cum predicto Rutero in huiusmodi causa concludente conclusit . . . ., et ad instanciam eiusdem Ruteri prefatum Johannem de Scriuanis ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Rutero . . . . comparente et predicti Johannis de Scriuanis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Hermannus auditor reputans eundem Johannem de Scriuanis . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per dictum Leonardum auditorem in causa huiusmodi bene et iuste fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, dictamque ipsius Leonardi auditoris sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dictorum oppidanorum ab ipso Leonardo auditore eiusque sentencia male fuisse et esse appellatum ac ipsos oppidanos in expensis in huiusmodi causa coram eo legitime factis condempnandos fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter Leonardus coram se in triginta et Hermannus auditores prefati coram eo factas expensas huiusmodi in viginti florenis auri de camera boni et iusti ponderis in contumaciam dicti Johannis de Scriuanis . . . . successive provisis moderacionibus taxarunt, ipsius Ruteri super eisdem expensis iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis dictorum Leonardi et Hermanni auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipse Erasmus timeat, ne aliqui alii se in eisdem domibus, possessionibus et bonis intruserint vel in futurum intrudant, pro parte dicti Erasmi nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc alias de remedio oportuno providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . que super hiis ab eisdem Leonardo et Erasmo auditoribus provide facta sunt, rata habentes et grata ipsasque eorum sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa per eosdem Leonardum et Hermannum auditores, ut prefertur, facta execucioni debite demandantes, dictasque sentencias ipsorum Leonardi et Hermanni auditorum, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis dicto Erasmo vel procuratori suo eius nomine de huiusmodi perceptis fructibus et florenorum summis pro dictis expensis per eosdem auditores ut premittitur taxatis iuxta predictorum instrumentorum earundem condempnacionum et taxacionum tenores ple-

nam et debitam satisfaccionem impendi; et insuper ad execucionem presencium tam contra dictos oppidanos quam intrusos et intrudendos, quoad possessionem dumtaxat domorum, possessionum et bonorum huiusmodi eidem Erasmo tradendam, auctoritate predicta procedatis, ac si sentencie ipse contra eos late forent; et nichilominus legitimis super hiis per vos habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 216[a] — Supra in marg sin.: CAN[CELLA]RIA: in fine: JAC. XL DE TERAMO.

2120. *Martino Elias Andreae de Glatovia providetur de parrochiali ecclesia s. Martini Maioris civitatis Pragensis, cuius fructus 17 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Venceslai Rohle [de Jičín] apud sedem apostolicam defuncti; non obstante, quod nuper ei de quadam perpetua vicaria sine cura in ecclesia s. Petri Vyšehradensi*[a]) *prope Pragam tunc vacante, cuius fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, a papa concessum est provideri.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a. quarto decimo*“. — *Simili modo episcopo Melfiensi et maioris ac s. Aegidii Pragensium ecclesiarum praepositis.*

Romae, 1403 Julii 27.

R. Lat. 105 fol. 12[a] — [a]) ‚Wissegraden‘. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO.

2121. *Petro Rimanni de Wartenberg,*[a]) *qui in registro supplicationum per papam vel de eius mandato signatarum et signandarum fideliter scribendo laborat, providetur de altari ss. Georgii et Margarethae sito in ecclesia Vratislaviensi, cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Johannis Wirt de Resehl*[b]) *apud sedem apostolicam defuncti;* [1]) *non obstante, quod nuper ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Vratislaviensis necnon praepositi, decani, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinente, a papa provideri concessum est.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a. quarto decimo*“. — *Simili modo episcopo Tiburtino et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1403 Julii 27.

R. Lat. 105 fol. 67[b] — [a]) ‚Warthinberg‘ [b]) ‚Resib‘ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2106.

2122. *Nobili viro Ulrico dicto Sisska alias Stoss domicello Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere*

possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Augusti a. quarto decimo“.

Romae, 1403 Augusti 2.

R. Lat. 110 fol. 176a — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2123. *Iudicibus mandatur, quatenus Mathiae Smyt canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae Budissinensis conferant.*

Romae, 1403 Augusti 4.

Bonifacius . . . . Brandeburgensis et . . Wratislauiensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Mathias Smyt prepositus ecclesie Lubucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et quondam Henricum Meko canonicum ecclesie s. Petri in Budissin Misnensis diocesis, in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, super canonicatu et maiori prebenda ipsius ecclesie, quos, tunc per obitum quondam Johannis Penczelin ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantes, Mathias vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, se ante revocacionem graciarum expectativarum per nos XI. kal. Januarii proxime preteriti factam infra tempus legitimum acceptasse et de illis sibi provisum seque illos vigore litterarum, acceptacionis et provisionis predictarum assecutum fuisse canonice [1]), dictumque Henricum se litteris, acceptacioni, provisioni et assecucioni predictis contra iusticiam opposuisse ac fecisse et facere, quominus idem Mathias canonicatum et prebendam posset pacifice possidere, Henricus vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tandem prefatus Henricus tres, per quas dicti canonicatus et prebenda sibi adiudicati et super eis dicto Mathie perpetuum silencium impositum extitit, sentencias reportavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Mathias, qui eciam, ut asserit, lite huiusmodi coram eisdem auditoribus tunc indecisa pendente ab eadem curia fuit absens et in eadem causa seu lite remansit quodam modo indefensus, dubitet, quod ipse ad instanciam dicti Henrici in vim execucionis earundem sentenciarum excommunicacionis sentencia fuerit innodatus, et sicut accepimus, predictus Henricus extra eandem curiam postea extiterit vita functus . . . ., discrecioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Mathie, si et postquam ab eadem excommunicacionis sentencia, in quantum ea ligatus existat, legitime absolutus fuerit, ... auctoritate prefata conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Mathias, ut asserit, canonicatum et prebendam necnon preposituram

ipsius ecclesie Lubucensis, que quidem prepositura dignitas maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, ac parrochialem ecclesiam in Bisschofwerde dicte diocesis, quorum omnium fructus .... quadraginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, canonice noscitur obtinere .... Datum Rome apud S. Petrum secundo nonas Augusti a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 240[a] — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO. — [b]) Cf. nr. 1499.

2124. *Nicolaus Wangir canonicus monasterii b. Mariae virginis in Arena Vratislaviensis ord. s. Augustini in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Augusti a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Augusti 6.

R. Lat. 110 fol. 122[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2125. *Hynkoni dicto de Batelov [a])clerico Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Augusti a. quarto decimo“.*

Romae, 1403 Augusti 10.

R. Lat. 110 fol. 176[a] — [a]) ‚Bathalow‘ — In fine: JAC. X. DE TERAMO.

2126. *Capitulo ecclesiae Olomucensis promittitur Laczkonem episcopum Olomucensem invitum ad aliquam aliam ecclesiam non translatum iri.*

Romae, 1403 Augusti 13.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Ad ea, per que cathedrales ecclesie ac pastores illis presidentes pro tempore a gravaminibus relevantur et ius suum ipsis conservatur illesum, libenter partes apostolice sollicitudinis, ut decet et expedit, exhibemus. Sane peticio .... decani et capituli ecclesie Olomucensis nobis nuper exhibita continebat, quod, licet .... Laczko episcopus Olomucensis tam nacione nobili et moribus quam eciam laudabilibus actibus fuerit et sit multifarie decoratus, et eciam postquam eidem ecclesie tunc vacanti de persona sua per sedem apostolicam provisum fuit, circa reformacionem ipsius ecclesie, quam propter guerras et alia inconveniencia plurima, que illas partes diucius afflixerant, repperit enormiter deformatam, solerter et vigilanter intendens, eam sibi divina suffragante clemencia et eciam quorundam nobilium ac potentum eiusdem patrie incolarum, suorum consanguineorum et amicorum, fultus auxilio inceperit reformare ac ad bonum statum producere pia devocione proponat, et incunctanter ipsa ecclesia ope ipsius episcopi possit ab imminen-

tibus ei erumpnis et oppressionibus, ut experiencia edocet, relevari, tamen idem decanus et capitulum timent eundem episcopum ad aliquorum emulorum suorum sinistram procuracionem seu suggestionem per nos absolvi a vinculo, quo eidem ecclesie obligatur, necnon ab eadem ecclesia ad aliquam aliam cathedralem eo ad hoc non vocato seu non consenciente transferri, pro parte dictorum decani et capituli, asserencium, quod dicta translacio, si fieret, in grave detrimentum ipsorum et eiusdem ecclesie cederet, fuit nobis humiliter supplicatum, ut eorum et eiusdem ecclesie statui in premissis oportune providere de speciali gracia dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati tenore presencium eisdem decano et capitulo ac eciam episcopo promittimus, quod eundem episcopum de dicta Olomucensi ecclesia ad aliquam aliam cathedralem sive aliam ecclesiam non transferemus invitum, nec ipsum a predicta ecclesia amovebimus eo prius non citato vel ad hoc expresse consenciente, ac decernentes exnunc irritum et inane, quicquid in contrarium quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit forsitan attemptari. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Augusti a. quarto decimo.

R. Lat. 108 fol. 244b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

2127. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni de Indagine canonico ecclesiae Budissinensis conferant maiorem praebendam eiusdem ecclesiae, quam ipse, sua priore praebenda dimissa, optavit.*

Romae, 1403 Augusti 14.

Bonifacius . . . . episcopo Florentino et . . . . abbati monasterii in Noua Cella Misnensis diocesis ac . . cantori ecclesie Misnensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Johannes Tilonis de Indagine canonicus ecclesie Budissinensis Misnensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim maiori prebenda dicte ecclesie, in qua maiores et minores prebende fore noscuntur, quam quondam Henricus Mechow . . . . obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, prefatus Johannes canonicatum et unam aliam ex huiusmodi maioribus prebendis tunc obtinens,[1] predictam maiorem prebendam sic vacantem, prout iuxta consuetudinem ipsius ecclesie poterat, infra tempus debitum optavit ac . . . . possessionem ipsius maioris prebende . . . . extitit pacifice assecutus, dicta alia maiori prebenda in eadem ecclesia, quam prius obtinebat, per eum libere et omnino dimissa. Cum autem . . . . prefatus Johannes dubitet dictam opcionem . . . . viribus non subsistere . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . eandem optatam prebendam, cuius necnon canonicatus eiusdem ecclesie fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .: non obstantibus . . . ., quod dictus Johannes, ut asserit, altare s. Sigismundi in capella s. Katherine extra

muros oppidi Hayn situm et quoddam perpetuum beneficium ‚primissaria' nuncupatum in parrochiali ecclesia Biscofwerde dicte diocesis, que sine cura sunt, et quorum fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Septembris a. quarto decimo.

R. Lat. 114 fol. 286b -- Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 1957 et 2083.

2128. *Episcopo Tudensi et abbatibus Brevnoviensis* [a]) *prope Pragam ac s. Ambrosii Pragensis monasteriorum mandatur, quatenus Johanni Noviczka de Drustová* [b]) *presbytero Pragensis dioc. conferant perpetuum officium ‚campanaria' nuncupatum in ecclesia s. Aegidii Pragensi, cuius fructus 8 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Nicolai Huser extra Romanam curiam defuncti.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Septembris a. quarto decimo.*"

Romae, 1403 Augusti 17.

R. Lat. 105 fol. 129a — a) ‚Brewnouien'. b) ‚Nouiczka de Drustowa' — in fine: PRO NEPOTE SCRIPTORIS, JAC. DE TERAMO.

2129. *Decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis mandatur, quatenus Jacobo Valentini de Přibram* [a]) *presbytero Pragensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, scholastici, archidiaconorum, custodis et capituli singulorumque canonicorum ecclesiae Pragensis necnon abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Gredismonachorum cisterciensis ord. dictae dioc. pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; ita tamen, ut dictus Jacobus post quinquennium a data praesentium litterarum earum vigore aliquod beneficium acceptare nequeat.* „*Dignum arbitramur*" „*Rome ap. S. Petrum XI. kal. Septembris pont. n. a. quarto decimo*".

Romae, 1403 Augusti 22.

Orig. membr. fuit involucrum codicis cuiusdam et nunc valde mutilatum in archivio capituli ecclesiae Pragensis (XXII, 7) asservatur. Supra plicam ad dext.: REGISTRATA GRATIS, A. BRICQUETI: a tergo: R[EGISTRATA] JAC. [DE TERAMO]. — Tenor istarum litterarum etiam litteris executoriis Venceslai de Radeč decani s. Apollinaris insertus est, quarum fragmentum habetur in eodem archivio sub XIX, 10 — a) ‚Przybram'.

2130. *Praeposito ecclesiae Merseburgensis mandatur, quatenus a Theoderico de Goch resignationes canonicatuum et maiorum praebendarum cum nonnullis oboe-*

dientiis Misnensis et Naumburgensis[a] *ecclesiarum, necnon custodiae Naumburgensis ac praeposituae Budissinensis ecclesiarum, quae praepositura dignitas principalis in Budissinensi ecclesia existit, necnon capellae in Ravensberg*[b] *Naumburgensis dioc. recipiat, dictaque beneficia, quorum omnium fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, cuicunque vel quibuscunque personis per praefatum Theodericum eligendis, etiam quinque vel plura beneficia cum vel sine cura obtinentibus, conferat. „Apostolice sedis providencia" „Rome ap. S. Petrum octavo idus Septembris a. quarto decimo."*

Romae, 1403 Septembris 6.

R. Lat. 108 fol. 256a — a) ‚Nuemburgen'. b) ‚Rauensbergh'. — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

***2131**. Judicibus mandatur, quatenus Andreae Andreae praeposituram monasterii Plagensis conferant.*

Romae, 1403 Septembris 13.

Bonifacius . . . episcopo Anconitano et . . . abbati monasterii s. Caroli Pragensis ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Andreas Andree canonicus monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem pro parte quondam Dyepoldi de Bernarticz prepositi monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari dicti ord. Patauiensis diocesis nobis exposito, quod olim ipse in causa, per eum contra Nicolaum Flanczel, qui se gerit pro canonico dicti monasterii Plagensis, super eo, quod prefatus Nicolaus eundem Dyepoldum prepositura dicti monasterii Plagensis . . . . de facto spoliaverat, ... mota et apud sedem apostolicam . . . . diucius ventilata, tres pro se . . . . diffinitivas sentencias reportarat, et super execucione huiusmodi sentenciarum nostras ad . . . . episcopum Aquensem necnon . . . . abbatem monasterii in Alto Vado Pragensis diocesis ac officialem Pragensem, eorum nominibus propriis non expressis, sub certa forma litteras impetrarat, quodque bone memorie Petrus episcopus Aquensis primo in huiusmodi execucionis procedens negocio solus, prout ex forma earundem poterat litterarum, nonnullos . . . . processus fecerat in talibus fieri consuetos . . . . . et quod, licet huiusmodi processus ad Nicolai necnon conventus predictorum et singularum personarum ex huiusmodi conventu indubitatam noticiam legitime pervenissent, iidem tamen Nicolaus et conventus et nonnulli canonici dicti monasterii sive quamplures singulares persone ex huiusmodi conventu processibus ipsis vilipensis eisdem parere . . . . non curarant neque curabant, et quod, licet eciam postea dictus abbas . . . . sentencias in huiusmodi processibus latas aggravasset, necnon successive . . . . auxilium brachii secularis invocasset, tamen predicti Nicolaus et alii canonici et quidam alii eorum complices in hac parte in reprobum sensum dati eundem Dyepoldum impediverant et impediebant ac fecerant et faciebant, quominus possessionem dicte preposi-

ture vigore dictorum processuum assequi potuisset sive posset . . . ., ac pro parte eiusdem Dyepoldi nobis humiliter supplicato, ut providere sibi in premissis de oportuno remedio dignaremur, nos . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam, similiter eius proprio nomine non expresso, nostris dedimus litteris in mandatis, ut legitimis per eosdem episcopum et abbatem super hiis habitis servatis processibus ad ipsarum primarum litterarum execucionem ulterius faciendum . . . auctoritate nostra procederet et nichilominus omnes clericos et ecclesiasticas personas in premissis culpabiles sive qui predictum Dyepoldum . . presumerent impedire . . . , auctoritate predicta moneret, ut . . . ab impedimentis eisdem omnino desisterent . . . [1]) Cum itaque postmodum prepositura predicta per eiusdem Dyepoldi obitum, qui, antequam possessionem dicte prepositure adipisceretur aut huiusmodi ultime littere execucioni debite mandarentur, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . preposituram predictam, que prefata monasterio Milocensi ordinario iure subesse dinoscitur, cuiusque fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Andreas, ut asserit, parrochialem ecclesiam in Mylewsk dicte Pragensis diocesis per canonicos eiusdem monasterii Milocensis gubernari consuetam noscitur obtinere. Volumus autem, quod dictus Andreas, quamprimum . . . . dicte prepositure possessionem fuerit pacificam assecutus, eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Septembris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 165a. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XXVIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2100.

2132. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus Johannem de Landskron surroget ad omne ius, quod Henrico Scharffe tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Jakubov competebat.*

Romae, 1403 Septembris 16.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Henrici de Lanczcrona rector parrochialis ecclesie s. Marie Magdalene Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Jaxonem de Costeletz, qui se gerit pro clerico Olomucensis diocesis, et quondam Henricum Scharffe presbyterum super parrochiali ecclesia in Jacubaw dicte diocesis, quam, tunc per obitum quondam Nicolai Drlycz ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Henricus se vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse et de illa sibi provisum fuisse canonice dictumque Jaxonem se gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . . dictamque ecclesiam in

Jacubaw occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatam, Jaxo vero predicti eandem ecclesiam in Jacubaw ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Jaxo adhuc asserit, materia questionis, nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum palacii apostolici de mandato nostro tenebas, prout adhuc tenes, ad instanciam dicti Henrici . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos citacionis actus inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . prefatus Henricus lite huiusmodi sic coram te indecisa pendente apud sedem apostolicam fuerit vita functus, nos . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus prefatum Johannem . . . . in omni iure et ad omne ius, quod predicto Henrico in eadem ecclesia in Jacubaw tempore huiusmodi sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . . et nichilominus ecclesiam in Jacubaw predictam, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ...prefato Johanni auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Johannes, ut asserit, predictam parrochialem ecclesiam s. Marie Magdalene, cuius fructus . . . . trium marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Johannes, quamprimum . . . . dictam parrochialem ecclesiam in Jacubaw fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam s. Marie Magdalene, prout ad hoc se eciam sponte obtulit, dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Octobris a. quarto decimo.

R. Lat. 111 fol 117ᵛ — Supra in marg. sin.: [ANCELLARIA]: in fine: M. XXIII DE SANCTA AGATHA.

***2133**. Abbati monasterii Brevnoviensis mandatur, quatenus Prechoni de Predbořicz parrochialem ecclesiam in Kirchschlag alias in Světlík, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1403 Septembris 16.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam . . . . Dignum [arbitramur] . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Przechonis de Przedborzicz canonici monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Kirslag alias in Swietlik dicte diocesis, que per canonicos dicti monasterii regi consuevit, et quam quondam Bartholomeus . . . . obtinebat, per ipsius Bartholomei obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, . . . Dyepoldus prepositus monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari dicti ordinis Patauiensis diocesis, cum ad prepositum eiusdem monasterii Plagensis pro tempore existentem presentacio rectoris dicte ecclesie, cum vacat pro tempore, de antiqua . . . . consuetudine pertineret, dictum Przechonem ad eandem ecclesiam sic vacantem . . . . Johanni de Kbel canonico Pragensi, tunc administratori in spiritualibus ecclesie Pragensis per . . . capitulum dicte ecclesie Pragensis tunc pastore carentis specialiter deputato, infra tempus legitimum presentavit dictusque canonicus, tunc

administrator, eundem Przechonem auctoritate ordinaria in rectorem parrochialis ecclesie instituit antedicte, ac idem Przecho .... eandem parrochialem ecclesiam extitit assecutus.[1]) Cum autem .... idem Przecho dubitet presentacionem et institucionem huiusmodi viribus non subsistere ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... ecclesiam parrochialem predictam, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Przechoni .... auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Octobris a. quarto decimo.

R. Lat. 109 fol. 167[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA], in fine: JAC. XXII DE TERAMO. — [1]) Institutio illa 1403 Mai 26 facta est; cf. Emler, Lib. conf. VI p. 89.

2134. *Archiepiscopus Pragensis et episcopus Lubucensis ac decanus ecclesiae s. Sepulcri dominici Legnicensis conservatores Thymonis episcopi Misnensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Octobris a. quarto decimo.“*

Romae, 1403 Septembris 19.

R. Lat. 110 fol. 71[b] — [a]) ‚Legenicen‘. —Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXX DE TERAMO. — Altera copia in fol. 68[b] eiusdem voluminis invenitur, ubi autem nota taxatoris deest.

2135. *Episcopo Ferentinatensi et praeposito ecclesiae Gneznensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Michaeli Jacobi de ‚Globia‘ [1]) presbytero Vladislaviensis dioc. parrochialem ecclesiam in Sedlicz Gneznensis dioc. conferant. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Octobris a. quarto decimo.“*

Romae, 1403 Septembris 26.

R. Lat. 105 fol. 4[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: N. XVI DE BENEVENTO. — [1]) Klonia in regione Marienwerder?

2136. *Depositio regis Venceslai et electio Ruperti in regem Romanorum approbantur.*

Romae, 1403 Octobris 1.

Bonifacius .... carissimo in Chr. filio Ruperto in regem Romanorum electo illustri .... Pater immense majestatis .... Sane dudum fel. rec. Urbanus papa VI. inmediatus predecessor noster, provida meditacione considerans mundum positum peccatis exigentibus in maligno, et quod disponente domino, cui obediunt universa, Romana mater ecclesia super reges et regna tamquam mater omnium et magistra supremum obtinet principatum, ut per eius ministerium regatur salubriter catholice fidei firmamentum, per diversos nuncios atque

literas repetitis vicibus paternis et accuratis affectibus excitavit carissimum in Chr. filium nostrum Wentzesslaum tunc Romanorum et Bohemie regem, ut pro defensione militantis ecclesie ac honore et statu sacri imperii, prout eius exigebat officium, ad suscipiendum imperiale dyadema ad Italie partes accederet: et videns eum ad hoc perficiendum nimia tepere desidia, eiusdem imperii electores, tamquam ipsius imperii membra precipua, sepenumero, interdum literis, nonnumquam vero nunciis specialibus, instantissime requisivit, ut prefatum Wentzesslaum ad descendendum premissorum causa in Italiam oportunis modis atque remediis hortarentur ac instanciis et monicionibus debitis propulsarent. Demum autem eodem Urbano predecessore nostro, sicuti domino placuit, ab hac luce subtracto, nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, maximo animi fervore flagrantes ad obviandum iacturis et scandalis, que Romane ecclesie, sponse nostre, et ipsi consequenter imperio cernebamus iugiter exoriri, nonnumquam interposuimus tam per literas quam eciam per nuncios speciales paternis affectibus partes nostras, ut prefatum Wentzeslaum ad huiusmodi descensum diversis modis, quos oportunos putavimus, nichil possibilitatis penitus omittendo, quod expediens visum fuerit, inducere valeremus: et videntes adhortaciones, inducciones et moniciones prefati predecessoris nostri nostrasque nichil ommino proficere, ne quid intentatum in tam gravi tamque ponderoso negocio providencia apostolice servitutis omitteret, venerabilibus fratribus et dilectis filiis .. nobilibus viris sacri imperii electoribus crebro scripsisse meminimus, ut attentis periculis, que ex tanta socordia Wentzeslai prefati ecclesie atque imperio et christiane religioni iugiter ingruebant, et signanter cum Gallici, quos semper animadvertimus ad usurpacionem vel saltem divisionem ecclesie et imperii totis studiis totisque conatibus inhiare, imperialem civitatem Januensem in ipsius Italie faucibus positam occupassent, eundem Wentzeslaum ad veniendum in Italiam more divorum predecessorum suorum, ut e manibus nostris imperiale dyadema reciperet, et ad occurrendum, ne predicti Gallici pedem in eadem Italia firmioribus radicibus validarent, necnon ecclesiam et imperium ipsiusque terras et bona juxta sui status debitum defensaret, debitis modis et oportunis remediis et monicionibus excitarent. Tandem vero electores ipsi, videntes ulteriorem moram dicti Wenceslai infinita secum dispendia trahere ac quascunque adhortaciones, excitaciones, inducciones et moniciones prefati predecessoris nostri nostrasque ac ipsorum eciam, prochdolor, frustra fore, et aures eiusdem ad hanc rem tam sanctam, tam piam tamque christianitati utilem et necessariam penitus obduratas ipsumque Wentzeslaum ad regimen dicti imperii esse omnino inutilem, et propterea non solum statum universalis ecclesie atque imperii, sed tocius christiane religionis turbari, et ne bona prefati imperii desidia ipsius Wentzeslai tenderent irreparabiliter in collapsum, nobis per eorum proprium nuncium significare curarunt, quod prefati Wentzeslai segnicie diligenter inspecta, ex qua dietim mundo discrimina et innumera scandala pullulabant, et quod predicta erant adeo per terrarum orbem notoria, quod non poterant aliqua tergiversacione celari, ipso amoto ad alterius eleccionem, qui huiusmodi dicriminibus et scandalis potenter occurreret, procedere disposuerunt: et demum, cum eius deposicio ad nos dumtaxat spectaret, ad ipsius Wentzeslai deposicionem seu amocionem a prefato regno Romanorum auctoritate nostra suffulti concorditer processerunt: et deinde

e, carissimum filium nostrum, tunc comitem palatinum Rheni, Bavarie ducem eorumque coelectorem, in regem Romanorum in futurum imperatorem postmodum promovendum concorditer elegerunt, tuque super hoc digesta meditacione prehabita ad ipsorum electorum et multorum aliorum instanciam huiusmodi eleccioni consensum tuum libere prebuisti. Postmodum vero per solempnes ambassiatores et nuncios tuos pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi deposicionem sive amocionem Wentzeslai prefati et eleccionem de te factam, ut prefertur, et quecumque inde secuta auctoritate apostolica approbare et personam tuam habilem et ydoneam ad suscipiendam prefatam imperialis culminis dignitatem decernere et declarare de benignitate solita dignaremur. Nos igitur de omnibus premissis et de huiusmodi deposicione facta necnon de concordi eleccione tua fide plenaria nobis facta, et de persona tua, quantum [tua] paciebatur absencia, de tuis quoque moribus et condicionibus virtuosis ac sinceritate et devocione, quam tu erga nos et eandem ecclesiam gerere comprobaris, et aliis, que ad huiusmodi culminis apicem requiruntur, diligencius inquisito, et super hiis omnibus cum prefatis fratribus nostris s. Romane ecclesie cardinalibus diligenti deliberacione prehabita, huiusmodi tuis supplicacionibus inclinati, de ipsorum fratrum consilio, ad laudem et gloriam omnipotentis dei patris et filii et spiritus sancti et beate et gloriose semper virginis Marie et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac exaltacionem et honorem dicte Romane ecclesie [et] orthodoxe fidei bonumque et promocionem sacri imperii et prosperum statum mundi, discriminibus et periculis ex premissa dicti Wentzeslai negligencia ecclesie atque imperio verisimiliter eventuris attenta consideracione pensatis, deposicionem prefati Wentzeslai et eleccionem de te factam et quecunque inde secuta rata habentes et grata, te in specialem nostrum et dicte ecclesie filium suscipimus, tibi nostros favorem et graciam concedentes tuamque personam ydoneam reputantes, te nominamus, pronunciamus et in regem Romanorum assumimus . . . . Datum Rome ap. S Petrum kal. Octobris pont. n. a. quarto decimo.

R. Vat. 320 fol. 181a — In fine: (ad sin.) X.M, JA. DE PAPIA; (ad. dext.) X.M, F. DE MONTEPOLICIANO, ZUCCHARUS — Copia posterior in Arm. XXXII tom. 57 fol. 1a — Editum proxime ap. Weizsäcker, Deutsche Reichstagsakten IV, p. 108 nr. 104; illic vide etiam alia documenta ad depositionem Wenceslai et electionem Ruperti pertinentia.

2137. *Johannes de Berlandia in litterarum apostolicarum scriptorem recipitur.*

Romae, 1403 Octobris 9.

Bonifacius . . . . magistro Johanni Wilhelmi de Ramoka de Berlandia presbytero Traiectensis diocesis, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Cum itaque officium scriptorie litterarum apostolicarum, quod dilectus filius Petrus Wserob olim ipsarum litterarum scriptor obtinebat, ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod nos hodie eundem Petrum ex certis racionabilibus causis nostrum ad id animum moventibus ab ipso officio auctoritate apostolica deponendum duximus et eciam amovendum, nos . . . . te in scriptorem earundem litterarum graciose recipimus et in locum dicti Petri auctoritate pre-

dicta surrogamus, ac aliorum scriptorum dictarum litterarum consorcio favorabiliter aggregamus, decernentes te exnunc fore in scriptorem earundem litterarum et ad huiusmodi scriptorie officium eiusque exercicium ac honores, onera et emolumenta consueta admittendum, non obstantibus statuto de certo numero scriptorum earundem litterarum auctoritate apostolica facto, cui per hoc alias non intendimus derogare, eciam si officium predictum per liberam resignacionem dicti Petri in Romana curia vel extra eciam coram notario publico et testibus sponte factam et admissam vacet, et constitucionibus apostolicis et privilegiis et aliis contrariis quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Octobris a. quarto decimo.

Simili modo . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notario nostro . . . Grata dilecti filii magistri Johannis Wilhelmi de Ramoka de Berlandia etc. Quocirca discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis, per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum Johannem iuxta predicti decreti nostri tenorem exnunc in scriptorem earundem litterarum et ad huiusmodi officium eiusque exercicium ac honores, onera et emolumenta consueta predicta auctoritate in locum Petri predicti auctoritate nostra recipias et recipi facias, ut est moris, non obstantibus omnibus supradictis . . . .

R. Lat. 108 fol. 117b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. X. XII DE TERAMO.

2138. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao de Bytyška parrochialem ecclesiam in Bystřicz conferant.*

Romae, 1403 Octobris 12.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii in Zabrdowicz ac preposito ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenczeslaus Conradi de Biceska presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod parrochialis ecclesia s. Laurencii in Bistricz dicte diocesis, quam quondam Petrus dictus Biceps . . . . obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverat et vacabat tunc, nos de ipsa ecclesia, sive premisso sive per mortem quondam Wenczeslai de Bistritz . . . . sive alio quovis modo . . . . vacaret, ... Stephano Nicolai de Bistricz presbytero dicte diocesis per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . .[1] Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Wenczeslai Conradi peticio continebat, dictus Stephanus omni iuri sibi in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competenti extra dictam curiam coram certis notario publico et testibus sponte et libere renunciaverit . . . ., nos huiusmodi renunciacionem ratam habentes . . . ., discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Wenczeslao Conradi auctoritate nostra con-

ferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Octobris a. quarto decimo.

R. Lat. 105 fol. 87ª — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: N. XX. DE BENEVENTO. — ¹) Cf. nr. 2064.

2139. *Johanni Conradi de Conradivilla providetur de altari ss. Lazari, Mariae Magdalenae et Marthae sito in ecclesia Vratislaviensi, cuius fructus 8 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Wykeri Nicolai de Strigovia apud sedem apostolicam defuncti; non obstante, quod nuper ei de uno vel duobus seu tribus beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis, consuetis clericis saecularibus assignari, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, scholastici, cantoris, thesaurarii, archidiaconi et capituli ecclesiae Vratislaviensis necnon abbatissae et conventus monasterii in Trebnicz cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinentibus, etiam si aliquod eorum curatum fuerit, a papa mandatum est provideri. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris pont. n. a. quarto decimo." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1403 Octobris 28.

R. Lat. 105 fol. 105ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XLXIII DE TERAMO.

2140. *Decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis mandatur, quatenus Venceslao Knoblauch canonico Pragensi meliorem praebendam eiusdem ecclesiae, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit, conferat.*

Romae, 1403 Octobris 30.

Bonifacius . . . . decano ecclesie s. Apollinaris Pragensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Wenceslai Cnoblach canonici ecclesie Pragensis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ipsius ecclesie, quos quondam Stephanus de Zelenicz . . . . obtinebat, per eiusdem Stephani obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Wenceslaus tunc canonicatum et prebendam ipsius ecclesie, in qua antiquiores ipsius ecclesie canonici iuxta eorum recepcionis ordinem meliores consueverunt optare prebendas, [obtinens], eandem prebendam sic vacantem secundum eandem consuetudinem infra tempus legitimum optavit ac eius possessionem vigore opcionis eiusdem extitit assecutus, dicta alia prebenda, quam tunc, ut premittitur, obtinebat, per eum libere dimissa. Cum autem . . . . idem Wenceslaus dubitet eandem opcionem pro [eo], quod . . . . Johanni de Morauia canonico ipsius ecclesie, qui tunc fructuum et proventuum camere apostolice in provincia Pragensi debitorum succollector (!) erat, prout est, de ipsis canonicatu et

prebenda sic vacantibus, ut prefertur, dicitur fuisse provisum, qui aliam prebendam ipsius ecclesie Pragensis postea fuit adeptus, et eciam ex certis aliis causis viribus non subsistere, ... discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . eandem optatam prebendam, cuius et eiusdem canonicatus, quem ipse Wenceslaus obtinet, fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Wenceslaus, ut asserit, canonicatum et prebendam ac prepositurum ecclesie Misnensis, quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Novembris a. quarto decimo.

R. Lat. 111 fol. 113a. — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: JAC. XXII. DE TERAMO.

2141. *Magister Stephanus Gerii de Prato clericus Pistoriensis dioc., qui etiam sacri collegii cardinalium clericus existit ac diu litteras apostolicas scripsit, prout scribit, in earundem litterarum scriptorem recipitur et in locum Johannis [de] Malesicz* a) *olim dictarum litterarum scriptoris, qui hodie ‚ex certis racionabilibus causis' ab huiusmodi scriptoriae officio depositus et amotus est, surrogatur. „Grata tue" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Novembris a. quarto decimo". — Simili modo magistro Bartholomaeo Francisci praeposito ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notario apostolico officium cancellariae s. Romanae ecclesiae regenti.*

Romae, 1403 Octobris 31.

R. Lat. 108 fol. 181a — a) ‚Malasicz' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. X. XII DE TERAMO.

2142. *Magister Eduardus Caraczulus dictus Cassanus, de nobili genere procreatus, in scriptorem litterarum apostolicarum recipitur et in locum Nicolai de Glivicz* a) *olim ipsarum litterarum scriptoris, qui hodie ‚ex certis racionabilibus causis' ab officio scriptoriae dictarum litterarum amotus est, surrogatur. „Grata tue" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Novembris a. quarto decimo". — Simili modo magistro Bartholomaeo Francisci officium cancellariae s. Romanae ecclesiae regenti.*

Romae, 1403 Octobris 31.

R. Lat. 108 fol. 261a — a) ‚Glebicz' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

2143. *Praeposito monasterii Cunicensis mandatur, quatenus Johanni canonico*

eiusdem monasterii parrochialem ecclesiam in Biharovicz, ad quam ipse officiali Olomucensi legitime praesentatus fuit, auctoritate apostolica conferat.

Romae, 1403 Novembris 13.

Bonifacius . . . . preposito monasterii Cunicensis per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Johannis dicti Jan canonici monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Bvecharzowicz dicte diocesis, quam quondam Ropertus dictus Roprecht . . . . obtinebat, per ipsius Roperti obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Nicolaus dictus Kudelka laicus dicte diocesis, verus patronus dicte ecclesie . . . ., prefatum Johannem . . . Johanni de Slawings officiali Olomucensi ad ipsam ecclesiam infra tempus legitimum presentavit. Cum autem, sicut accepimus, dicta ecclesia adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos volentes eundem Johannem, qui, ut asserit, dictum ordinem expresse professus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . . vel per revocacionem unionum nuper, videlicet XI. kal. Januarii proxime preteriti, per nos factam vacet, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 85ª — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: M. XXI DE SANCTA AGATHA.

2144. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Knín parrochialem ecclesiam in Kralovicz conferat.*

Romae, 1403 Novembris 16.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud dictam sedem vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Cralowicz Pragensis diocesis per liberam resignacionem . . . . Jacobi alias Jacubko tunc ipsius ecclesie rectoris, de illa . . . . per . . . . Nicolaum Henslini canonicum Olomucensem, procuratorem suum . . ., in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, vacaverit et vacet ad presens, ... nos volentes . . . . Johannem Mauricii de Knyn perpetuum vicarium in ecclesia s. Petri Wissegradensi Pragensi, qui presbyter est . . . , favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, quandam perpetuam vicariam sine cura in dicta ecclesia s. Petri, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti

. . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Datum Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 37a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXIII DE TERAMO.

2145. *Paulo Mladotae de Libyně* [a]) *presbytero Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatum et conventuum Cladrubensis et in Porta Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis dioc. monasteriorum pertinens si quod vacat, vel cum vacaverit, ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Decembris a. quinto decimo*“. — *Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1403 Novembris 21.

R. Lat. 112 fol. 143a — a) Lybina — In marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC X. XII DE TERAMO.

2146. *Johanni Clusnicz de Svidenicz* [a]) *laico et Catherinae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio kal. Decembris a. quinto decimo.*“

Romae, 1403 Novembris 29.

R. Lat. 118 fol. 227b — a) ‚Swydenicz‘ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO.

2147. *Johannes Puczdota monasterio Lucensi in abbatem praeficitur.*

Romae, 1403 Decembris 5.

Bonifacius . . . . Johanni Puczdota abbati monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis . . . . Inter sollicitudines . . . . Dudum siquidem quondam Sdencone abbate monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis regimini dicti monasterii presidente, nos . . . . provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per ipsius Sdenconis abbatis obitum, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus eiusdem monasterii, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te, canonicum dicti monasterii ordinem ipsum expresse

professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt licet de facto, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, eciam de facto consensisti; et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur huiusmodi eleccionem et quecunque inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata, reputantes, prout erant, irrita et inania, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus necnon dicti conventus te eligencium concordi voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem monasterio de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Decembris a. quinto decimo.

Simili modo . . . . conventui monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis . . . .

Simili modo . . . . abbati monasterii Montis Syon Pragensis premonstratensis ord. . . . Inter sollicitudines . . . . Cum igitur, ut idem abbas in commissa sibi cura predicti monasterii, quod tibi ut patri abbati ex institutis eiusdem ordinis subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor fore noscatur plurimum oportunus, discrecionem tuam rogamus . . ., quatenus eundem abbatem et monasterium sibi commissum . . . . tui favoris presidio prosequaris . . . .

R. Lat. 112 fol. 218ª — Supra in marg. sin: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XVIII IX. IX. DE TERAMO.

2148. *Praeposito monasterii Cunicensis mandatur, quatenus Hynkoni de Jaispitz parrochialem ecclesiam in Olkowitz in brevi vacaturam reservet.*

Romae, 1403 Decembris 7.

Bonifacius . . . . preposito monasterii Cunicensis per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque parrochialis ecclesia in Oloquicz Olomucensis diocesis, quam . . . . Johannes abbas monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis tempore promocionis per nos de eo ad ipsum monasterium tunc vacans facte obtinebat, prout adhuc obtinet, per huiusmodi promocionem, et quamprimum dictus abbas pacificam possessionem administracionis bonorum predicti monasterii fuerit adeptus, vacare speretur,[1]) nos volentes . . . . Hynkonem de Jayspicz canonicum dicti monasterii . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . ecclesiam predictam ab eodem monasterio, cuius prefatus Hynko canonicus et ordinem ipsum expresse professus existit, dependentem et per ipsius monasterii canonicos gubernari consuetam, cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., conferendam eidem Hynkoni . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . ., ac nichilominus ecclesiam predictam, cum illam, ut premittitur, vacare contigerit, ... eidem

Hynkoni auctoritate predicta conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 116 fol. 159a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC XXII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2147.

2149. *Episcopo Tudensi et decanis Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac s. Apollinaris Pragensis ecclesiarum mandatur, quatenus Nicolao Jacklini de Nova Pilzna* [a]) *presbytero Pragensis dioc. conferant canonicatum et praebendam ecclesiae s. Aegidii Pragensis* [b]), *vacantes per obitum Procopii de Třebovel* [c]) *extra Romanam curiam defuncti.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo*“.

Romae, 1403 Decembris 11.

R. Lat. 117 fol. 169a — a) ‚Noua Pilsna‘ b) Valoris annui summa in registro per errorem scriptoris ommissa est. c) ‚Trzebowel‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2150. *Declaratur unionem parrochialis ecclesiae in Chrudim monasterio Brevnoviensi olim factam sub generali revocatione unionum huiusmodi non comprehendi.*

Romae, 1403 Decembris 11.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice providencia . . . . Dudum siquidem pro parte abbatis, qui tunc erat, et . . . . conventus monasterii Brewnouiensis prope Pragam ordinis s. Benedicti fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro exposito, quod olim bone memorie Albertus episcopus Luthomuslensis parrochialem ecclesiam s. Marie in Chrudim Luthomislensis diocesis, que ad collacionem et presentacionem dictorum abbatis et conventus pleno iure pertinebat, ex certis iustis et racionabilibus causis animum eius moventibus de consilio et assensu . . . . capituli ecclesie Luthomuslensis dicto monasterio auctoritate ordinaria perpetuo univerat, annexuerat et incorporaverat, et quod post unionem, annexionem et incorporacionem huiusmodi dicti abbas et conventus earum vigore possessionem dicte ecclesie assecuti, illam extunc per plures annos tenuerant et possederant, prout tenebant et possidebant, pacifice et quiete, et pro parte dictorum abbatis et conventus eidem predecessori similiter supplicato, ut, cum dicte littere predicti episcopi super huiusmodi unione, annexione et incorporacione confecte, dum ad Romanam curiam portarentur, per manus predonum irrecuperabiliter subtracte fuissent, et monasterium ipsum in temporalibus multipliciter esset collapsum, alicui probo viro in partibus illis, quod se de unione, annexione et incorporacione huiusmodi informaret et illas, si eas inveniret canonice factas fuisse, auctoritate apostolica confirmaret, committere dignaretur: dictus predecessor archiepiscopo Pragensi, qui tunc erat, eius proprio nomine non expresso, suis dedit litteris in mandatis, ut de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstanciis universis necnon tam monasterii quam

de ecclesie predictorum valore auctoritate apostolica se diligenter informaret, et quicquid per informacionem huiusmodi reperiret, eidem predecessori quantocius referre curaret, ut ipse predecessor huiusmodi relacione instructus in premissis consulcius procedere posset, quodque postmodum bone memorie Johannes archiepiscopus Pragensis, super premissis per eum informacione recepta, per suas patentes litteras predecessori prefato retulit omnia et singula in eisdem litteris contenta fuisse et fore vera. Interim vero pro parte dictorum abbatis et conventus nobis significato, quod, cum . . . . Martinus de Chrastzan presbyter Pragensis diocesis . . . . Jaroslaum de Chotyecz dicti monasterii monachum, qui predictam ecclesiam tunc pacifice possidebat, eadem ecclesia contra iusticiam spoliasset, seque in ea intrusisset illamque detineret indebite occupatam, dictus Jaroslaus eundem Martinum super hoc, petendo ipsum ab eadem ecclesia amoveri seque ad eius possessionem institui, coram . . . . officiali Pragensi, cum archiepiscopus pro tempore existens in provincia Pragensi, de qua civitas et diocesis Luthomuslenses sunt, legatus natus existeret, auctoritate legacionis huiusmodi fecerat ad iudicium evocari, dictusque officialis cognitis huiusmodi cause meritis diffinitivam contra eundem Martinum sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Martini ad sedem apostolicam appellato et causa appellacionis huiusmodi certo auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Martini auctoritate apostolica commissa, tandem . . . . Johannes de Masseczow presbyter dicte Pragensis diocesis, asserens ad se eandem ecclesiam de iure spectare, dicta apostolica auctoritate se ad huiusmodi cause prosecucionem admitti pro suo obtinuerat interesse, et unam pro se et contra eosdem Martinum et Jaroslaum, per quam dicta ecclesia Johanni adiudicata, et super ea Martino et Jaroslao prefatis perpetuum silencium impositum extiterat, diffinitivam sentenciam reportaverat; a qua pro parte dicti Jaroslai ad eandem sedem appellato, causa ultime appellacionis huiusmodi alteri auditori causarum dicti palacii fuerat commissa et coram eo pendebat indecisa, quodque rector eiusdem ecclesie, qui tunc erat, centum et viginti libras cere dictis abbati et conventui annis singulis solvere legitime tenebatur, et nonnulli rectores eiusdem ecclesie, qui fuerant pro tempore, huiusmodi libras cere abbati et conventui prefatis solvere pertinaciter recusassent, et propterea prefati abbas et conventus pro iuribus dicti monasterii in hac parte defensandis litibus involuti graves labores subierant et expensas, ac pro parte ipsorum abbatis et conventus nobis humiliter supplicato, ut ad obviandum litibus huiusmodi eis concedere, quod predictis litteris eiusdem archiepiscopi super eadem relacione confectis perinde in iudicio et extra staretur et secundum eas iudicaretur, ac si huiusmodi littere super unione, annexione et incorporacione predictis confecte forent exhibite, de benignitate apostolica dignaremur: nos dictis abbati et conventui concessimus, quod huiusmodi prefati archiepiscopi super dicta eius relacione confectis litteris perinde in iudicio et extra, ubicumque exhibite forent, plena fides adhiberetur et secundum eas iudicaretur, ac si originales littere predicte super huiusmodi unione, annexione et incorporacione confecte forent exhibite vel ostense, et ad probandum unionem, annexionem et incorporacionem predictas alterius probacionis adminiculum non requireretur, huiusmodi litis pendencia ac constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque, et nichilominus eandem ecclesiam de novo prefato monasterio univimus,

annexuimus et incorporavimus ac eisdem abbati et conventui, quod dictam ecclesiam per monachos eiusdem monasterii ad nutum abbatis ipsius monasterii pro tempore existentis ponendos et amovendos et ad claustrum ipsius monasterii revocandos, prout antea consueverant, regi facere possent et eciam gubernari, eadem auctoritate apostolica duximus concedendum, prout in dicti predecessoris et nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem nos nuper, videlicet XI. kal. Januarii pont. n. anno quarto decimo, cassaverimus, irritaverimus et annullaverimus omnes uniones ecclesiarum parrochialium, monasteriorum eciam monialium ac dignitatum, personatuum, prebendarum et officiorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ac piorum locorum quorumlibet hactenus . . . . factas quibuscumque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis . . . ., que nondum erant sortite effectum, et eciam illas, que fuerant sortite effectum alias quam per obitus illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant tempore unionum de illis factarum . . . ., ac eciam illas, que facte fuerant sine magna necessitate vel ex falsis aut nullis causis . . . ., ac eciam inter cetera duxerimus ordinandum, quod nulla parrochialis ecclesia aut perpetua vicaria parrochialis ecclesie vel aliud curatum beneficium, que prius regebantur per clericos seculares, possent deinceps regi per monachos aut regulares canonicos, sed in eis instituerentur perpetui vicarii seculares presbyteri, et si ante non essent assignate congrue porciones, sicut de iure erant assignande, per locorum ordinarios assignarentur, et deinceps talia beneficia consueta prius per seculares clericos gubernari nullatenus per monachos seu religiosos gubernarentur, ipsique abbas et conventus propterea, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsorum peticio continebat, dubitent super unione, annexione et incorporacione ac concessione predictis posse imposterum molestari, pro parte abbatis et conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni, incorporacioni et concessioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adiicere et alias in premissis ipsis de oportuno remedio providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . unionem, annexionem, incorporacionem et concessionem predictas et quecunque inde secuta rata habentes et grata illaque auctoritate apostolica confirmantes, ipsas unionem, annexionem, incorporationem et concessionem sub huiusmodi cassacione, irritacione, annullacione et ordinacione non fuisse seu esse interclusas, sed illas in sui roboris firmitate debuisse et debere perpetuo et irrefragabiliter permanere, prefatosque abbatem et conventum unione, annexione, incorporacione, concessione et litteris predictis libere et licite uti potuisse atque posse, ac si cassacio, irritacio, annullacio et ordinacio huiusmodi a nobis minime emanassent, auctoritate apostolica predicta tenore presencium declaramus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam . . . . attemptatum forsan est, vel imposterum contigerit attemptari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 101a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XL DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 926.

2151. *Declaratur uniones parrochialium ecclesiarum in Prelouč et in Rosicz monasterio Opatovicensi olim factas sub generali revocatione unionum huiusmodi non comprehendi.*

Romae, 1403 Decembris 11.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice providencia .... Dudum siquidem ad .... abbatis et conventus monasterii s. Laurencii in Oppatowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis supplicacionis instanciam in Zdanicz et in Przelucz per quasdam primo,[1]) et deinde, ut ipsi abbas et conventus hospitalitatem in dicto monasterio observari consuetam observare et alia eis incumbencia onera facilius [supportare] valerent, in Rossicz et in Drzyetecz Pragensis predicte et Luthomuslensis diocesium parrochiales ecclesias, que de iure patronatus dicti monasterii existebant, prout existunt, ... eidem monasterio auctoritate apostolica per quasdam alias nostras litteras imperpetuum incorporavimus, annexuimus et univimus, ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus earundem ecclesiarum ...., liceret eisdem abbati et conventui corporalem possessionem ecclesiarum iuriumque et pertinenciarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere .... ipsasque ecclesias et curam parrochianorum earundem per monachos dicti monasterii aut alios seculares presbyteros ad hoc ydoneos, per abbatem eiusdem monasterii pro tempore existentem in ipsis ecclesiis ponendos et ad nutum ipsius amovendos, regi et gubernari facere .... Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum abbatis et conventus peticio continebat, in Przelucz, quam quondam Vlricus, et in Rossicz ecclesiis predictis, quam quondam Lucas ultimi ipsarum ecclesiarum rectores, dum viverent, obtinebant, per eorundem Vlrici et Luce obitus, qui extra Romanam curiam decesserunt, vacantibus, ipsi abbas et conventus easdem in Przelucz et in Rossicz ecclesias sic vacantes vigore incorporacionum, annexionum et unionum predictarum fuerant pacifice assecuti. Cum autem nos nuper, videlicet XI kal. Januar. pont. n. anno quarto decimo, cassaverimus .... omnes uniones ecclesiarum parrochialium, monasteriorum eciam monialium .... et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ac piorum locorum quorumlibet, hactenus .... factas quibuscumque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis ...., que nondum erant sortite effectum ...., et sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur incorporaciones .... huiusmodi eciam quoad predictas in Przelucz et in Rossicz ecclesias, quamvis effectum sortite fuerint, ut prefertur, sub huiusmodi cassacione .... debere comprehendi, pro parte eorundem abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionibus .... predictis de ipsis ecclesiis in Przelucz et in Rossicz, quarum triginta quinque, eidem monasterio, cuius trecentarum marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt, robur apostolice confirmacionis adiicere ... dignaremur. Nos igitur .... uniones predictas et quecumque inde secuta rata habentes et grata illaque auctoritate apostolica confirmantes ...., cassacionem, irritacionem et annullacionem prefatas ad dictas [in] Przelucz et in Rossicz ecclesias se non extendisse seu extendere, sed uniones .... ac litteras predictas cum omnibus clausulis in eis contentis quoad easdem in Przelucz et in Rossicz ecclesias in sui roboris firmitate perinde debuisse et debere perpetuo et irrefragabiliter permanere, ac si cassacio, irrita-

cio. annullacio et ordinacio predicte a nobis minime emanassent, eadem auctoritate apostolica .... declaramus .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 103a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. LX DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1123.

2152. *Monasterio Opatovicensi parrochiales ecclesiae in Ždanicz et Dřiteč de novo uniuntur.*

Pomae, 1403 Decembris 11.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Sacre religionis, sub qua .... abbas et conventus monasterii s. Laurencii in Oppatowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis devotum et sedulum exhibent altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum .... favorabiliter annuamus. Dudum siquidem in Zdanicz et in Przelucz per quasdam primo,[1]) et deinde .... in Rossicz et in Drzyeticz Pragensis predicte et Luthomuslensis diocesium parrochiales ecclesias, que de iure patronatus dicti monasterii existebant, prout existunt, ... eidem monasterio auctoritate apostolica per quasdam alias nostras litteras perpetuo incorporavimus, annexuimus et univimus .... Cum autem nos nuper, videlicet XI kal. Januarii pont. n. anno quarto decimo, cassaverimus .. . omnes uniones ecclesiarum parrochialium, monasteriorum eciam monialium ac dignitatum, personatuum, prebendarum et officiorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ac piorum locorum quorumlibet hactenus .... factas quibuscunque ecclesiis, monasteriis vel aliis locis ecclesiasticis .. . ., que nondum erant sortite effectum .. . ., et sicut eadem peticio subiungebat, uniones .... predicte, que quoad in Zdanicz et in Drrzyetecz ecclesias prefatas nondum fuerant sortite effectum, sub huiusmodi cassacione .... videantur comprehendi, pro parte eorundem abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesias ipsas dicto monasterio de novo unire, annectere et incorporare .... dignaremur. Nos itaque .... in Zdanicz et in Drzyetecz ecclesias prefatas, quarum quadraginta quinque .... eidem monasterio, cuius trecentarum marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt .... auctoritate predicta de novo imperpetuum unimus, annectimus et incorporamus .... Volumus autem, quod in dictis ecclesiis in Zdanicz et in Drzyetecz propterea divinus cultus nullatenus minuatur, quodque ipsi abbas et conventus episcopalia iura solvere et alia ipsarum in Zdanicz et in Drzyetecz ecclesiarum onera consueta teneantur in omnibus supportare .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 82b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. LX DE TERAMO. —[1]) Cf. nr. 1123.

2153. *Monasterio Opatovicensi parrochiales ecclesiae in Ošicz, Bohdaneč et in Kunêticz uniuntur.*

Romae, 1403 Decembris 11

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii s. Laurencii in Oppatowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Exigit vestre devocionis . . . . Sane peticio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod in Ossicz et in Bochdanecz ac in Kanyeticz (*sic*) Pragensis diocesis parrochiales ecclesie, que de iure patronatus dicti monasterii existunt, ex eo debitis fraudantur obsequiis, quod in qualibet ipsarum ut plurimum per unum vel ad maius per duos presbyteros seculares deservitur et cura regitur animarum et quod nonnumquam inter eosdem presbyteros ex una parte ac colonos, reddituarios et censuales dicti monasterii ex altera coram diversis iudicibus lites et questiones non absque gravi detrimento predicti monasterii pro tempore oriuntur, quodque vos pro huiusmodi litibus, questionibus et detrimento evitandis et ad effectum, ut divinus cultus in ipsis ecclesiis laudabilius peragatur et parrochianorum earundem ecclesiarum animarum cura diligencius exerceatur, desideratis in qualibet ecclesiarum predictarum, que iuxta grangias dicti monasterii consistunt, per sex vel ad minus per quatuor ydoneos monachos dicti monasterii ad nutum abbatis eiusdem monasterii pro tempore existentis ponendos et amovendos facere deserviri: quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesias predictas eidem monasterio imperpetuum unire, annectere et incorporare vobisque, ut ecclesias ipsas, postquam earum possesionem adepti fueritis, per huiusmodi monachos ut prefertur regi facere possitis, concedere . . . . dignaremur. Nos igitur ecclesias prefatas, quarum omnium triginta . . . ., eidem monasterio, cuius trecentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, auctoritate apostolica perpetuo incorporamus, annectimus et unimus . . . ., ita quod cedentibus vel decedentibus . . . . rectoribus earundem ecclesiarum . . . . liceat vobis corporalem possessionem ipsarum ecclesiarum . . . . auctoritate propria libere apprehendere . . . . ipsasque ecclesiàs et curam animarum parrochianorum earundem per ydoneos monachos dicti monasterii ad nutum abbatis eiusdem monasterii pro tempore existentis . . . . ponendos et amovendos et ad claustrum ipsius monasterii revocandos regi facere . . . ., ita tamen, quod . . . . vos iura episcopalia solvere et alia ipsarum ecclesiarum onera consueta teneamini in omnibus supportare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 55b — In fine: JAC. C DE TERAMO.

2154. *Monasterio s. Laurentii Opatovicensi*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc., cuius fructus 300 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, unitur parrochialis ecclesia in Stolan Litomyšlensis*[b]) *dioc., quae de iure patronatus dicti monasterii existit, cuiusque fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, ita ut eadem ecclesia imposterum per monachos dicti monasterii ad nutum abbatis ponendos et amovendos gubernetur. „Sacre religionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.“*

Romae, 1403 Decembris 11.

R. Lat. 115 fol. 57b — a) ‚Oppatowicen'. b) ‚Luthomuslen'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XL DE TERAMO.

2155. *Abbati et conventui monasterii Opatovicensis conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Přeloučˊ per monachos dicti monasterii regi facere possint, ipsaque ecclesia in prioratum erigitur.*

Romae, 1403 Decembris 11.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Ad ecclesiastici decoris augmentum insignia reperta sunt dignitatum, que sacrosancta Romana ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit, prout personarum et locorum qualitate pensata id conspicit racionabiliter expedire. Sane peticio pro parte .... Petri abbatis et conventus monasterii s. Laurencii in Oppatowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipsi parrochialem ecclesiam in Przyelucz Luthomuslensis diocesis, que in fundo proprio et bonis dicti monasterii consistit et ad ipsorum collacionem pertinere dinoscitur, tunc per obitum quondam Vlrici ultimi eiusdem ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, vigore unionis, annexionis et incorporacionis eidem monasterio de ipsa ecclesia auctoritate apostolica factarum ante revocacionem unionum nuper, videlicet XI kal. Januarii pont. n. anno quarto decimo, per nos factam fuerunt assecuti, illamque extunc tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident de presenti, ac obvenciones necnon fructus .... ipsius ecclesie non in suos aut dicti monasterii usus perceperunt, sed illos pro sustentacione quorundam monachorum eiusdem monasterii sub certo numero in ipsa ecclesia in divinis deserviencium et ad nutum abbatis dicti monasterii pro tempore existentis ponendorum et amovendorum deputarunt ac eciam fructus .... huiusmodi pro ampliori divini cultus in ipsa ecclesia incremento, ut ipsi monachi in ea pro tempore deservientes divinis laudibus frequencius insistere valeant, augmentare proponunt, desiderantque propterea pro efficaciori subsistencia premissorum ecclesiam predictam alicuius dignitatis titulo per sedem apostolicam insigniri, quare pro parte dictorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni et incorporacioni huiusmodi et omnibus inde secutis robur apostolice confirmacionis adiicere ipsisque, quod eandem parrochialem ecclesiam per huiusmodi monachos ponendos et amovendos, ut prefertur, regi facere possint, concedere ipsamque parrochialem ecclesiam prioratus vocabulo decorare ac alias eis in premissis providere .... dignaremur. Nos igitur eorundem abbatis et conventus, ut ipsorum erga nos et dictam Romanam ecclesiam eo amplius accrescat devocio, quo peticiones suas senserint per nos favorabilius exauditas, piis votis in hac parte grato consensu occurrere cupientes .... ac unionem, annexionem, incorporacionem et assecucionem predictas et quecumque inde secuta rata habentes et grata eaque auctoritate predicta confirmantes, ipsis abbati et conventui, ut dictam ecclesiam parrochialem ac parrochianorum eiusdem animarum curam per huiusmodi ydoneos monachos dicti monasterii per ipsum abbatem pro tempore existentem, ut premittitur, ponendos et amovendos, sicut hactenus consueverunt, regi facere possint, eadem auctoritate indul-

gemus. Et nichilominus parrochialem ecclesiam predictam prioratus titulo auctoritate predicta insignimus ipsamque in prioratum erigimus per presentes, ac statuimus, volumus et ordinamus, quod exnunc inantea eadem parrochialis ecclesia prioratus et superior in ipsa parrochiali ecclesia ad presens deputatus ac successores sui in ea pro tempore deputandi per abbatem memoratum priores censeantur et perpetuo nuncupentur, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis et presertim declaracione per nos nuper, videlicet XI kal. Januarii predicti, edita, quod nulla parrochialis ecclesia aut perpetua vicaria parrochialis ecclesie vel aliud curatum beneficium, que prius regebantur per seculares clericos, possint deinceps regi per monachos vel regulares canonicos, ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 58a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. L DE TERAMO.

2156. Obligatio Johannis abbatis Lucensis.

Romae, 1403 Decembris 14.

Anno [1403, pont. a. XV] die XIIII. mensis Decembris venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Lucensis ord. premonstratensis Olomucensis diocesis per venerabilem virum dom. Zachadaz plebanum in Wrahawytz dicte diocesis, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio ducentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio fratris Sdengonis predecessoris sui triginta octo similes florenos, solidos triginta tres et denarium unum monete Romane et quinque servicia pro rata; solvendo medietatem promissi usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime futurum et aliam medietatem usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Christi extunc proxime secuturum . . . .

Oblig. et sol. 57 fol. 63a.

2157. *Venceslao de Rosicz*[a] *dicto Buoh rectori parrochialis ecclesiae in Ulricivilla*[b] *Litomyšlensis*[c] *dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris et capituli ecclesiae Olomucensis, necnon abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Třebíč*[d] *ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam in Ulricivilla noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum aliquod beneficium curatum fuerit assecutus; post quinquennium vero vigore praesentium litterarum non potest aliquod beneficium*

acceptare. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Januarii a. quinto decimo“. — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac officiali Olomucensi.

Romae, 1403 Decembris 18.

R. Lat. 112 fol. 148a — a) Rossicz b) Vlriciuilla c) Luthomuslen d) Trebicz, — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XII. XIII DE TERAMO.

2158. *Decano ecclesiae Omnium Sanctorum Pragensis mandatur, quatenus Martino de Toužim praeposituram monasterii Plagensis conferat.*

Romae, 1403 Decembris 26.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Dignum [arbitramur] . . . . Dudum siquidem pro parte quondam Deypoldi (*sic*) de Bernarticz prepositi monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis nobis exposito, quod olim ipse in causa, per eum contra Nicolaum Flantzel, qui se gerit pro canonico dicti monasterii Plagensis, super eo, quod prefatus Nicolaus eundem Deypoldum prepositura dicti monasterii Plagensis de facto spoliaverat, ... mota et apud sedem apostolicam . . . . diucius ventilata, tres pro se . . . . diffinitivas sentencias reportarat et super execucione huiusmodi sentenciarum . . . . nostras ad . . . . episcopum Aquensem necnon . . . . abbatem monasterii in Alto Uado Pragensis diocesis ac . . . . officialem Pragensem, eorum nominibus propriis non expressis, sub certa forma litteras impetrarat, quodque bone memorie Petrus episcopus Aquensis primo in huiusmodi execucionis procedens negocio solus . . . . nonnullos processus fecerat in talibus fieri consuetos . . . ., et quod, licet huiusmodi processus ad Nicolai necnon conventus predictorum et singularium personarum ex huiusmodi conventu indubitatam noticiam legitime pervenissent, iidem tamen Nicolaus et conventus et nonnulli canonici dicti monasterii sive quamplures singulares persone ex huiusmodi conventu, processibus ipsis vilipensis, eisdem . . . . parere contumaciter non curarunt neque curabant, et quod, licet eciam postea dictus abbas . . . . predictas sentencias in huiusmodi processibus latas aggravasset necnon successive . . . . auxilium brachii secularis invocasset, tamen predicti Nicolaus et alii canonici et quidam alii eorum complices in hac parte in reprobum sensum dati eundem Deypoldum impediverant ac fecerant et faciebant, quominus possessionem dicte prepositure vigore dictorum processuum assequi potuisset sive posset, ... ac pro parte eiusdem Deypoldi nobis humiliter supplicato, ut providere sibi de oportuno remedio dignaremur, nos . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam, similiter eius proprio nomine non expresso, nostris dedimus litteris in mandatis, ut . . . . ad ipsarum primarum litterarum execucionem ulterius faciendam . . . . auctoritate nostra procederet, et nichilominus omnes clericos et ecclesiasticas personas in premissis culpabiles sive qui predictum Dyepoldum . . . . presumerent impedire, auctoritate predicta moneret, ut . . . . ab impedimentis eisdem omnino desisterent . . . .[1]) Et subsequenter nos de prepositura ipsa per dicti Deypoldi obitum, qui, antequam ipsius possessionem adipisceretur et huiusmodi littere exe-

cucioni debite mandarentur, extra Romanum curiam diem clausit extremum, vacante, quondam Andree canonico monasterii Milocensis dicti ordinis Pragensis diocesis graciose provideri ipsumque Andream ad prosecucionem sentenciarum et litterarum huiusmodi per alias nostras litteras admitti mandavimus . . . [2]) Cum itaque postmodum prepositura ipsa per eiusdem Andree obitum, cui de huiusmodi prepositura vigore ultimarum litterarum predictarum provisum fuit, et qui, antequam possessionem eiusdem prepositure assequeretur, apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes preposituras, dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica secularia et regularia, cum cura et sine cura, tunc apud dictam sedem vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . ., si secus . . . . contingeret attemptari, nos volentes . . . . Martinum de Tusym canonicum dicti monasterii ordinem ipsum expresse professum . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Martinum . . . . ad dictam preposituram obtinendam ydoneum esse reppereris . . ., preposituram predictam, que conventualis est, cuiusque fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Martino auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . ., quod idem Martinus parrochialem ecclesiam in Tuzim dicte diocesis, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur, obtinere . . Volumus autem, quod idem Martinus, quamprimum . . . . dictam preposituram fuerit pacifice assecutus, prefatam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Januarii a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 95[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: M. XXX DE SANCTA AGATHA. — [1]) Cf. nr. 2100 [2]) Cf. nr. 2131.

2159. *Petro Karoli de Broda Ungaricali rectori parrochialis ecclesiae in Nivnicz*[a]) *Olomucensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum ecclesiae Olomucensis, necnon abbatis et conventus monasterii in Velehrad*[b]) *cisterciensis ord. Olomucensis dioc. pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictam ecclesiam in Nivnicz noscitur obtinere, quam dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium assecutus fuerit; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum aliquod beneficium ecclesiasticum non potest acceptare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto kal. Januarii a. quinto decimo.*“ — *Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii in Hradiště*[c]) *extra muros Olomucenses ac officiali Olomucensi.*

Romae, 1403 Decembris 28.

R. Lat. 112 fol. 150[1] — [a]) ‚Nywnycz' [b]) ‚Welegrado' [c]) ‚Gredischi' — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO.

2160. *Petro Laurentii de Krakovec*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae in Ruda Litomyślensis*[b]) *dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris et capituli ecclesiae Olomucensis, necnon abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Třebíč*[c]) *pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat; non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam in Ruda noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit pacifice assecutus: post quinquennium vero vigore praesentium litterarum non potest aliquod beneficium acceptare „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Januarii a. quinto decimo." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz ac officiali Olomucensi.*

Romae, 1403 Decembris 31.

R. Lat. 112 fol. 148[b] — [a]) ‚de Crakowezye' [b]) ‚Luthomuslen' [c]) ‚Trebicz' — Supra in marg. sin.: CANCE[LLA]RIA; in fine: JAC. XII. XIIII. DE TERAMO.

2161. *Abbati monasterii Brevnoviensis mandatur, quatenus Martino de Chotěrin parrochialem ecclesiam in Toužím in brevi vacaturam reservet.*

Romae, 1404 Januarii 8.

Bonifacius .... abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam .... Dignum arbitramur .... Nuper siquidem .... Martino de Tusyn rectori parrochialis ecclesie in Tuzym Pragensis dioc de prepositura monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis tunc certo modo vacante per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . .[1]) Cum itaque propterea, quamprimum dictus Martinus huiusmodi prepositure possessionem dictarum litterarum vigore fuerit pacifice assecutus, predicta parrochialis ecclesia vacare speretur, nos volentes .... Martinum de Chotyrzin canonicum monasterii Milocensis predicti ordinis dicte Pragensis diocesis .... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... sexdecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... conferendam eidem Martyno de Chotyrzin .... donacioni tue auctoritate nostra reserves .... Datum Rome apud S. Petrum sexto idus Januarii a quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 115[a] — In fine: JAC. XXIII DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 2158.

2162. *Declaratur exemptionem monasterii Brevnoviensis a potestate ordinariorum olim ei concessam sub generali revocatione huiusmodi exemptionum non comprehendi.*

Romae, 1404 Januarii 29.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Sincere devocionis affectus, quem . . . . abbas et conventus monasterii Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum, illis presertim, per que ipsorum quieti et tranquillitati consulitur, favorem apostolicum impendamus. Dudum siquidem fel. rec. Johannes pp. XV. predecessor noster, ut ecclesia dicti monasterii dignior seu maior aliis monasteriis haberetur, inter cetera decrevit ipsam caput esse et magistram in correccione et reformacione regularis discipline super omnia claustra ordinis predicti post hoc in Boemia construenda, ac monasterium ipsum sub b. Petri et ipsius proteccione suscipiendo, illud variis libertatibus, privilegiis et preeminenciis insignivit. Et deinde nos pie memorie Gregorii pape IX. et nonnullorum aliorum Romanorum pontificum, eciam predecessorum nostrorum, vestigiis inherentes, abbatem et conventum dicti monasterii, qui tunc erant et pro tempore perpetuis futuris temporibus essent, ac predictum monasterium cum omnibus et singulis membris et bonis eorum, que tunc racionabiliter possidebant et in futurum prestante domino possent adipisci, et personis degentibus in eisdem, presentibus et futuris, in ius et proprietatem b. Petri et sedis apostolice ac sub eorum proteccione suscepimus atque nostra; et nichilominus eos et ea ab omni iurisdiccione, dominio et potestate . . . . Pragensis et quorumcunque aliorum archiepiscoporum, episcoporum, legatorum natorum et aliorum quorumlibet iudicum ordinariorum, qui tunc erant et pro tempore forent, auctoritate apostolica prorsus exemimus . . . .[1]) Cum autem nos nuper, videlicet XI. kal. Januarii pont. n. anno quarto decimo, revocaverimus et annullaverimus omnes exempciones perpetuas per nos factas quibuscunque monasteriis vel ecclesiis aut capitulis vel prelatis seu conventibus quorumcunque ordinum vel religionum et secularium ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, universitatibus quorumcunque castrorum, terrarum et villarum et litteras nostras super illis confectas decreverimus esse irritas et inanes et nullius roboris vel momenti,[2]) et propterea abbas et conventus prefati dubitent super exempcionibus et litteris predictis, eis, ut premittitur, concessis, posse imposterum molestari, pro parte ipsorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc de oportuno remedio providere . . . . dignaremur. Nos igitur eosdem abbatem et conventum in huiusmodi exempcionibus et litteris eis digne concessis confovere volentes . . . .. prefatasque exempciones et litteras ac omnia in eis contenta rata habentes et grata eaque auctoritate predicta confirmantes, exempciones et litteras easdem sub huiusmodi revocacione et annullacione non debuisse seu debere comprehendi, sed illas perinde in sui roboris firmitate debuisse et debere perpetuo ac irrefragabiliter permanere ipsosque abbatem et conventum exempcionibus et litteris huiusmodi uti potuisse atque posse, ac si revocacio et annullacio huiusmodi a nobis minime processissent . . . ., eadem auctoritate . . . . declaramus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 59a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. CXX DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1004 [2]) Cf. Ottenthal, Die päpstl. Kanzleiregeln p. 77.

2163. *Declaratur exemptionem monasterii Opatowicensis a potestate ordinariorum sub generali revocatione huiusmodi exemptionum non comprehendi, ipsaque exemptio ad legatos apostolicos eorumque subdelegatos extenditur.*

Romae, 1404 Januarii 29.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Sincere devocionis affectus, quem .... Petrus abbas et conventus monasterii s. Laurencii in Oppatowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum .... favorem benivolum impendamus. Dudum siquidem ad ipsius Petri abbatis supplicacionis instanciam eumdem Petrum abbatem et monasterium ipsum, cui tunc preerat et preesse dinoscitur ad presens, eiusque conventum et personas cum omnibus membris suis et in eis degentibus ab omni iurisdiccione, dominio, visitacione et potestate qualibet archiepiscopi Pragensis et quorumcumque aliorum ordinariorum et iudicum ecclesiasticorum, quamdiu idem Petrus abbas viveret et ipsi monasterio preesset dumtaxat, auctoritate apostolica .... prorsus exemimus et totaliter liberavimus ac Petrum abbatem et monasterium, conventum, personas, membra et degentes huiusmodi sub proteccione b. Petri apostoli et sedis apostolice suscepimus atque nostra et eidem sedi dumtaxat interim voluimus subiacere ....[1]) Cum autem nos nuper, videlicet XI kal. Januarii pont. n. anno quarto decimo, revocaverimus et annullaverimus omnes exempciones perpetuas per nos factas quibuscunque monasteriis vel ecclesiis aut capitulis vel prelatis seu conventibus quorumcunque ordinum seu religionum ac litteras nostras super illis confectas decreverimus esse irritas et inanes .... et propterea ac eciam ex eo, quod in predictis litteris super huiusmodi exempcione eidem Petro abbati concessis de sedis apostolice legatis aut eorum subdelegatis nulla mencio facta extitit, iidem abbas et conventus, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsorum peticio continebat, dubitent super huiusmodi exempcione et liberacione posse imposterum molestari, pro parte eorundem abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut exempcionem et liberacionem ac litteras super illis concessas huiusmodi ad delegatos et subdelegatos predictos extendere ac alias ipsis in premissis de oportuno remedio providere .... dignaremur. Nos igitur .... exempcionem, liberacionem et litteras predictas super illa, ut premittitur, concessas sub huiusmodi revocacione et annullacione non fuisse seu esse interclusas sed illas in sui roboris firmitate debuisse et perdurare debere, ac si huiusmodi revocacio et annullacio a nobis minime emanassent, auctoritate apostolica .... declaramus ipsasque exempcionem ac liberacionem et litteras super ea, ut premittitur, concessas .... eciam ad delegatos et subdelegatos huiusmodi auctoritate predicta extendimus per presentes, ita quod ipsi delegati vel subdelegati non possint in Petrum abbatem conventum, monasterium, personas, membra et degentes huiusmodi interim excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentencias promulgare seu aliquam potestatem vel iurisdiccionem

exercere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Februarii a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 102b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. LXXX DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1122.

2164. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus resignatione cuiusdam perpetuae vicariae in ecclesia s. Crucis Vratislaviensi a Johanne Wyngas recepta, eandem vicariam Johanni de Conradivilla conferat.*

Romae, 1404 Februarii 20.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Conradi de Conradiuilla rector altaris sine cura ss. Lazari, Marie Magdalene et Marthe siti in maiori ecclesia Wratislauiensi . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Johannes Wyngas perpetuus vicarius in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi quandam perpetuam vicariam sine cura, quam in dicta ecclesia s. Crucis obtinet, ... resignare proponat, nos . . . . discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis, ... committimus et mandamus, quatenus ab eodem Johanne Wyngas vel procuratore suo . . . . resignacionem dicte vicarie . . . . auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, vicariam predictam, cuius fructus . . . . septem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni Conradi . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod nuper prefato Johanni Conradi, ut asserit, de altari predicto, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante et antea disposicioni apostolice reservato, graciose providimus,[1]) et dudum sibi de uno, duobus seu tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis . . . ., consuetis clericis secularibus assignari, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aliquod curatum foret, ad collacionem . . . . episcopi et capituli [Wratislauiensium] ac . . . . prepositi, decani, scolastici et thesaurarii eiusdem ecclesie maioris necnon . . . . abbatisse et conventus monasterii in Trebnicz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis . . . . pertinentibus, ... vacantibus aut . . . . vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandauimus prouideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Marcii a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 4c — In fine: JAC. XXVI DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 2139.

2165. *Andreae Gneskonis de ‚Nowantzicz' clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositorum, decanorum, archidiaconorum, scholasticorum, cantorum, custodum et*

capitulorum singulorumque canonicorum et personarum maioris et s. Crucis Vratislaviensium ecclesiarum pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit, ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Marcii a. quinto decimo.“ — Simili modo episcopo Pistoriensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Pragensi.

Romae, 1404 Februarii 24.

R. Lat. 112 fol. 5 — Supra in marg. sin.: CANCELLARIA: in fine: JAC. XI. XIII. DE TERAMO.

2166. *Nicolao Redelitz de Vansor[a]) clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem prioris domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Olsna et abbatissae et conventus monasterii in Trebnicz cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Marcii a. quinto decimo.“ — Simili modo episcopo Pistoriensi et abbati monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Vratislavienses ac praeposito ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1404 Februarii 24.

R. Lat. 112 fol. 141[a] — [a]) ‚Warsonia‘ — In marg. sin.: CANCELLARIA: in fine: JAC. X. XII. DE TERAMO.

2167. *Martino abbati monasterii in Henrichaw[a]) cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut ipse et sex monachi per eum eligendi, quotiescunque eum extra saepta dicti monasterii morari contigerit, illis diebus, quibus alias esus carnium non est prohibitus, carnibus vesci possint. „Exigit tue“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Marcii a. quinto decimo“.*

Romae, 1404 Februarii 24.

R. Lat. 115 fol. 56 — [a]) ‚Henrichaw‘. — In fine: M. XXII DE SANCTA AGATHA.

2168. *Nobili viro Erhardo de Kunstadt[a]) seniori domicello Olomucensis dioc. eiusque uxori indulgetur, ut confessor eorum plenam omnium peccatorum remissionem in mortis articulo eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Marcii a. quinto decimo“.*

Romae, 1404 Martii 4.

R. Lat. 118 fol. 215[a] — [a]) ‚Cunstat‘. — In fine: M. XV DE SANCTA AGATHA.

2169. *Militensi et Pataviensi episcopis ac abbati monasterii Břevnoviensis*[a]) *Pragensis dioc. mandatur, quatenus Smilonem de Vicov*[b]) *archidiaconum Litomericensem*[c]) *in ecclesia Pragensi per quoscunque ordinarios contra tenorem exemptionis per alias litteras apostolicas ei concessae molestari non permittant.* „*Nuper dilecto*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo nonas Marcii a. quinto decimo*“.

Romae, 1404 Martii 6.

R. Lat. 116 fol. 141[c] — a) ‚Brunouien‘ b) ‚Wyczow‘ c) ‚Luthomericen‘. — In fine: JAC. LII DE TERAMO.

2170. *Sophiae abbatissae monasterii b. Mariae in Strigovia ord. s. Benedicti Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Marcii a. quinto decimo*“.

Romae, 1404 Martii 14.

R. Lat. 118 fol. 214[a] — In fine: JAC. XIII DE TERAMO.

2171. *Hynciconi de Děvicz alias de Vrbno*[a]) *armigero Olomucensis dioc.*[1]) *eiusque uxori indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Aprilis a. quinto decimo*“.

Romae, 1404 Martii 18.

R. Lat. 118 fol. 227[b] — a) ‚Dewicz alias de Werwyn‘. — In fine: JAC. XII DE TERAMO. — [1]) Cf. Prasek, Historická topografie země Opavské pag. 116.

2172. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Hodikonem Henslini surroget ad omne ius, quod Johanni de Křižanov tempore eius obitus in altari s. Barbarae in ecclesia Pragensi sito competebat.*

Romae, 1404 Martii 20.

Bonifacius . . . . magistro Johanni Gaczkow capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Hodiko Henslini rector parrochialis ecclesie in Vgezd prope Pohorzelecz Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Hodikonis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Johannem de Reddyn clericum Culmensis diocesis et quondam Johannem de Crisanow clericum super altari s. Barbare sito in ecclesia Pragensi, quod, tunc per obitum quondam Stanislai de Naczeracz ipsius altaris rectoris apud sedem apostolicam defuncti vacans, Johannes de Crisanow se auctoritate apostolica assecutum fuisse cano-

nice illudque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Johannem de Reddyn se assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse ac fecisse quominus dictus Johannes de Crisanow predictum altare posset pacifice possidere, Johannes vero de Redyn predicti idem altare ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Johannes adhuc asserit, materia questionis[1]), nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta .... non esset, tibi ad instanciam dicti Johannis de Reddyn .... commisimus ...., tuque in causa ipsa inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem .... prefatus Johannes de Crissanow in possesione ipsius altaris existens, huiusmodi lite sic indecisa pendente extra eandem curiam fuerit vita functus, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatinus eundem Hodikonem .... in omni iure et ad omne ius, quod eidem Johanni de Crisanow in dicto altari seu ad illud tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ...., et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Johanni de Crisanow, dum vixit, non competiisse et Johanni de Redyn prefatis non competere ius in eodem altari seu ad illud, altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus .... sex marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Hodikoni auctoritate predicta conferre et assignare procures ....; non obstantibus .... quod idem Hodiko, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam, cuius octo, obtinet et super parrochiali ecclesia in Vhrzynawess dicte Pragensis diocesis, cuius novem marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare.[2]) Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 88a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: JAC. XXIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 1952, 1954 et 1955 [2]) Cf. nr. 2053.

2173. *Johanni Pezeler et Barbare eius uxori, civibus Vratislaviensibus, indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possint.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Aprilis a. quinto decimo*“.

Romae, 1404 Martii 20.

R. Lat. 118 fol. 227b — In fine: M. XII DE SANCTA AGATHA.

2174. *Johanni Dominici et Catharinae eius uxori, civibus Vratislaviensibus, idem indulgetur.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Aprilis a. quinto decimo*“.

Romae, 1404 Martii 20.

R. Lat. 118 fol. 227b — In fine: M. XII DE SANCTA AGATHA.

2175. Nicolao Merbot et Agneti eius uxori, civibus Vratislaviensibus, idem indulgetur. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Aprilis a. quinto decimo".

Romae, 1404 Martii 20.

R. Lat. 118 fol. 227[a] — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2176. Iudicibus mandatur, quatenus Smiloni de Vicov canonicatum et praebendam ecclesiae s. Petri in Brunna conferant.

Romae, 1404 Martii 31.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et.... Gradicensis extra muros Olomucenses ac. . in Zabrdowicz prope Brunnam Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Smylo de Wyczov canonicus Olomucensis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... canonicatus et prebenda ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis, quos quondam Martinus Uteri .... obtinebat, per eiusdem Martini obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Smyloni auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Smylo, cum quo dudum, ut asserit, ut duo beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si utrumque vel alterum ipsorum curatum aut dignitas, personatus vel officium in metropolitana aut cathedrali vel collegiata, et dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata huiusmodi principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, ... recipere, et quoad viveret, retinere illaque simul vel successive ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens sibi placeret, dimittere et loco .... dimissorum .... alia .... beneficia .... ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere .... possit, fuit auctoritate apostolica dispensatum, parrochialem ecclesiam in Pozerzicz Olomucensis diocesis necnon canonicatum et prebendam Olomucensis predictos, quorum omnium fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, et super canonicatu et prebenda s. Petri Wissegradensis Pragensis ecclesiarum ac archidiaconatu Luthomeri censi in ecclesia Pragensi in palacio predicto noscitur litigare,[1]) et nos dudum eidem Smyloni de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura eiusdem ecclesie Pragensis per nostras litteras graciose duximus providendum .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 201[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXII DE TERAMO. — [1]) Cf. nros. 622, 720, 969 et 970.

2177. *Abbati monasterii Gradicensis mandatur, quatenus Suliconi de Železní canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis conferat.*

Romae, 1404 Martii 31.

Bonifacius .... abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses .... Dignum arbitramur .... Cum itaque .... canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Martinus de Vteri .... obtinebat, per eiusdem Martini obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes .... Suliconem de Zelezna rectorem parrochialis ecclesie in Superiori Dubnan (*sic*) Olomucensis diocesis .... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... quindecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Sulyconi auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod prefatus Sulyco, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam ac altare sine cura s. Marie situm in ecclesia monasterii s. Jacobi Olomucensis premonstratensis ordinis, per clericos seculares gubernari consuetum, quorum omnium fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura dicte ecclesie Olomucensis .... per nostras litteras graciose mandavimus provideri[1]). Volumus autem, quod, quamprimum dictus Sulyco .... dictos canonicatus et prebendam per te sibi, ut prefertur, conferendos fuerit pacifice assecutus, prefate littere .... et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 280[a]. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2024.

2178. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii Brevnoviensis* [a]) *prope Pragam ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi mandatur, quatenus Gregorio Jacobi dicto Crael clerico Olomucensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in villa Přistoupín* [b]) *Pragensis dioc., cuius fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Martini de Úterý* [c]) *extra Romanam curiam defuncti; non obstante, quod dudum eidem Gregorio de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositorum, decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis et s. Mauritii in Cremsir Olomucensis dioc. ecclesiarum pertinente, vacante vel vacaturo, per alias litteras apostolicas concessum est provideri, quae litterae quoad curatum beneficium cassae esse debent, quamprimum dictus Gregorius eandem parrochialem ecclesiam fuerit assecutus. „Vite ac morum honestas" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Aprilis a. quinto decimo".*

Romae, 1404 Martii 31.

R. Lat. 117 fol. 33a — a) „Brunonien", b) „Przysstup", c) „Vteri". — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2179. *Cum Nicolao de Krásná Hora dispensatur super inhabilitate, quam incurrit ecclesiam in Milevsko illegitime detinendo.*

Romae, 1404 Aprilis 2.

Bonifacius . . . Nicolao de K[r]asna Hora canonico monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero pro parte tua nobis exhibita peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Milhewscky Pragensis diocesis, quam quondam Andreas de Dobrohost . . . . obtinebat, per eiusdem Andree obitum, qui apud sedem predictam decessit, apud sedem ipsam vacante, ... Franciscus abbas monasterii Milocensis premonstratensis ord. dicte diocesis, cum ad abbatem eiusdem monasterii pro tempore existentem presentacio rectoris ad dictam ecclesiam, que per canonicos dicti monasterii regi consuevit, de antiqua . . . . consuetudine dumtaxat pertineat, reservacionis et decreti predictorum forsan ignarus, te ordinem ipsium expresse professum et in sacerdocio constitutum ac reservacionem et decretum predicta eciam ignorantem ad dictam ecclesiam sic vacantem . . . . Sbinkoni archiepiscopo Pragensi alias infra tempus legitimum presentavit licet de facto, idemque archiepiscopus reservacionis et decreti huiusmodi similiter inscius te in rectorem dicte ecclesie eciam de facto auctoritate ordinaria instituit,[1]) tuque huiusmodi presentacionis et institucionis pretextu eandem ecclesiam assecutus eciam de facto, illam extunc detinuisti, prout detines de presenti, fructus percipiens ex eadem similiter de facto. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi ac statui tuo super premissis . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica penitus abolemus. Volumus autem, quod eandem ecclesiam exnunc realiter et omnino dimittas . . . . Datum Rome apud S. Petrum quarto nonas Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat 115 fol. 12 a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XVI DE TERAMO. — [1]) „Nicolaus prior, professus monasterii Milocensis" 1404 Febr 1 ad ecclesiam in Milevsko per mortem fr. Andreae vacantem auctoritate ordinaria institutus est; cf. Emler, Lib. conf. VI. p. 110.

2180. *Abbati monasterii Břevnoviensis mandatur, quatenus Nicolao de Krásná Hora parrochialem ecclesiam in Milevsko, quam illegitime detinet, postquam eam dimiserit, de novo conferat.*

Romae, 1404 Aprilis 2.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Hodie vero pro parte . . . . Nicolai de [K]rasna Hora canonici monasterii Milocensis premonstratensis ord. Pragensis diocesis nobis exposito, quod olim parrochiali ecclesia in Milhewschky dicte diocesis, quam quondam Andreas de Drobrohost (*sic*) . . . . obtinebat, per eiusdem Andree obitum, qui apud sedem predictam decesserat, apud sedem ipsam vacante . . . ., Franciscus abbas predicti monasterii . . . ., reservacionis et decreti predictorum forsan ignarus, prefatum Nicolaum ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, reservacionem et decretum predicta similiter tunc ignorantem, ad dictam ecclesiam sic vacantem . . . . Sbinkoni archiepiscopo Pragensi alias intra tempus legitimum presentaverat licet de facto, idemque archiepiscopus . . . . ipsum Nicolaum in rectorem dicte ecclesie eciam de facto auctoritate ordinaria instituerat, ipseque Nicolaus . . . . eandem ecclesiam de facto assecutus illam extunc detinuerat, prout detinebat . . . ., nos tunc omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per dictum Nicolaum premissorum occasione contractam penitus abolevimus, et voluimus, quod idem Nicolaus extunc eandem ecclesiam realiter et omnino dimitteret . . . .[1]) Cum autem secundum premissa dicta ecclesia adhuc, ut prefertur, vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . sedecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . . , prefato Nicolao, postquam illam realiter et omnino dimiserit, ut prefertur, auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 116 fol. 157. — In fine: JAC. XXV DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 2179.

2181. *Abbati monasterii Brevnoviensis mandatur, quatenus Bohuslao [de] Bukovan parrochialem ecclesiam in Bernarticz, auctoritate ordinaria contra reservationem apostolicam ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1404 Aprilis 2.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam . . . . Dignum [arbitramur] . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . quorumcunque, per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum quorumlibet per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Et deinde parrochiali ecclesia in Bernaticz Pragensis diocesis ex eo vacante, quod quondam Dypoldus prepositus monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis, eandem ecclesiam tunc obtinens, preposituram dicti monasterii tunc vacantem, auctoritate litterarum nostrarum sibi

collatam, extitit pacifice assecutus,[1]) et sicut exhibita nobis nuper pro parte .... Bohuslai Buckowan canonici monasterii Milocensis ordinis et Pragensis diocesis predictorum peticio continebat .... Franciscus abbas dicti monasterii Milocensis cum ad abbatem eiusdem monasterii Milocensis pro tempore existentem rectoris ad dictam ecclesiam presentacio de antiqua .... consuetudine pertineat, reservacionis et decreti predictorum forsan ignarus ac credens eandem ecclesiam per obitum dicti Dypoldi, qui post huiusmodi assecucionem dicte prepositure extra Romanam curiam decessit, vacare, prefatum Bohuslaum reservacionem et decretum predicta similiter ignorantem ad ecclesiam prefatam tamquam per huiusmodi obitum ipsius Dypoldi vacantem .... Sbinkoni archiepiscopo Pragensi alias infra tempus legitimum presentavit licet de facto, idemque archiepiscopus, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, dictum Bohuslaum in eiusdem ecclesie rectorem auctoritate ordinaria instituit eciam de facto,[2]) ipseque Bohuslaus huiusmodi presentacionis et institucionis pretextu eandem ecclesiam pariter de facto assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti, fructus percipiens ex eadem bona fide. Cum autem presentacio et institucio huiusmodi viribus non subsistant ...., nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... ecclesiam predictam per canonicos dicti monasterii Milocensis gubernari consuetam, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Bohuslao auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 4[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; nota registratoris in fine deest — Altera copia in R. Lat. 116 fol. 156[a], ubi in fine adscriptum est: JAC. XXV DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 954. [2]) „Bohunkonem" professum monasterii Milocensis 1403 Sept. 10 ad ecclesiam in Bernarticz per obitum fr. Dépoldi vacantem auctoritate ordinaria institutum fuisse, Libri confirmationum VI p. 99 testantur.

2182. *Barbarae Engiliine mulieri Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. quinto decimo".*

Romae, 1404 Aprilis 8.

R. Lat. 118 fol. 216[b] — In fine: M. XIIII DE SANCTA AGATHA.

2183. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao Henslini canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis conferant.*

Romae, 1404 Aprilis 9.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii Brewnouiensis prope Pragam ac .. officiali Pragensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Nicolaus Henselini rector parrochialis ecclesie

in Budecz Pragensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, quas quondam Johannes Westfal .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Nicolaus vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas unum in maiori et alium in s. Petri Wissegradensi Pragensibus ecclesiis canonicatus obtinens, prebendas in eisdem, necnon dignitatem, personatum seu officium cum cura vel sine cura in ipsa maiori ecclesiis expectabat, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi fecit provideri, illosque .... extitit assecutus. Cum autem .... idem Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi .... viribus non subsistere ...., discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... viginti sex marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo .... vel per liberam resignacionem .... Henrici tituli s. Anastasie presbyteri cardinalis vel alicuius alterius .... vacent, eciam si .... super eis inter dictum cardinalem et quoscunque alios lis in dicta curia vel extra eam pendeat seu remanserit indecisa, ... eidem Nicolao .... auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus .... statuto et ordinacione fel. rec. Urbani pp. V. ...., quibus caveri dicitur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit ...., seu quod idem Nicolaus, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam ac perpetuum beneficium sine cura ‚prebendam' nuncupatum in ecclesia s. Georgii in castro Pragensi obtinet, et super parrochiali ecclesia in Brozano dicte diocesis unam, et super altari s. Materni sito in dicta ecclesia Pragensi aliam, que in rem transiverunt iudicatam, diffinitivas sentencias in palacio apostolico contra quosdam adversarios suos litigando reportavit, et super canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis in eodem palacio litigat, [et] nos dudum sibi de canonicatu et prebenda dicte ecclesie s. Petri, tunc certo modo vacantibus, quorum possessionem nondum habet, et quorum omnium fructus .... centum marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, graciose provideri mandavimus, et dudum secum, ut dignitatem, personatum seu curatum officium .... recipere et una cum dicta ecclesia in Budecz usque ad unum annum retinere .... possit, ita tamen, quod infra huiusmodi unum annum alterum [ex ecclesia] in Budecz ac dignitate, personatu vel curato officio huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eandem ecclesiam in Budecz .... omnino dimittere teneretur, duximus dispensandum[1]. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Nicolaus .... dictos canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eos acceptavit, quoad canonicatum et prebendam ipsius Pragensis ecclesie dumtaxat, sint casse .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 119b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLA]RIA; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO — [1] Cf. nros. 1669 et 1863.

2184. *Judicibus mandatur, quatenus Petro de Gliwicz canonicatus et prebendas Gneznensis et Poznaniensis ecclesiarum conferant.*

Romae, 1404 Aprilis 9.

Bonifacius . . . . episcopo Pistoriensi et . . . . abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses ac . . officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus de Gliwicz rector parrochialis ecclesie in Paczkow Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Gneznensis et Poznaniensis ecclesiarum canonicatus et prebende, quos quondam Paulus de Slachczino . . . . obtinebat, per eiusdem Pauli obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes dicto Petro, qui litterarum apostolicarum abbreviator existit . . . ., graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatus et prebendas predictos, quorum fructus . . . . viginti octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Petrus, ut asserit, ecclesiam parrochialem predictam, cuius triginta, obtinet et super decanatu Wratislauiensis ac canonicatu et prebenda Pragensis ecclesiarum in palacio apostolico litigat, et nuper sibi de canonicatibus et prebendis dicte Wratislauiensis et in Kremzir Olomucensis diocesis ecclesiarum, tunc certo modo vacantibus, quorum omnium ducentarum marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt, apostolica auctoritate fuit provisum, et alias secum, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum seu alias cum parrochiali ecclesia predicta, quam tunc temporis obtinebat, prout obtinet, incompatibile . . . . reci pere et una cum eadem ecclesia in Paczkow usque ad annum retinere . . . . posset, extitit auctoritate apostolica dispensatum . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis pont. n. a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 225a — In fine: JAC. XXII DE TERAMO — [1]) Cf. nros. 2021 et 2099.

2185. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Bartholomaeo Vunnelauf clerico Vratislaviensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam s. Andreae extra muros oppidi Krossen*[a]*) Vratislaviensis dioc., cuius fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Michaelis Crebis extra Romanam curiam defuncti; non obstante, quod ipse Bartholomaeus beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura ad collationem episcopi Vratislaviensis pertinens auctoritate quarundam litterarum apostolicarum „in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus“, noscitur exspectare, quae litterae cassae esse debent, quamprimum idem Bartholomaeus praedictam parrochialem ecclesiam fuerit assecutus. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. quinto decimo.“*

Romae, 1404 Aprilis 9.

R. Lat. 117 fol. 34a — a) ‚Crossin' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII DE TERAMO.

2186. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao Herrendorf*a) *conferat canonicatum et praebendam maioris ecclesiae Vratislaviensis, quorum fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per obitum Michaelis Crebis extra Romanam curiam defuncti vacantes; non obstante, quod idem Nicolaus in praedicta maiore quandam perpetuam vicariam et unum etiam in eadem maiore et aliud in s. Aegidii Vratislaviensibus ecclesiis altaria, quae omnia sine cura sunt, et quorum fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere; quamprimum autem dictus Nicolaus praefatos canonicatum et praebendam fuerit assecutus, vicariam et altare in eadem maiore ecclesia omnino dimittere tenetur. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Aprilis a. quinto decimo."*

Romae, 1404 Aprilis 9.

R. Lat. 117 fol. 202b — a) ‚Herrendorff' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXIII DE TERAMO.

2187. *Johanni Bleichmester providetur de parrochiali ecclesia in Mügeln*a) *Misnensis dioc., non obstante, quod canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae s. Petri in Budissin*b) *et altare sine cura Omnium Sanctorum situm in capella castri episcopalis Stolpen*c) *necnon parrochialem ecclesiam in Nebilschicz dictae dioc. obtinet et super quodam perpetuo beneficio sine cura ‚prima missa' nuncupato in dicta ecclesia s. Petri, quorum omnium fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, in palatio apostolico noscitur litigare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. quinto decimo." — Simili modo episcopo Ferentinatensi et Pragensi ac Vratislaviensi officialibus.*

Romae, 1404 Aprilis 11.

R. Lat. 117 fol. 17a — a) ‚Mogelin' b) ‚Bussin' c ‚Scolpn' — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO.

2188. *Abbati monasterii Gradicensis mandatur, quatenus Nicolao de Bradlen praebendam in ecclesia Olomucensi in brevi vacaturam reservet.*

Romae, 1404 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem pro parte . . . . Smylonis de Wytzow canonici ecclesie Olomucensis nobis exposito, quod canonici eiusdem ecclesie secundum eorum recepcionis ordinem antiquiores prebendas in dicta ecclesia obtinentes et in ea personalem residenciam facientes alias prebendas

meliores inibi pro tempore vacantes iuxta morem ipsius ecclesie optare consueverant, nos eidem Smyloni, ut eciam in prefata ecclesia non residendo huiusmodi meliores prebendas in eadem ecclesia pro tempore vacantes, eciam si illas per obitus capellanorum, nunciorum vel familiarium sedis predicte aut scriptorum, abbreviatorum vel correctorum litterarum apostolicarum seu collectorum vel succollectorum fructuum et proventuum camere apostolice debitorum extra Romanam curiam decedencium vacare contingeret, dummodo sibi alias ex ordine deberentur, successive optare illasque assequi et retinere . . . . valeret, per nostras litteras graciose duximus concedendum . . . . Cum itaque propterea, quamprimum ipse Smylo aliquam prebendam dicte ecclesie optaverit illamque . . . . fuerit pacifice assecutus, alia prebenda, quam in eadem ecclesia obtinet, vacare speretur, nos volentes . . . . Nicolaum de Brodlino rectorem parrochialis ecclesie in Ottoslauitz Olomucensis diocesis . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . prebendam predictam, quam ipse Smylo obtinet, cuius et canonicatus eiusdem ecclesie Olomucensis fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendam eidem Nicolao . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . ., ac nichilominus prebendam per te reservandam predictam, cum illam ut prefertur vacare contigerit, ... prefato Nicolao auctoritate predicta conferas et assignes . . . ., non obstantibus . . . ., quod prefatus Nicolaus, ut asserit, predictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 208[b] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

2189. *Johanni de Reddin reservatur perpetua vicaria ecclesiae Vratislaviensis in brevi vacatura.*

Romae, 1404 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . Johanni Petri de Reddin clerico Culmensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Nuper siquidem . . . . Nicolao de Herindorff perpetuo vicario in maiori ecclesia Wratislauiensi de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie tunc certo modo vacantibus per nostras litteras graciose mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod ipse Nicolaus, quamprimum . . . . dictos canonicatum et prebendam foret pacifice assecutus, perpetuam vicariam, quam in eadem ecclesia tunc temporis obtinebat, prout obtinet, ... omnino dimittere teneretur . . . .[1]) Cum itaque propterea dicta vicaria vacare speretur, nos . . . . vicariam predictam, que sine cura est, et cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, super altari s. Barbare sito in ecclesia Pragensi, cuius quatuor, in palacio apostolico litigas,[2]) et dudum tibi de parrochiali ecclesia in Czigenhals Wratislauiensis diocesis, cuius duodecim marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non

excedunt, que tunc certo modo vacare sperabatur, concessimus, necnon de uno vel duobus . . . ad episcopi et capituli predictorum [Vratislaviensium] ac . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici et cantoris singulorumque canonicorum et personarum maioris predicte per quasdam, necnon de alio sine cura ad . . . . prepositorum, decanorum, scolasticorum, cantorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum s. Crucis Wratislauiensis ac s. Marie Glogouie Maioris dicte diocesis ecclesiarum collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus seu vacaturis, per quasdam alias nostras litteras[3]) graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. quinto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Thelesino et dilectis filiis abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses (*sic*) . . . .

R. Lat. 117 fol. 20ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC XI. XIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 2186 [2]) Cf. nr. 2172 [3]) Nr. 2055.

2190. *Custodi ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis mandatur, quatenus Petro de Hotzenplotz quoddam altare ecclesiae Vratislaviensis conferat.*

Romae, 1404 Aprilis 16.

Bonifacius . . . . custodi ecclesie s. Crucis Wratislauiensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica . . . . apud sedem apostolicam vacancia . . . . collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum altare vivificis Corporis Christi ‚secundi ministerii' nuncupatum, situm in ecclesia Wratislauiensi, per liberam resignacionem Mazei de Lamberto tunc ipsius altaris rectoris, per eum, qui fructuum et proventuum camere apostolice in provincia Gneznensi debitorum collector et clericus eiusdem camere existit, de illo . . . . per . . . . magistrum Franciscum de Florencia scriptorem nostrum, procuratorem suum . . . ., in manibus nostris hodie sponte factam et per nos admissam,[1]) apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens . . . ., nos volentes . . . . Petrum de Holczinplocz canonicum ecclesie s. Marie virginis in Magna Glogouia Wratislauiensis diocesis, qui eciam hodie liti et cause ac omni iuri sibi in quibusdam canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, super quibus cum eodem Mazeo in palacio apostolico ex commissione apostolica litigando unam pro se et contra ipsum Mazeum diffinitivam, per quam sibi dicti canonicatus et prebenda adiudicati et dicto Mazeo super eis perpetum silencium impositum fuit, et que quidem causa in secunda instancia in eodem palacio adhuc pendet indecisa, in eisdem manibus sponte ac libere cessit, et quam quidem cessionem eciam admisimus . . . ., favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus . . . . altare prefatum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferas et assignes . . . .: non obstantibus . . . ., quod idem Petrus, ut asserit, canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie b. Marie

et parrochialem ecclesiam in Pycz dicte diocesis, quorum omnium fructus .... viginti quatuor marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, nosceitur obtinere ....[2]) Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Maii a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 104[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXII DE TERAMO — [1]) Cf. nros. 1826 et 2005 [2]) Cf. nr. 1675.

2191. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Paulo Currificis de Nova Civitate presbytero Olomucensis dioc. reservet unum vel duo beneficia ecclesiastica, etiam si alterum ipsorum curatum fuerit, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et praelatorum ecclesiae Pragensis pertinentia, dummodo ipsorum aliquod canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si qua vacant, vel cum vacaverint; post quinquennium autem praefatus Paulus vigore praesentium litterarum aliquod beneficium non potest acceptare. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. quinto decimo.*

Romae, 1404 Aprilis 22.

R. Lat. 112 fol. 174[a] — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

2192. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus resignatione canonicatus et praebendae ecclesiae s. Petri extra muros Maguntinenses a Petro de Všerub recepta, eosdem canonicatum et praebendam Johanni Stunck conferat.*

Romae, 1404 Aprilis 24.

Bonifacius .... magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Johannes Stunck canonicus ecclesie s. Thome Argentinensis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... Petrus de Wserob canonicus ecclesie s. Petri extra muros Maguntinenses canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie s. Petri .... resignare proponat, nos .... volentes eidem Johanni, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis .. ., committimus et mandamus, quatenus ab eodem Petro vel procuratore suo .... resignacionem huiusmodi .... auctoritate nostra .... recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... sedecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Johanni auctoritate predicta conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod dictus Johannes, ut asserit, s. Petri minoris cum thesauraria eiusdem et predicte s. Thome Ar-

gentinensium canonicatus et prebendas obtinet et super canonicatu et prebenda s. Petri Wissegradensis Pragensis, quorum omnium fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico litigat, et nos dudum sibi de b. Marie ad gradus Maguntinenses et s. Stephani Maguntinensis ecclesiarum canonicatibus sub expectationibus prebendarum graciose concessimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal Maii a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 258b — supra in marg. sin. CANCELLARIA]: in fine: M. XXVI DE SANCTA AGATHA.

2193. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Nicolao Káče unum vel duo beneficia ecclesiastica vacantia vel vacatura reservet.*

Romae, 1404 Maii 3.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Nicolaum Katzye rectorem altaris s. Barbare siti in ecclesia Pragensi . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus, si . . . eundem Nicolaum . . . . ad curatum beneficium obtinendum ydoneum esse reppereris . . . ., unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum fuerit, et si forsan ita esse non inveneris . . . ., dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum beneficium seu beneficia sine cura ydoneum esse inveneris . . ., sine cura dumtaxat unum vel duo . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, cuius seu quorum fructus . . . ., si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit seu fuerint, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum dicte ecclesie . . . . pertinencia, dummodo ipsorum aliquod canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si quod vel si qua . . . . vacant ad presens, aut cum . . . . vacaverint . . . ., conferenda eidem Nicolao . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .: non obstantibus . . . . quod idem Nicolaus, ut asserit, altare predictum, quod sine cura, et cantoriam dicte ecclesie, que simplex officium, canonice obtinet,[1]) et nos nuper sibi de parrochiali ecclesia in Krzakow dicte diocesis tunc certo modo vacante, cuius possessionem nondum habet, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Nos enim cum eodem Nicolao, ut huiusmodi curatum beneficium . . . . recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia . . . . usque ad unum annum retinere . . . . valeat . . . ., auctoritate apostolica . . . .dispensamus, ita tamen, quod infra huiusmodi annum alterum ex curato beneficio et parrochiali ecclesia predictis pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur . . . Volumus autem, quod idem Nicolaus post quinquennium a data presencium litterarum computandum aliquod beneficium earundem vigore non acceptet . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto nonas Maii a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 49ª — Supra in marg. sin: CAN[CELLARI]A: in fine. JAC. XXX DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1057.

2194. *Judicibus mandatur, quatenus Jacobo de Hostěradicz parrochialem ecclesiam in Loučan conferant.*

Romae, 1404 Maii 5.

Bonifacius .... episcopo Melfiensi et .... Luczensis ac Scotorum in Wyenna Olomucensis et Patauiensis diocesium monasteriorum abbatibus .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Jacobus Johannis de Hostradicz presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur, ... nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... parrochialis ecclesia in Lauczano dicte diocesis per liberam resignacionem Nicolai Guntheri tunc ipsius ecclesie rectoris, per eum de illa .... coram certis notario publico et testibus extra Romanam curiam sponte factam vacaverit et vacet ad presens, nos resignacionem huiusmodi ratam habentes et gratam...., discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... ecclesiam predictam, cuius fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo ... seu per revocacionem unionum dudum, videlicet undecimo kal. Januarii pont. n. a. quarto decimo, per nos factam .... vacet ...., eidem Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Maii a. quinto decimo.

R. Lat. 117 fol. 116ᵇ — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII DE TERAMO.

2195. *Nicolao dicto Sup presbytero reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, archidiaconorum, scholastici, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis, necnon abbatissae et conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, quod quandam perpetuam vicariam sine cura in ecclesia Pragensi noscitur obtinere; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum non potest aliquod beneficium acceptare. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Maii a. quinto decimo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii Strahoviensis Pragensis ac officiali Pragensi.*

Romae, 1404 Maii 5.

R. Lat. 112 fol. 167ª — Supra in marg.sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO.

2196. *Johanni Hersevelt reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura vacans vel vacaturum.*

Romae, 1404 Maii 7.

Bonifacius . . . . Johanni Herzefelt rectori parrochialis ecclesie in Gruspan Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus . . decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . episcopi Olomucensis et . . . . decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis, necnon prepositi et capituli s. Petri in Brunna Olomucensis [diocesis] ecclesiarum collacionem . . . . pertineus, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si quod vacat . . . ., vel cum vacaverit . . . ., conferendum tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, parrochialem ecclesiam in Gruspan dicte diocesis[1]) et altare sine cura ss. Clementis et Erasmi situm in ecclesia Wratislauiensi obtines, et nos nuper tibi de parrochiali ecclesia in Dornholcz eiusdem diocesis necnon de archidiaconatu Snoimiensi in dicta ecclesia Olomucensi, qui dignitas curata existit, ac de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis predicte, tunc certis modis vacantibus, quorum possessionem nondum habes quorumque omnium fructus . . . . nonaginta quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, graciose concessimus prouideri. Volumus autem, quod post quinquennium a data presencium litterarum computandum earundem vigore aliquod beneficium nequeas acceptare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. quinto decimo.

Simili modo . . . . episcopo Comaclensi et . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis ac . . officiali Patauiensi . . . .

R. Lat. 112 fol. 175ᵃ. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO. — [1]) Cf. nr. 453 et 628.

2197. *Svatoslaus Jaroslai ecclesiae Lucensi in episcopum praeficitur.*

Romae, 1404 Maii 12.

Bonifacius . . . . Swatoslao Jaroslai electo Lucensi . . . . Apostolatus. officium . . . . Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia Lucensis pastoris solacio destituta existat ac tanto tempore vacaverit, quod eius verus vacacionis modus penitus ignoratur, nos . . . . post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, ordinis fratrum s. Marie de Monte Carmeli professorem in sacerdocio constitutum . . . ., direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem . . . . Volumus autem, quod, quamprimum presentes litteras habueris expeditas, te ad predictam ecclesiam transferas et resideas personaliter

in eadem, quodque extra civitatem et diocesim Lucenses pontificalia officia nequeas exercere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Maii a. quinto decimo.

R. Lat. 112 fol. 276b — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

2198. *Nicolao Hermanni reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura vacans vel vacaturum.*

Romae, 1404 Maii 13.

Bonifacius . . . . Nicolao Hermanni perpetuo vicario ad altare Omnium Sanctorum situm in ecclesia Pragensi, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, et ut asseris, baccalarius in decretis existis, ... graciam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, consuetum clericis secularibus assignari, cuius fructus . . . ., si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . prepositi, decani, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam necnon magistri et fratrum domus hospitalis s. Francisci in pede pontis Pragensis ord. cruciferorum cum stella collacionem . . . . pertinens, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, ... conferendum tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, quandam perpetuam vicariam ad altare Omnium Sanctorum situm in Pragensi, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti . . . .valorem annuum non excedunt, obtines, et dudum in canonicum in predicta s. Petri auctoritate ordinaria receptus fuisti, et super altari ss. Erasmi et Briccii sito in Olomucensi, que sine cura sunt, et super parrochiali in Boroticz in palacio apostolico litigas, et nos nuper tibi de parrochiali in Walcz Pragensis et Olomucensis diocesium ecclesiis, tunc certis modis vacantibus, graciose concessimus provideri. Volumus, quod, quamprimum . . . . aliquod beneficium curatum fueris pacifice assecutus, parrochiales ecclesias predictas, si eas interim evincas, . . . omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eis seu ad eas quomodolibet competenti cedere tenearis, quodque post quinquennium a data presencium litterarum computandum earundem vigore aliquod beneficium nequeas acceptare . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Maii a. quinto decimo.

Simili modo . . . . s. Ambrosii et . . s. Karoli Pragensium monasteriorum abbatibus ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi.

R. Lat. 118 fol. 53a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIJA; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO.

2199. *Johanni Lindenow de Nissa presbytero Vratislaviensis dioc. reservantur unum vel duo beneficia ecclesiastica, etiam si unum eorum curatum fuerit, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris et custodis singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinentia, dummodo ipsorum beneficiorum aliquod canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit: ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Maii a. quinto decimo". — Simili modo episcopo Pistoriensi et abbati monasterii b. Mariae extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1404 Mai 13.

R. Lat. 112 fol. 177b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO.

2200. *Zbynkoni[a]) Godardi presbytero Pragensi reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, scholastici, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum maioris, necnon praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum s. Petri Vyšehradensis[b]) Pragensium ecclesiarum pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; ita tamen, ut post quinquennium vigore praesentium litterarum aliquod beneficium nequeat acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. quinto decimo." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1404 Maii 15.

R. Lat. 112 fol. 201a — a) ‚Sbingoni b) ‚Wissegraden'. — Supra in marg. sin.: CAN-[CELLARI]A; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO.

2201. *Johanni Lindenow de Nissa presbytero Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem Olomucensis et Lubucensis episcoporum necnon praepositorum, decanorum, archidiaconorum, scholasticorum, cantorum et custodum singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis et Lubucensis ecclesiarum pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit: non obstante, quod nuper ei de uno vel duobus beneficiis ecclesiasticis ad episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris et custodis singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinentibus, vacantibus seu vacaturis, a papa*

mandatum est provideri[1]); *post quinquennium autem vigore praesentium litterarum aliquod beneficium non potest acceptare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. quinto decimo.*“ — *Simili modo episcopo Pistoriensi et Misnensi ac Vratislaviensi officialibus.*

Romae, 1404 Maii 15.

R. Lat. 112 fol. 196[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO. — [1]. Cf. nr. 2199.

2202. *Praeposito ecclesiae s. Nicolai in Ottmuchov*[a]) *Vratislaviensis dioc. mandatur, quatenus Johanni Suchors canonico ecclesiae s. Bartholomaei in Minore Glogovia dictae dioc., baccalario in artibus, reservet unum vel duo beneficia ecclesiastica, etiam si ipsorum alterum curatum fuerit, quorum fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, custodis, singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinentia, dummodo aliquod ipsorum canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si qua vacant, vel cum vacaverint; non obstante, quod idem Johannes canonicatum et praebendam eiusdem ecclesiae s. Bartholomaei, quorum fructus 7 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum aliquod beneficium non potest acceptare.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. quinto decimo.*“

Romae, 1404 Maii 15.

R. Lat. 112 fol. 204[b] — [a]) ‚Othumochow‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

2203. *Decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis mandatur, quatenus Venceslao dicto Knoblauch capellam s. Jacobi sub castro Misnensi, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1404 Maii 28.

Bonifacius . . . .decano ecclesie s. Apolinaris Pragensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Wenceslai dicti Knoblach canonici ecclesie Misnensis peticio continebat, quod olim capella s. Jacobi sita sub castro Misnensi, que per canonicos integratos et emancipatos dicte ecclesie gubernari consuevit, et quam quondam Johannes de Polemzk . . . . obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Thymo episcopus Misnensis eandem capellam sic vacantem prefato Wenceslao auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit, ipseque Wenceslaus eandem capellam . . . extitit assecutus. Cum autem . . . . prefatus Wenceslaus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . capellam

predictam, que sine cura est, et cuius fructus . . . . quindecim marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt, ... prefato Wenceslao . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Wenceslaus, ut asserit, Misnensis predicte cum prepositura eiusdem et Pragensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . nonaginta sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . .[1]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 99[a] — In fine: A . XXI ALDIMARIUS. — [1]) Cf. nr. 2140.

2204 *Venceslao Procopii reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae in Antiqua Boleslavia, necnon abbatis et conventus monasterii in Vilémov*[a]*) ord. s Benedicti Pragensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Skuhrov*[b]*) Pragensis dioc. noscitur obtinere, quam dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit assecutus; post quinquennium autem vigore praesentium litterarum non potest aliquod beneficium acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a quinto decimo." — Simili modo episcopo Tudensi ac abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1404 Maii 28.

R. Lat. 112 fol. 192[a] — [a] ‚Wilemow' [b]) ‚Skuhrow, Skuchrow'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI . XIII DE TERAMO.

2205. *Johanni Jacobi de Lukov*[a] *presbytero Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annum non excedant, ad collationem abbatum et conventuum in Insula et in Gredismonachorum s. Benedicti et cisterciensis ordinum Pragensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; ita tamen, ut post quinquennium nequeat vigore praesentium litterarum aliquod beneficium acceptare. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a. quinto decimo". — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1404 Maii 28.

R. Lat. 112 fol. 192[b] — a) ‚Lucow' — Supra in marg. sin.: CANCELLA[RIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

2206. *Jacobo Johannis de Hostěradicz*[a]) *presbytero reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et episcopi Olomucensis ac praepositorum, decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum Pragensis et Olomucensis ecclesiarum etiam ratione dignitatum, personatuum vel officiorum, quae in dictis ecclesiis obtinent, pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dudum ei de parrochiali ecclesia in Loučan*[b]) *Olomucensis dioc., cuius possessionem nondum habet, apostolica auctoritate extitit provisum,*[1]) *quam ecclesiam dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit assecutus: post quinquennium autem vigore praesentium litterarum aliquod beneficium acceptare non potest.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. quinto decimo.*“ — *Simili modo episcopo Melfiensi et Lucensis*[c]) *ac Scotorum in Vienna Olomucensis et Pataviensis dioc. monasteriorum abbatibus.*

Romae, 1404 Junii 3.

R. Lat. 112 fol. 180b — a) ‚Hostradicz‘ b) ‚Luczans‘ c) ‚Luczen‘. — Supra in marg sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO. — 1) Cf. nr. 2194.

2207. *Martino Mathiae de Ottmuchov*[a]) *providetur de canonicatu ecclesiae Vratislaviensis sub exspectatione praebendae eiusdem ecclesiae necnon beneficii ecclesiastici cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum dictae ecclesiae Vratislaviensis pertinentis; post quinquennium autem dictus Martinus vigore praesentium litterarum aliquod beneficium non potest acceptare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. quinto decimo*“. — *Simili modo episcopo Tudensi et s. Mariae in Arena ac s. Vincentii extra muros Vratislavienses monasteriorum abbatibus.*

Romae, 1404 Junii 3.

R. Lat. 118 fol. 1a — a) ‚Othmuchaw‘ — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO.

2208. *Iudicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa per Johannem episcopum Litomyšlensem contra Johannem de Mülheim militem propter quasdam iniurias eidem episcopo illatas mota in palatio apostolico latae fuerunt, executioni demandantes, praefato episcopo a dicto milite certam pecuniarum summam persolvi faciant.*

Romae, 1404 Junii 5.

Bonifacius .... Tudensi et .. Olomucensi episcopis et .... abbati monasterii in Trzebon Pragensis diocesis .... Exhibita nobis pro parte ...

Johannis episcopi Luthomislensis peticio continebat, quod olim ipse . . . . Johannem alias Hannussium de Mulheim militem Luthomuslensis diocesis, qui ipsum episcopum nonnullis equis, bobus et rebus aliis tunc expressis, ad eundem episcopum et suam mensam episcopalem Lithomislensem legitime pertinentibus, contra iusticiam spoliaverat ac sibi nonnulla alia iniurias et dampna eciam tunc expressa irrogaverat, super hoc, petendo eundem militem condemnari et compelli ad restituendum ipsi episcopo res, equos et boves huiusmodi, si extarent, alioquin eorum verum valorem, necnon ad dandum sibi certas pecuniarum summas similiter tunc expressas pro damnis et interesse ex iniuriis huiusmodi, coram abbate Scotorum monasterii in Wienna Pathauiensis diocesis, conservatore eidem episcopo contra inferentes ei iniurias vel iacturas in bonis vel rebus ad ipsum et suam mensam predictam spectantibus a sede apostolica per ipsius sedis litteras deputato, et habente cognoscendi de hiis, que iudicialem requirunt indaginem, specialem per easdem litteras potestatem, huiusmodi litterarum vigore fecit ad iudicium evocari, idemque abbas cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: predictum militem condempnandum fore et condempnavit ad dandum et solvendum prefato episcopo et dicte eius mense sex milia sexagenarum grossorum monete Pragensis racione dampnorum et interesse ac mille florenos auri racione iniuriarum huiusmodi necnon ad restituendum eidem episcopo seu dicte eius mense predicta spolia, si extarent, alioquin trecentas sexagenas grossorum dicte monete pro eisdem, ipsum militem in expensis in huiusmodi causa legitime factis nichilominus condempnando, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti militis, eam iniquam fore falso asserentis, fuit ad dictam sedem appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, ... episcopo Aquilano tunc ad instanciam dicti Johannis episcopi primo, et deinde ex certis causis . . . . magistro Hermanno Dwerg capellanis nostris et causarum palacii apostolici auditoribus audiendam commisimus et fine debito terminandam. Et subsequenter, postquam idem Hermannus auditor ad nonnullos actus in huiusmodi causa inter partes ipsas processerat, nos ad instanciam dicti Johannis episcopi, asserentis appellacionem predictam fuisse et esse desertam, causam desercionis huiusmodi eidem Hermanno auditori . . . . commisimus . . . Qui quidem Hermannus auditor ad instanciam . . . . magistri Johannis de Scriuanis procuratoris dicti episcopi coram eo in iudicio comparentis . . . . magistrum Franciscum Borch procuratorem dicti militis, prout eidem Hermanno auditori apud acta cause huiusmodi legitime constabat, ad docendum de diligencia prosecucionis appellacionis huiusmodi per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes de Scriuanis coram eodem auditore in iudicio comparens, predicti Francisci non comparentis contumaciam accusavit. Et deinde idem Johannes de Scriuanis coram eodem auditore in iudicio comparens, quandam peticionem summariam pro parte sua in huiusmodi desercionis causa dedit, idemque auditor ad eiusdem Johannis de Scriuanis instanciam predictum Franciscum ad suam in huiusmodi desercionis causa sentenciam audiendam per quendam cursorem nostrum citari fecit ad

certam diem peremptoriam competentem. In qua prefato Johanne de Scriuanis .... comparente et dicti Francisci non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, memoratus auditor reputans eundem Franciscum .... contumacem, in eius contumaciam .... per suam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicta peticione summaria petita fuerant: appellacionem predictam fuisse et esse desertam, ipsumque militem in expensis in huiusmodi causa a tempore dicte late sentencie predicti abbatis propterea factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia ipsius Hermanni prefatus Franciscus, coram ipso Hermanno auditore comparens, ad sedem appellavit antedictam, nosque causam ultime appellacionis huiusmodi .... magistro Johanni Gaczkow capellano nostro et causarum dicti palacii auditori commisimus .... Qui ad dicti Johannis de Scriuanis instanciam prefatum Franciscum ad impugnandum processum dicti Hermanni auditoris et iustificandum ultimam appellacionem huiusmodi et per alteram partem impugnari appellacionem et iustificare processum huiusmodi videndum per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes de Scriuanis .... comparens, prefati Francisci non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam omnia acta et habita in causa huiusmodi ad impugnandum ultimam appellacionem et iustificandum processum dicti Hermanni auditoris huiusmodi produxit, idemque Johannes auditor ad eiusdem Johannis de Scriuanis instanciam prefatum Franciscum ad suam in huiusmodi causa sentenciam audiendam .... citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Johanne de Scriuanis .... comparente et dicti Francisci non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam huiusmodi sentenciam ferri petente, sepedictus Johannes auditor reputans eundem Franciscum .... contumacem, in eius contumaciam .... per suam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Hermannum auditorem in huiusmodi causa bene fuisse et esse processum, et pro parte dicti militis ab eodem Hermanno auditore et eius sentencia male fuisse et esse appellatum, ipsumque militem in expensis coram eo in huiusmodi causa factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter Hermannus, cui ex certis causis commisimus, ut eciam expensas coram dicto abbate in huiusmodi causa factas taxaret, coram eodem abbate in quinquaginta duobus et coram se ipso in viginti octo, necnon Johannes auditores prefati coram eo factas expensas huiusmodi in octo florenis auri de camera boni et iusti ponderis in dicti Francisci contumaciam, de mandato Hermanni et Johannis auditorum predictorum ad instanciam dicti Johannis de Scriuanis ad videndum taxari expensas huiusmodi per quosdam cursores nostros ad certos terminos peremptorios competentes successive citati et non curantis comparere, dicto Johanne de Scriuanis in eisdem terminis .... comparente et predicti Francisci non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, successive providis moderacionibus taxaverunt, prefati Johannis de Scriuanis super expensis ipsis iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis prefatorum Hermanni et Johannis auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiun-

gebat, prefatus Johannes episcopus dubitet, quod dictus miles huiusmodi sentenciis et processibus super eorum execucione fiendis de facili non parebit, pro parte ipsius Johannis episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut eciam prefatam sentenciam dicti abbatis execucioni debite demandari mandare et alias sibi in premissis de oportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi Johannis episcopi supplicacionibus inclinati, que super hiis ab eisdem Hermanno et Johanne auditoribus provide facta sunt, rata habentes et grata, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictam ipsius abbatis sentenciam, prout iuste lata est, et alia per dictos Hermannum et Johannem auditores, ut premittitur, facta execucioni debite demandantes ipsasque eorundem Hermanni et Johannis auditorum predictorum sentencias, ubi et quando expedire videritis, sollempniter publicantes, faciatis eidem Johanni episcopo huiusmodi sex milium sexagenarum necnon mille florenorum auri summas integre dari et persolvi, necnon prefata spolia, si extant, alioquin huiusmodi trecentas sexagenas pro eisdem restitui cum effectu sibique de predictis aliis florenorum summis pro dictis expensis iuxta prefatorum instrumentorum eorundem condemnacionum et taxacionum tenores plenam et debitam satisfacionem impendi; et nichilominus legitimis per vos super hiis habendis servatis processibus eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Ceterum si per summariam informacionem super hiis per vos habendam vobis constiterit, quod presencia prefati militis pro monicionibus vel citacionibus de ipso faciendis secure vel commode nequeat haberi, nos vobis moniciones huiusmodi et citaciones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam ipsius militis pervenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore presencium facultatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. quinto decimo.

R. Lat. 118 fol. 94 a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARI]A; in fine: JAC. XXVIII DE TERAMO.

2209. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni Hersevelt canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis ac archidiaconatum Znojmensem conferant.*

Romae, 1404 Junii 7.

Bonifacius . . . . episcopo Melfiensi et . . . . Luczensi ac Scotorum in Wienna Olomucensis ac Patauiensis diocesium monasteriorum abbatibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Herzeuelt rector parrochialis ecclesie in Gruspan Olomucensis diocesis commendatur . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Michael Cancri . . . . obtinebat, per eiusdem Michaelis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, et archidiaconatus Znoymensis in diocesi Olomucensi, qui in aliqua ecclesia non existit, quem quondam Nicolaus de Wessel . . . . obtinebat, per ipsius Nicolai, qui eciam extra eandem curiam decessit, obitus vacaverint et

vacent ad presens, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam, quorum triginta, necnon archidiaconatum predictos, cuius quadraginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Johannes, ut asserit, altare ss. Clementis et Erasmi situm in eadem ecclesia Wratislauiensi, quod sine cura est, necnon eandem ecclesiam in Gruspan.[1]) quorum viginti, obtinet ac nuper sibi de parrochiali ecclesia in Durrenholtz predicte diocesis, cuius possessionem nondum adeptus est, et cuius viginti quinque marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, graciose concessimus prouideri, quodque beneficium ecclesiasticum sine cura ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis ac prepositi et capituli s. Petri in Bruna dicte diocesis ecclesiarum . . . . pertinens auctoritate quarundam litterarum nostrarum noscitur expectare,[2]) ac secum, quod predictam ecclesiam in Durrenholtz . . . . recipere ipsasque parrochiales ecclesias usque ad unum annum insimul retinere posset, auctoritate apostolica predicta duximus dispensandum . . . . Nos enim cum dicto Johanne, ut eundem archidiaconatum . . . . recipere ipsosque archidiaconatum et ecclesiam in Durrenholtz usque ad unum annum dumtaxat retinere libere et licite valeat, eadem auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Junii a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 128[a] — In fine: JAC. XXX DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 453 et 628 [2]) Cf. nr. 2196.

2210. *Nobili viro Nicolao Opaviensi[a]) et Ratiboriensi duci indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum idibus Junii a. quinto decimo“.*

Romae, 1404 Junii 13.

R. Lat. 118 fol. 228[a] — [a]) ‚Oppauien‘. — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2211. *Nobili viro Sbislao de Turkow eiusque uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum idibus Junii a. quinto decimo“.*

Romae, 1404 Junii 13.

R. Lat. 118 fol. 228[a] — In fine: JAC. XII DE TERAMO.

2212. *Nobili viro Suliconi de Konicz[a]) burgravio Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. quinto decimo“.*

Romae, 1404 Junii 20.

R. Lat. 118 fol. 219[b] — [a]) ‚Conitz‘ — In fine: JAC. XIIII DE TERAMO.

2213. *Eidem*[a]) *indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possit. „Devocionis.“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. quinto decimo.“*

Romae, 1404 Junii 20.

R. Lat. 118 fol. 227[a] — [a]) Suhconi de Conytz' — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2214. *Alberto Creyenberg providetur de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Olomucensis et s. Petri Brunensis ecclesiarum.*

Romae, 1404 Junii 21.

Bonifacius .... magistro Alberto Creynberg canonico Olomucensi, scriptori et familiari nostro .... Grata tue familiaritatis .... Volentes itaque tibi .... graciam facere specialem, unum in Olomucensi et alium in montis s. Petri Brunnensi Olomucensis diocesis ecclesiis canonicatus .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus ac unam in Olomucensi et aliam in montis s. Petri ecclesiis predictis prebendas, si que vacant ...., vel cum .... vacaverint, ... conferendas tibi .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, prepositurum in b. Marie in Wolframskirchen Olomucensis diocesis[1]) et archidiaconatum de Asterfleue in Halberstadensi, qui quidem prepositura et archidiaconatus curati et dignitates existunt, ac canonicatum et maiorem prebendam in dicta Halberstadensi, in qua maiores et minores sunt prebende, et oblegium ‚officium divisionis quotidianarum distribucionum' nuncupatum, per canonicos eiusdem Halberstadensis ecclesie gubernari consuetum, in ipsa Halberstadensi ac altare sine cura s. Leonardi situm in Nuemburgensi canonice obtines, et super canonicatu et maiori prebenda in Buczowensi Zwerinensis diocesis in palacio apostolico litigas, et nuper canonicatum et maiorem prebendam in Magdeburgensi[2]) .... tunc certo modo vacantes, vigore quarundam litterarum nostrarum, ... prout ex ipsarum forma poteras, infra tempus legitimum acceptasti et tibi de eisdem fecisti provideri, et dudum tibi de canonicatu et prebenda in dicta Olomucensi ac de altari eciam sine cura ss. Materni, Briccii et Erasmi sito in eadem Olomucensi ecclesiis, tunc certis modis vacantibus, apostolica fuit auctoritate provisum. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium canonicatum et prebendam dicte ecclesie Olomucensis fueris pacifice assecutus, eosdem alios canonicatum et prebendam dicte ecclesie Olomucensis, de quibus tibi provisum extitit, ut prefertur, ... dimittere tenearis, quodque post quinquennium a data presencium litterarum computandum vigore earundem aliquam prebendam nequeas acceptare seu de illa tibi facere provideri, quodque illius ex Olomucensi et montis s. Petri ecclesiis predictis, in qua prebendam huiusmodi interim non acceptaveris nec de ea tibi provideri feceris, extunc canonicus esse desistas .... Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Julii a. quinto decimo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac officiali Olomucensi ....

R. Lat. 112 fol. 83a — Supra in marg. sin. CAN[CELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, JAC. DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 1495 [2]) Cf. nr. 2022.

2215. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et decano ecclesiae s. Severini Coloniensis ac officiali Pragensi mandatur, quatenus ad executionem sententiarum in palatio apostolico latarum, per quas parrochialis ecclesia s. Jacobi in burgo Brunensi Olomucensis dioc. abbatissae et conventui monasterii Vallis s. Mariae de Oslavia cisterciensis ord. dictae dioc. contra praepositum et capitulum ecclesiae s. Petri in Brunna eiusdem dioc. ac Conradum Smerbeck pro canonico ipsius ecclesiae s. Petri se gerentem adiudicata est,*[1]) *etiam contra Georgium de Jevíčko pro canonico Olomucensi se gerentem, qui lite huiusmodi indecisa pendente in praefata ecclesia s. Jacobi se intrusit, procedentes, praedictas abbatissam et conventum in corporalem possessionem eiusdem ecclesiae s. Jacobi inducant. „Exhibita“ „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Julii a quinto decimo.“*

Romae, 1404 Junii 21.

R. Lat. 116 fol. 217a — Supra in marg. sin.: CAN[CELLARIA]; in fine: M. LV DE SANCTA AGATHA. — Ed. ex originali in Cod. dipl. Mor. XIII p. 324 nr. 315. — [1]) Cf. nr. 1608, 1734, 1831 et 1970, necnon Bretholz, Die Pfarrkirche St. Jakob in Brünn, p. 18—28.

2216. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis Johannem episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro parte partis communis et unius minuti servitiorum Nicolai praedecessoris sui per manus Nicolai Schonkremer*[a]*) canonici Glogoviensis Vratislaviensis*[b]*) dioc. camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. P.] die XXIII mensis Junii pont. . . . . a. XV.“*

Romae, 1404 Junii 23.

Oblig. et sol. 59 fol. 152a — a) ‚Shonkremer‘ b) ‚Wladislauien‘. (correctum ex ‚Wratislauien.‘)

2217. *Judicibus mandatur, quatenus sententiam in palatio apostolico latam, per quam Johannes de Fuchsberg ad solvendam certam pecuniam Johanni de Grecz Reginae condemnatus est, exsequantur.*

Romae, 1404 Junii 24.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . abbati monasterii Scotorum in Wyenna Patauiensis diocesis ac decano ecclesie s. Petri Wisegradensis Pragensis . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Johannis [de] Grecz Regine clerici Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse . . . . nobilem virum Johannem de Fuchsperg alias de Vinewitz militem dicte diocesis, qui sibi centum et decem sexagenas grossorum monete Pragensis minus duobus grossis eiusdem monete ex

certis causis tunc expressis dare et solvere legitime teuebatur, super hoc, petendo ipsum condemnari et compelli ad dandum et solvendum sibi pecuniarum summas huiusmodi, coram . . . . Blasio decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi, conservatore magistris, doctoribus et scolaribus universitatis studii Pragensis contra inferentes eis iniurias vel iacturas in bonis vel rebus suis a sede apostolica per ipsius sedis litteras specialiter deputato et habente cognoscendi de hiis, que iudicialem requirunt indaginem, specialem per easdem litteras potestatem, huiusmodi litterarum vigore, cum idem Johannes tunc dicte universitatis scolaris existeret,[1]) fecit ad iudicium evocari, idemque decanus cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato per suam diffinitivam sententiam pronunciavit, decrevit et declaravit: eundem militem condemnandum et compellendum fore ac condemnavit et compulit ad dandum et solvendum dicto clerico huiusmodi centum et decem sexagenas minus dictis duobus grossis, ipsum militem in expensis in huiusmodi causa legitime factis nichilominus condemnando, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti militis, eam iniquam fore falso asserentis, fuit ad dictam sedem appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . magistro Johanni Caraczolis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Johannis de Grecz Regine . . . . commisimus . . . . , non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, et cum potestate citandi dictum Johannem militem extra eandem curiam et ad partes, quotiens opus esset, idemque auditor ad instanciam . . . . magistri Johannis Stunck substituti per . . . . magistrum Nicolaum Holigveil procuratorem dicti Johannis de Grecz Regine . . . . coram eo in iudicio comparentis eundem militem per suas certi tenoris litteras citari fecit ad partes, ut coram eo certo peremptorio termino competenti tunc expresso cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam huiusmodi tangentibus in dicto palacio compareret, processurus in causa huiusmodi ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sententiam inclusive, prout existeret racionis. In quo quidem termino predictus Johannes Stunck . . . . comparens et de citacione huiusmodi eidem auditori fidem faciens per legitima documenta, predicti militis non comparentis contumaciam accusavit, idemque auditor ad dicti Johannis Stunck instanciam prefatum militem ad dandum et recipiendum libellum in causa huiusmodi in audiencia publica, ut est moris, citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes Stunck . . . . comparens, predicti Johannis militis non comparentis contumaciam [accusavit] et in eius contumaciam quendam pro parte sua in huiusmodi causa libellum dedit, et deinde eodem Johanne Stunck et . . . . magistro Johanne de Vlsen substituto per . . . . magistrum Johannem Tremosnitz procuratorem dicti militis. . . . comparentibus, ac lite per eos legitime contestata, et per quemlibet de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius auditoris presencia prestito iuramento, traditisque per eos quibusdam posicionibus et articulis in causa huiusmodi in certis terminis eis ad hoc assignatis, idem auditor ad eiusdem Johannis Stunck instanciam predictum Johannem Vlsen ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos partis sibi adverse, quidquid vellent, necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes

ipse in huiusmodi causa uti vellent, per quosdam cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Johannes Stunck . . . . comparens, predicti Johannis Vlsen non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras autenticas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit in dicto termino ad hoc dato, dictusque auditor ad prefati Johannis Stunck instanciam predictum Johannem Vlsen ad dicendum contra huiusmodi producta, quidquid vellet, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, ... successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus prefato Johanne Stunck . . . . comparente et dicti Johannis Vlsen non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa ipsa concludi petente, memoratus auditor reputans eundem Johannem Vlsen . . . . contumacem, in eius contumaciam cum dicto Johanne Stunck in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc prefixo et ad eiusdem Johannis Stunck instanciam prenominatum Johannem Vlsen ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua prefato Johanne Stunck . . . . comparente et predicti Johannis Vlsen non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus auditor reputans eundem Johannem Vlsen. . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: predictam appellacionem fuisse et esse desertam, ipsumque militem in expensis coram eo in hac instancia legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter prefatus auditor, cui ex certis causis commisimus, ut eciam expensas coram dicto decano in huiusmodi causa factas taxaret, ad dicti Johannis Stunck instanciam predictum Johannem Vlsen ad videndum taxari tam coram se quam coram dicto decano factas expensas huiusmodi . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dicto Johanne Stunck . . . . comparente et predicti Johannis Vlsen non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, prenominatus auditor reputans eundem Johannem Vlsen . . . . contumacem, in eius contumaciam coram eodem decano in sexaginta et coram se ipso in quinquaginta florenis auri de camera boni et iusti ponderis expensas ipsas provida moderacione taxavit, predicti Johannis Stunck super expensis ipsis iuramento secuto, prout in instrumento publico inde confecto ipsius auditoris sigillo munito dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predictus clericus dubitet, quod idem miles huiusmodi sentenciis et processibus super earum execucione fiendis de facili non parebit, pro parte ipsius clerici nobis fuit humiliter supplicatum, ut eciam prefatam sentenciam dicti decani execucioni debite demandari mandare et alias sibi in premissis de oportuno remedio providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . que super hiis ab eodem auditore provide facta sunt, rata habentes et grata, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . predictam ipsius decani sentenciam, prout iuste lata est, et alia per eundem auditorem, ut premittitur, facta execucioni debite demandantes ipsamque sentenciam eiusdem auditoris, ubi et quando expedire videritis, solemniter publicantes, fa-

ciatis eidem clerico dictas centum et decem sexagenas minus huiusmodi duobus grossis integre dari et persolvi et de predictis florenorum summis pro dictis expensis iuxta prefati instrumenti earum condemnacionum et taxacionum tenores plenam et debitam satisfaccionem impendi, et nichilominus legitimis per vos super hiis habendis servatis processibus eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Julii a. quinto decimo.

R. Lat. 115 fol. 226a — In fine: JAC. XXVI DE TERAMO. — [1]) Johannes ‚de Grecz' in universitate Pragensi a. 1398 ad baccalariatum, a. 1402 ad magisterium admissus est. (Monum univ. Prag. I./I. p. 314. 369 et al.)

2218. *Nobili viro Hynkoni Berka dicto Hlaváč[a]) de Dubá baroni baroniae in Lipá[b]) Pragensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit. „Sincere" „Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a. quinto decimo."*

Romae, 1404 Julii 3.

R. Lat. 118 fol. 224a — a) ‚Hlawatz' b) ‚Liepa' — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2219. *Eidem indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia celebrari facere possit. „Devocionis" „Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a. quinto decimo."*

Romae, 1404 Julii 3.

R. Lat. 118 fol. 128a — In fine: JAC. X DE TERAMO.

2220. *Judicibus mandatur, quatenus sententias, quae in causa super parrochiali ecclesia in Volyné exorta in palatio apostolico latae fuerunt, executioni demandantes, Johannem de Tremošnicz in corporalem possessionem eiusdem ecclesiae inducant.*

Romae, 1404 Julii 5.

Bonifacius . . . . episcopo Anconitano et . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . magistri Johannis de Tremosnicz rectoris parrochialis ecclesie in Wolina Pragensis diocesis, scriptoris et familiaris nostri, peticio continebat, quod, licet olim ipse dictam ecclesiam, tunc per obitum quondam Johannis Sophiste ipsius ecclesie rectoris vacantem, vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de illa sibi provisum fuisset canonice, tamen Johannes Conradi de Jessenicz, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, falso asserens dictam ecclesiam ad se spectare,[1]) ac gracie, acceptacioni et provisioni

huiusmodi contra iusticiam se opponens, impedivit, prout impedit, ac fecit et facit, quominus gracia, acceptacio et provisio predicte debitum sortite fuerint et sorciantur effectum, seque in dicta ecclesia intrusit illamque occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiendo ex eadem, ortaque propterea inter Johannem de Tremosnicz et Johannem Conradi predictos super dicta ecclesia et eius occasione materia questionis, nos causam huiusmodi . . . . magistro Johanni Caroczolo capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Johannis de Tremosnicz . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, cum potestate citandi prefatum Johannem Conradi extra eandem curiam et ad partes, quociens opus esset; idemque auditor ad prefati Johannis de Tremosnicz coram eo in iudicio comparentis instanciam predictum Johannem Conradi per suas certi tenoris litteras citari fecit ad partes, ut coram eo vel alio auditore causarum dicti palacii loco sui forsan in huiusmodi causa surrogando certo peremptorio competenti termino tunc expresso cum omnibus et singulis actis, iuribus et munimentis causam huiusmodi tangentibus in dicto palacio compareret, processurus in causa huiusmodi ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sentenciam inclusive, prout existeret racionis. Interim vero, cum prefatus auditor se a predicta curia absentasset, nos causam huiusmodi . . . . magistro Bertrando de Arnessano capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici predicti usque ad reditum prefati Johannis auditoris ad eandem curiam commisimus audiendam; coram quo . . . . magister Johannes de Vlsen procurator dicti Johannis de Tremosnicz in dicto termino in iudicio comparens et de citacione huiusmodi eidem Bertrando fidem faciens per legitima documenta, predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusavit. Et deinde prefatus Johannes auditor tunc ad dictam curiam reversus ad predicti Johannis de Vlsen coram eo in iudicio comparentis instanciam dictum Johannem Conradi ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda, necnon ad dandum et per eandem alteram partem dari videndum posiciones et articulos, si quos dare vellent in causa huiusmodi, in audiencia publica, ut moris est, successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Johannes de Vlsen . . . . comparens, predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius Johannis auditoris presencia prestitit iuramentum necnon quosdam posiciones et articulos tradidit pro parte sua in causa huiusmodi . . . ., idemque Johannes auditor ad eiusdem Johanis de Vlsen instanciam predictum Johannem Conradi ad respondendum dictis posicionibus et dicendum contra eosdem articulos, quidquid vellet, necnon ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura, munimenta, quibus partes ipse uti vellent in causa huiusmodi, in dicta audiencia citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Johannes de Vlsen . . . comparens, predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit . . . ., prefatusque Johannes auditor ad eiusdem Johannis de Vlsen instanciam predictum Johannem Conradi ad dicendum contra huius-

modi producta, quidquid vellet, in dicta audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes de Vlsen . . . . comparens, predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusavit, idemque Johannes auditor eundem Johannem Conradi ad eiusdem Johannis de Vlsen instanciam ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dicto Johanne de Vlsen . . . . comparente et predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa huiusmodi concludi petente, memoratus Johannes auditor reputans eundem Johannem Conradi . . . . contumacem, in eius contumaciam cum eodem Johanne de Vlsen . . . . conclusit et habuit pro concluso et ad eiusdem Johannis de Vlsen instanciam predictum Johannem Conradi ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Johanne de Vlsen . . . . comparente et predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Johannes auditor reputans eundem Johannem Conradi . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerant: graciam, acceptacionem et provisionem predictas ac omnia et singula inde secuta fuisse et esse canonica suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, dictamque ecclesiam ad prefatum Johannem de Tremosnicz spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere de iure, sibique eandem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis adiudicandam fore et adiudicavit, predictoque Johanni Conradi in dicta ecclesia seu ad eam nullum ius competiisse sive competere, opposiciones, intrusiones, occupaciones, detenciones ac impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, dictoque Johanni Conradi super opposicionibus, intrusionibus, occupacionibus, detencionibus et impedimentis ac ecclesia predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, ipsumque Johannem Conradi ab occupacione et detencione dicte ecclesie amovendum fore, et quantum potuit, amovit, prefatumque Johannem de Tremosnicz in et ad realem, actualem et corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum inducendum fore, et quantum potuit, induxit, dictumque Johannem Conradi in fructibus ex dicta ecclesia a tempore mote litis citra perceptis et in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum [taxacione] sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti Johannis Conradi fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . magistro Brande de Castelliono capellano nostro [et] causarum palacii predicti auditori . . . . commisimus . . . ., qui ad instanciam prefati Johannis de Vlsen . . . magistrum Widekindum Salczman procuratorem dicti Johannis Conradi . . . . ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi per quosdam [cursores] nostros succesive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Johannes de Vlsen . . . . comparens, predicti Widekindi non compa-

rentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum et predictum in ipsius Brande auditoris presencia prestitit iuramentum . . . .; et deinde predictis Johanne de Vlsen et Widekindo . . . . comparentibus et per eundem Johannem de Vlsen quibusdam posicionibus et articulis pro parte sua traditis, predicto Wydekindo tunc aliquos posiciones et articulos pro parte sua in huiusmodi causa tradere aut excepciones aliquas contra posiciones et articulos partis sibi adverse huiusmodi dare non curante, ... idem Branda ad dicti Johannis de Vlsen instanciam predictum Widekindum ad producendum et per alteram partem produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse in huiusmodi causa uti vellent, ... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes de Vlsen . . . . comparens, predicti Widekin[d]i non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam nonnulla litteras apostolicas, instrumenta publica aliaque iura et munimenta . . . . produxit, idemque Branda auditor ad eiusdem Johannis de Vlsen instanciam predictum Widekindum ad dicendum contra huiusmodi producta quidquid vellet . . . . citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Johannes de Vlsen . . . . comparens, predicti Widekindi non comparentis contumaciam accusavit; deinde vero, cum Johannes Conradi et Widekindus predicti se a prefata curia absentassent, predictus Branda auditor ad dicti Johannis de Vlsen instanciam prefatum Johannem Conradi ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi . . . . in prefata audiencia citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dicto Johanne de Vlsen . . . comparente et predicti Johannis Conradi non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa huiusmodi concludi petente, memoratus Branda auditor reputans eundem Johannem Conradi . . . . contumacem, in eius contumaciam cum eodem Johanne de Vlsen . . . . conclusit et habuit pro concluso et ad eiusdem Johannis de Vlsen instanciam predictum Johannem Conradi ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam in dicta audiencia citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Johanne de Vlsen . . . . comparente et predicti Johannis non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Branda auditor reputans eundem Johannem Conradi . . . . contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Johannem auditorem in huiusmodi causa bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dicti Johannis Conradi ab eodem Johanne auditore et eius sentencia male fuisse et esse appellatum, ipsumque Johannem Conradi in fructibus ex dicta ecclesia a tempore dicte late sentencie citra perceptis et in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condempnandum fore et condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Cumque ab eadem sentencia ipsius Brande auditoris per . . . . magistrum Johannem de Scriuanis eciam procuratorem dicti Johannis Conradi per eum una cum prefato Widekindo in solidum constitutum, ita quod non esset melior condicio occupantis, pro parte dicti Johannis Conradi ad sedem fuisset appellatum eandem, nos causam ultime appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro

